






*En la Librería de Miguel Copin,  
Carrera de S. Geronymo, donde  
se vende esta Obra, se hallarán  
Libros de todas Ciencias  
y Facultades, como*

*De Physica, y Matemáticas, y  
Arte Militar. Economía Política  
y Rustica, y Comercio. Historia  
Sagrada y Profana, general y  
particular. Bellas Letras: Gra-  
mática, Retórica, Poesía, &c.  
Diccionarios de todos generos.  
Obras varias de Medicina, Ci-  
rurgia, Pharmacia y Anatomia.  
Tambien hay un surtido de Es-  
tampas finas, que representan va-  
rios asuntos de Historia, vistas  
de Mar, y Paisés, &c. por los  
mejores Abridores. Atlas com-  
pleto, y Mapas Geograficos suel-  
tos de varios Autores.*







29  
And J<sup>a</sup>  
Vol 2<sup>e</sup>



DEFENSIO  
DECLARATIONIS  
CONVENTUS  
CLERI GALLICANI An. 1682.  
DE ECCLESIASTICA POTESTATE  
AUCTORE

Illustrissimo ac Reverendissimo **D. JACOBO-BENIGNO BOSSUET**,  
Episcopo Meldensi, cum nonnullis Notis.

**TOMUS SECUNDUS.**



**LUGANI MDCCLXVI.**

---

Sumptibus Agnelli, & Soc.



DECLARATION  
OF THE  
CLERGY OF GALICIA  
ON THE  
MATTER

Illustration of the Reverendissimo D. JACOBO BENIGNO BOSSUET  
Episcopo Meldensi, cum nonnullis Notis.

TOMUS SECUNDUS.



LUGANI MDCCCLXVI

Sumptibus Agnelli & Soc.





# DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI,

DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

## P A R S III.

*De Parisiensium sententia ab ipsa Christianitatis origine repetenda.*

## L I B E R VII.

Conciliorum generalium Traditio.

## C A P U T I. (a)

*Infalibilitas quibus verbis ab antiquis explicetur: ubi sita sit  
queritur.*



*N* fidei quoque quæstionibus, præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.

Cap. IV.  
Gallic. De-  
clar.

Quædam antiquitatis ignaros movit illa vox *irreforma-  
bilis*. Hanc sciant ab antiquitate depromptam. Notum  
illud Tertulliani: *Regula fidei immobilis & irreformabilis*.

Tertul. de  
Virg. ve-  
lan. c. 1.  
p. 173. Ed.  
Rigalt.  
1675.

Ergo judicium illud *irreformabile* esse dicimus, quod *immobile*, *irretra-*  
*cta*

[ a ] In schedulâ quâdam D. LE DIEU, Capitis primi titulus sic repræsentatur  
Tom. II. A tur



*stabile, irrefragabile* ab antiquis; postremo denique ævo, *infallibile* appellatum est. Quærimus igitur ubi sit collocatum illud *irreformabile* iudicium.

## CAPUT II.

*Sententia Parisiensium res inter iudicatas reponenda ex dictis  
de Concilio Constantiensi.*

**A**C nostri quidem censores Parisiensium sententiam & inter schismata esse ortam dicunt, & variis dissidiis ultrò citròque jactatam, Constantiensis quoque Synodi temporibus fluctuasse. Nos verò procul à schismatibus, ab ipsâ Christianitatis origine repetendam ostensuri, prius præstruimus, res inter iudicatas pridem, ex dictis de Constantiensi Concilio esse repositam. Certè Constantiense Concilium, dum eas memorat causas, quibus Papa Concilio subest, primam ponit fidem: ergò Papa Concilio subest, vel maximè in fide: at infallibilem, quâ quidem in re talis est, cuiquam subesse nefas: imò infallibili, haud magis quàm ipsi veritati totam Ecclesiam subesse oportet: non ergò ullus hominum, stante quidem Constantiensi Concilio, est in fide infallibilis; atqui demonstravimus Constantiense Concilium, nullo unquam Ecclesiæ decreto labefactatum, imò tanta Sedis Apostolicæ, tanta Ecclesiæ universæ veneratione susceptum, invicta auctoritate stare oportere: ergò certa & invicta auctoritate constat unius Ecclesiæ, sive collectæ, sive dispersæ, sed tamen consentientis sententiam esse infallibilem.

Dices consecutionem istam quidem esse à nobis deductam, non autem rem ipsam à sacro Concilio definitam. Reponimus: imò verò non consecutionem, sed rem ipsam; neque enim aliud est alteram potestatem alteri esse subiectam, quam eam quæ subiecta sit, à recto veroque deflectere, & ab altera emendari ac reformari posse.

Quare quodquod hætenus pro Pontificia potestate scripserunt Constantiensi decreto nihil opponunt aliud, præter quàm illud toties à nobis confutatum, de Papa dubio, & fluxa Concilii Constantiensis auctoritate, reponsum: cui immorari, ac dicta repetere supervacaneum est.

Non tamen omittemus, quæ nostro ævo multi comminiscuntur, ex ipsis Concilii Constantiensis confutanda verbis.

Vid. decr.  
Sess. IV. &  
V.

Primum illud toties decantatum; ex eo Concilio Papam quidem in fidei negotiis subesse Concilio, sed ut privatum hominem, non ut Papam, vanum ludibrium est; cum Constantiense Concilium, expressa etiam Pontificia potestate, eam in fidei negotiis Conciliari potestati subesse decernat.

CA-

rur: *Reliqui operis institutum; hujus libri scopus; quòd idè observamus, ne quid prætermisissè videamur, parvum licet, in D. BOSSUET conferendis codicibus. Cæterum ille titulus malè hic intruderetur, & meliùs præfigeretur Capiti V. in quo D. BOSSUET, postquàm quædam addidit à nobis diligenter descripta, in partes hunc librum dividit.*



## CAPUT III.

*Alia modernorum quorundam cavillatio confutatur ; ostenditurque ex ipsis Concilii Constantiensis verbis ac gestis , Papam non modo teneri Conciliaribus de fide decretis jam factis , sed etiam in quærendo & tractando, in Concilii potestate esse .*

**H**Is ergò Concilii Constantiensis verbis statim ruit illud , quod quidam intelligunt : nempe ut Papa quidem in formando circa fidem Conciliari decreto superior habeatur : cæterum ubi res semel à Concilio definita est , non mirum esse quòd prolata sententiæ subesse teneatur ; cum illa sententia , non tam à Concilio quàm à Papa Concilii capite prolata sit : ut Papa non tam Concilio subesse , quàm sibi ipsi consentire videatur .

Ruit, inquam , illud . Neque enim Constantiense Concilium Papam consentire ipsum sibi , sed planè Concilio subesse decernit ; & quidem subjungit , *debitè puniendum* , si obedientiam denegarit . Non autem intelligit Papam à seipso puniendum , sed à Concilio supremam & indeclinabilem exercente potestatem ; ergò etiam intelligit Papam non ipsum sibi ipsi , sed omninò Concilio esse subditum .

Jam verba illa perpendant Constantiensium Patrum ; Papam *in fidei, in schismatis , in reformationis negotiis , omnibusque ad ea pertinentibus factis , vel faciendis* , Conciliari potestati subjici : ergò non tantum *in factis* , de fide decretis , sed etiam *in faciendis* atque formandis , inque ipsa re quærenda ac tractanda Concilio subesse intelligebant .

Conc.  
Const. Sess.  
V. T. XII.  
P. 12.

Nempe sancta Synodus in ipsis principiis professa est se quidem congregatam , non modò ut de schismate ac de reformatione , sed etiam ut de fide quæreret adversus Wiclef & Hussi grassantes hæreses : cujus rei gratiâ , vel maximè à Joanne XXIII. convocatam esse constabat . Quare omninò tractatura erat adversus illos hæreticos varias ac maximas fidei quæstiones , ac speciatim adversus Wiclefum , expositura erat ipsum Papalem Primatum , quem ille impugnaverat , ut sæpe vidimus : ergò intellexit , atque decrevit Papam in his quæstionibus Synodo paritutum .

Ib. Sess.  
IV. & V.

Quid , quòd jam inde ab initio decrevit Synodus ipsam Synodum talia tractaturam , *nec Papæ recessu dissolutum iri , sed remanere in sua potestate & integritate Concilium* : ea scilicet potestate , cui Papa ipse subjicitur . Intellexit ergò , atque decrevit Synodus , etiam recedente Papa , de fide tractatura , ipsam se eâ potestate esse , ut decreta conderet , cui Papa ipse obedire teneretur , nedum in tractando & quærendo superiorem eum agnosceret .

Ib. Sess.  
III.

Id verò demonstrant , uti prædiximus , non modò ipsius Synodi decreta , verum etiam gesta . Reverà enim tractata sunt sessione VIII. post recessum Papæ , adversus Wiclefum & Hussum , ea quæ memoravimus ; expositaque est circa Primatum Romanum Ecclesiæ fides . Quin etiam , Papâ ipso , Sessione XII. ritè deposito , tractatæ sunt multæ adversus Joan-

Sup. Lib.  
V.



nem Hussum , Hieronymum de Praga , & Joannem Petitum , fidei quæstiones ; nempe sessione XIII. XIV. & deinde cæteris : ergo Synodus non modò decrevit à se posse fieri , sed etiam fecit , idque absente Papa , imò etiam deposito , decreta de fide , quibus ipse Papa parere teneretur .

Nempè intelligebat Papam absentem corpore , virtute tamen fuisse præsentem , Synodoque conjunctum , qui Synodum congregasset , qui post recessum quoque toties declarasset , se recedentem licet , in Synodi potestate futurum ; qui sanctam Synodum errare non posse profiteretur .

Quin Synodus suæ conscia potestatis , intelligebat se ipsam , quippe quæ Ecclesiam universalem repræsentaret , etiam Papatum ipsum virtute complexam , summo & indeclinabili judicio , nullaquæ adhibitâ morâ definire posse ea , quæ Ecclesiæ necessitas evidens postularet .

#### CAPUT IV.

*Aliæ cavillationes : Papam subjici quidem Concilio in Fidei quæstionibus , sed tantum postquam se illi sponte submisit : tum esse quidem illum per sese infallibilem , si non adsit Concilium , sed præsentem Concilio , jam illi subesse .*

**H**UNC nodum alii sic exsolvunt : Pontificem quidem per se se infallibilem in edendis fidei decretis ; neque eò secius etiam in quærendo de fide subjectum esse Concilio , postquam rem Patribus congregatis quærendam decernendamque permisit .

At hæc à Constantiensibus diserte refutata sunt , cum docent potestatem eam , cui Papa in fidei quoque negotiis subditur , Concilio generali immediatè à Christo , non à Papâ esse .

Sunt qui sic sentiunt , inesse utrique , scilicet & Synodo & Papæ infallibilitatem à Sancto Spiritu ; ita quidem ut Papa in decernendis fidei quæstionibus Concilio semel congregato subfit ; ac nihilo secius , si desit Synodus , seorsim ac per sese sit infallibilis , & semel ab eo dicta sententia , Synodi quoque norma sit , nedum Synodi examini ac judicio subfit .

Hæc opinio neque cum Constantiensi decreto , neque cum Papalis auctoritatis ratione , neque secum ipsa convenit .

Non quidem illa opinio convenit cum Constantiensi decreto . Supponit enim illa diverso respectu , in fidei quæstionibus , ut Concilio Papam , ita Papæ Concilium subjici oportere : at non ita Constantiense decretum ; imò absolutè , Papam Concilio in fidei quæstionibus , non vicissim Concilium Papæ subjicit ; nullaquæ exceptione , omnem Pontificiæ potestatis usum Conciliari potestati , ut supremæ , soli quæ ineluctabili subdit .

Neque etiam adversarii hæc opinione consulunt satis Papali dignitati , quam in Synodo exuunt innatâ ipsi , ut quidam fingunt , dote : nempe ut infallibiliter de fide vel sola decernat . Atqui hoc absurdissimum ; cum profectò  
Con-



Concilium nihil aliud sit , quàm ipsa Catholicae Ecclesiae repræsentatio , integris omnibus , quæ cuique à Christo sunt dotibus , non profectò sublati , ne non repræsentatio , sed extinctio Ecclesiasticæ unitatis esse videatur.

Denique hæc opinio nec secum ipsa convenit ; cùm infallibilitatem à Christo datam , vel perpetuam oporteat esse vel nullam .

Ex his intelligitur id , quod Gerson , & alii nostri docuere , eò vel maxime Papalem potestatem Conciliari subesse , quòd *fallibilem* , atque ut vocant *deviabilem* , *indeviabili* & *infallibili* subesse oporteat : id , inquam , non ex ipsorum peculiari sententia , sed ex intimo totius Concilii Constantiensis sensu esse depromptum .

Neque minus liquet vanos esse eos quos commemoravimus , quique non eodem loco habent nostram de superioritate , ac nostram de infallibilitate sententiam ; cùm profectò constet utrasque sententias uno fundamento nixas , una ratione connexas , unoque decreto Concilii Constantiensis esse decidas .

Neque immeritò Sacro-Sancta Synodus inter eas causas , quibus Papa Concilio subsit , primam ponit fidem ; cùm certo dogmate Pelagii II. ex sancti Leonis auctoritate deprompto , habendorum Conciliorum *specialis causa sit fides* ; valereque oporteat Conciliorum potestatem in eà maxime causa , quæ propria ipsis specialisque sit .

Epist. Pel.  
II. Tom. v.  
Conc. post  
Conc. v. d  
617. & seq.

Nostra ergo sententia Constantiensibus Canonibus stabilitur iis , quos tantà sequentis ævi consensione firmavimus . Verùm ut veritas clarius elucescat , lubet recurrere ad fontes , & Constantiensem doctrinam ex antea actis sæculis affirmare .

## CAPUT V.

*An Concilii Constantiensis iudicium antiqua traditione nitatur : præmittimus quædam ex VINCENTIO LIRINENSI , de Ecclesie Catholicae toto orbe diffusæ auctoritate : hinc valere Concilia œcumenica : duplex ratio agnoscenda Ecclesiasticæ consensionis , ac finiendarum fidei questionum ; altera per Concilia œcumenica ; altera sine Conciliis œcumenicis : utraque suo ordine tractanda suscipitur : à prima ordinur ; atque octo primorum Conciliorum generalium traditionem , ac praxim explicare incipimus .*

**P**RÆSTRUIMUS illud immortum , quod est ab omnibus Catholicis , Vincentio Lirinensi exponente , susceptum : valere omnino id quod ubique , quod semper , quod ab omnibus creditum est . Cujus rei radix est Apostolicum illud ; fidem annunciari in universo mundo : & de Apostolis dictum : In omnem terram exivit sonus eorum , & in fines Orbis terræ verba eorum ; atque iterum ad Colossenses : In verbo veritatis Evangelii , quod pervenit ad vos , sicut in universo mundo est , & fructificat & crescit . Neque hæc tantum Apostolicis temporibus inchoata , sed in ævum duratura , dicente Domino : Ecce ego vobiscum sum usque ad

Vincent.  
Lirin. com-  
monit. i.  
c. III. T.  
VII. Bibl.  
Pat. p. 250.  
Rom. 1. 8.  
Ib. x. 18.  
Ps. CVIII.



Colof. i. *ad consummationem sæculi*; & : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*,  
 5. 6. *utique Ecclesiam*; quo factum est ut Ecclesia, non hæc aut illa, sed tota  
 Mat. XVIII. & *universa ab Apostolo appelletur: Columna & firmamentum veritatis*.

20. Hæc igitur non ab hoc, aut ab illo Doctore, sed ab omnibus Ca-  
 Ib. XVI. 18. tholicis uno ore sic intelliguntur, ut sit certissima, invictissima, eminent-  
 1. Tim. III. tissima Ecclesiæ Catholicæ consentientis auctoritas. Ea consensione, ut fir-  
 15. missimo ac Divinissimo fundamento, niti Christianos oportet; à quibus,  
 non aliud quid, sed illud in symbolo Apostolico postulatur, ut in *Spiri-  
 tum Sanctum* credentes, credant simul *sanctam Ecclesiam Catholicam*; ei-  
 que vindicent certissimum, quo in obedientiam captivantur, Spiritus San-  
 cti Magisterium & iudicium.

Quæ omnino efficiunt, ut in ipsa consensione vis illa indeclinabilis &  
 sit & esse credatur, existitque omnino ex Ecclesiarum consensione, clara &  
 manifesta vox, qua non partes Ecclesiasticæ, sed ipsam universalitatem au-  
 diti, eodem Vincentio Lirinensi teste, perspicimus: *Sequimur autem, in-*  
 Vinc. Lir. quit, *universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur,*  
 loc jam. cit. *quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia*. Et paulò post: *Quid fa-*  
 ciet *Christianus Catholicus*, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis  
 Ab. c. IV. fidei communionem præciderit? *Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque*  
*membro sanitatem universi corporis anteponat?*

Hinc illa in Concilia generalia manat, quam in eis agnoscimus, cer-  
 ta & ineluctabilis auctoritas. Neque enim aliâ ratione in Conciliis, five  
 in Ecclesia congregata, valet unitas, atque consensus, quam quòd in Ec-  
 clesia toto Orbe diffusa æque valeat. Ipsa enim Synodus eo valet, quòd  
 universalem repræsentet Ecclesiam: neque idèò Ecclesia congregatur, ut  
 valeat unitas atque consensus; sed idèò congregatur, ut quæ in Ecclesia  
 ubique diffusa per se valet, in eadem congregatâ, ab Episcopis Eccle-  
 siarum Doctoribus, tanquam idoneis testibus clarius demonstraretur.

Ex his igitur duplex intelligitur ratio agnoscendæ Catholicæ veritatis:  
 prima ex consensione Ecclesiæ ubique diffusæ: secunda ex consensione Ec-  
 clesiæ in Synodis œcumenicis, five generalibus adunatæ: quam utramque  
 rationem à nobis sigillatim exponi oportebit, ut vim illam infallibilem  
 & ineluctabilem in toto Ecclesiæ corpore repositam esse clarius demon-  
 strems.

Inchoamus autem à Synodis œcumenicis, in quibus consensionem lucu-  
 lentius expressam agnovimus: quâ in tractatione statim commemorabimus  
 octo illas primas novem primis sæculis celebratas; non modò quòd cæ-  
 teris ipsâ antiquitate præluxerint, sed quòd eorum gesta diligentius de-  
 scripta habeamus.

Id ergò primùm probare aggredimur ex eorum Conciliorum gestis il-  
 latis à Romanis Pontificibus etiam de fide sententias ad omnem quidem  
 Ecclesiam pertinere; at nihilo secius à Conciliis œcumenicis examinatas,  
 retractatas, interdum rejectas, nunquam nisi factò examine & quæstione  
 habita comprobatas; atque omnino nihil habitum esse pro infallibili at-  
 que irrefragabili, nisi id quod universalis Ecclesiæ consensione confirmatum  
 esset. Id cum probaverimus veniemus deinde ad secuta sæcula, nihilque  
 prætermitemus quo antiqua traditio explicari possit.



## CAPUT VI.

*Concilium Apostolicum Hierosolymis habitum de legalibus, ut omnium Conciliorum generalium forma proponitur: perpenditur illud; VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS: vis Spiritus in ipsâ consensione posita: in eam rem egregiæ Concilii V. ac Sancti Cælestini Papæ in Concilio III. auctoritates.*

**S**ACRIS Ecclesiæ Catholicæ œcumenicis, sive generalibus Conciliis, Concilii Apostolici Hierosolymis habiti, de legalibus, præluet auctoritas. Prima ea quæstio turbavit Ecclesiam. Ergo ibi quàm maximè fueris quæstionibus decidendis, formam dari oportebat. Quæcumque igitur ad futura Concilia pertinerent, jam ibi perspicuè præstruuntur, quæ nos ordine recensemus.

Primum, ac statim occurrit habendi Concilii causa, magna videlicet dissensio, ut habemus ex Actis Apostolorum: *Facta autem seditione non minima*. Levior contentio non tantum remedium postulasset. Atque id in secuta Concilia manaturum diligentissime notari volumus. Exortâ ergo hac contentione tam gravi, subdit Lucas in actis: *Statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas .... ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione*; nempe ut communi sententia finiretur.

2. Erat tàm in Jerusalem Ecclesia principalis, in qua sedebat Petrus (b) Apostolorum Princeps. Hinc proditum in sequentia sæcula, ne sine Petro & successoribus, atque Ecclesia principali, in quâ ipse sederet, Concilia regulariter haberentur.

3. Facta est quanta fieri potuit, illis quidem temporibus, cum adhuc Ecclesiæ formarentur, Apostolorum & Pastorum Ecclesiæ congregatio, ac perfectissima, pro statu Ecclesiæ, nominis Christiani representatio.

4. Fit conventus omnium in unum locum: *Conveneruntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc*.

5. In ipso conventu tria hæc habentur: tractatus primum, sive conquisitio; deinde deliberatio, sive uniuscujusque prolata sententia; postremò ex communi sententia, Concilii decisio: atque ea omnia in sequentia Concilia deindè manarunt.

6. Et quidem tractatus his verbis actuum designatur; *cum magna conquisitio fieret*.

7. Deliberatio à Petro inchoatur: qui mos deindè invaluit, ut sacri cœtus Principes primi sententiam dicerent, iisque auctoribus decretum sanciretur. Petrus ergo ubique rectæ prædicationis rerum agendarum auctor, pri-

[b] *Sedebat Petrus* ] Hierosolymis non ut in propriâ sedē, nam Jerusalem sedes erat Jacobi. Significat itaque D. Bossuet Petrum, qui tunc nulli Ecclesiæ peculiari præsidebat, potuisse dici aliquomodo Hierosolymis sedisse; quia ibi ordinariè commorabatur, & eam Ecclesiam pascebat verbo doctrinæ.



Ibid. primus sententiam dicit : Dei arcana pandit , quæ sibi primò de vocandis gentibus revelata essent fundamenti loco ponit ; ex his quætionem solvit : *Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum : & cætera quæ ad Cornelii ejusque familiæ vocationem pertinerent .*

Ib. 12. 8. Quæ deinde ex illa vocatione secuta sint , quantaque post Cornelium gentium multitudo confluerit , Paulus & Barnabas edisserunt : quæ Ib. 13. 14. firmandæ Petri sententiæ essent . Tum Jacobus dicturus sententiam expresse à Petri dictis incipit : *Viri fratres , Simon narravit , &c.* Quo ritu in secutis Conciliis , dicente cœtus Principe , cæteri deinde placere demonstrant .

Ibid. 19. 9. Nec tamen sic agunt quasi usquequaque primæ sententiæ auctoritate contriacti ; sed ipsi judicant , & Jacobus : *Ego , inquit , judico .* Tùm ad ipsam quætionem principalem , quæ addenda viderentur , proponit , & de iis quoque judicat ; nempe ut fratres , è gentibus conversi , *abstineant à contaminationibus simulacrorum , & fornicatione , & suffocatis & sanguine .*

Ib. 20. 10. Decretum deinde conditum communi nomine , ac Spiritus Sancti auctoritate adscitâ : *Placuit nobis collectis in unum , & visum est Spiritui Sancto & nobis .* Ibi ergò vis : *Spiritui Sancto & nobis ;* non quòd Petro præcisè , sed quòd *nobis ,* & à Spiritu acti , non unus Petrus , sed ipsa sacri cœtus unitas . Undè & Christus de Spiritu , quem erat missurus , id dixit : *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis , docebit vos omnem veritatem : Vos , inquit , scilicet Ecclesiarum Pastores , ac cæterorum Magistratos .* Hinc semper additus Ecclesiæ sacræque congregationi Spiritus . *Credo in Spiritum Sanctum , sanctam Ecclesiam Catholicam .* Et meritò pro-

Vid. Diff. Præv. & in app. Lib. I. indè diligenterque à nostris Doctoribus quondam dictum id quòd memoravimus : vim Conciliorum , *non in solo Pontifice Romano , sed maxime in Spiritu Sancto , & in Ecclesia Catholica esse positam .*

Aët. XVI. 4. 11. Re judicata per commune judicium , nihil postea retractatum , aut nova cuique relicta discussio est : sed perlatum decretum ad Ecclesias , docenturque plebes *custodire dogmata , quæ erant decreta ( græcè judicata ) ab Apostolis & senioribus qui erant Hierosolymis .*

Hæc nos Catholici urgemus communi consensu , adversus hæreticos Conciliorum jussa & auctoritatem detrectantes : quæ sanè nihil valeant , nisi cum auctoritate , etiam formam probamus ; vimque ipsam decreti , non in Petro solo , sed in unitate , & in Apostolorum ac pastorum Ecclesiæ consensione ponimus .

Bell. de R. P. Lib. 4. c. VII. Ait quidem Bellarminus , id nullâ necessitate factum , cum non mòdò Petrus , verùm etiam Apostoli , ex sese ac singulares quoque quætionem determinare potuissent : quòd quidem aliis è Bellarmini Societate , imprimis Joanni Bagotio , non probatur : nec placet sic *luisse Apostolos , aut simulatè ab iis institutam quætionem de re , quam exploratissimam habebant .* Utcumque est , in eo vis erit maxima , si nullo Concilio ac deliberatione indigentes , tamen ut formam darent sæculis secuturis , hanc inierint viam , & *communi sententia rem definierint ,* ut idem

Bagot. Apol. fidei. Lib. IV. disp. 3. cap. II. sect. III. Bell. de conc. aut. Lib. II. c. VII. Et quidem omnia , quæ in hac Apostolica Synodo acta sunt , in sequentes manasse gesta prodent . Ergò id vel maxime manarit oportet , quòd maxime agebatur , & in quo Apostoli robur esse positum voluerunt : nempe ut *Spi-*

*ritus*



ritus Sancti efficacia & vis conjungeretur cum illo, nobis, inque ipsa unitate se exereret.

Neque hanc interpretationem à nobismetipsis promimus, sed à sanctis Patribus, totoque adeò universali Concilio V. à Pontificibus Romanis toties comprobato.

Nempè Vigilius (c) Papa Constantinopoli agens, ubi Concilium habebatur, sacro coetui certis de causis suam præsentiā denegabat; pollicitus per seipsum se daturum sententiā. At Patres, iisque auctoribus & probantibus, Justinianus Imperator sic hortatur. *Inter nos placuit, tam ipsum (Vigiliū scilicet Papam) quam nos communiter convenire, eò quòd sacerdotes decet communibus quæstionibus finem communem imponere.* Et paulò post: *Pro his ad memoriā ejus (Vigili) produximus magnā illa Apostolorum exempla & Patrum traditiones. Licet enim Sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt, de eo quòd movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam COMMUNITER CONGREGATI divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt. Unde COMMUNITER de eo sententiā protulerunt: VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS.*

Gonc. C.  
P. II. ge-  
ner. v. Col.  
VIII. T. 5.  
P. 562.

Ut autem pateat eam formam futuris sæculis præluxisse, addunt: *Sed & sancti Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, COMMUNITER de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt.* Rationem hujus rei afferunt duplicem: alteram, quòd ex discussione & collatione veritas emicaret; alteram, eamque vel maximam, quòd COMMUNITER sententiā proferenda, scilicet Sancti Spiritus nomine: quibus sanè duobus, Concilia generalia maxime valent: veritatis elucidatione per collationem, ac Spiritus Sancti judicio per communem sententiā.

Ibid.

Ibid.

Idem antea in Concilio generali III. (Ephesino scilicet) sanctus Cælestinus Papa professus erat, cum suam ad Synodum epistolam his verbis incipit: *Spiritus Sancti testatur præsentiā congregatio sacerdotum; & paulò post: Sanctum igitur est pro debita sibi veneratione Concilium in quo utique nunc, frequentissimæ illius, quam legimus (Actorum XV. scilicet) Apostolorum congregationis aspicienda reverentia est.*

Epist. Cæ-  
lest. x. ad  
Conc. Eph.  
int. act.  
Conc.  
act II. T.  
III. p. 614.  
Anon. de

Ex his confutantur quæ quidam, ac imprimis novissimus autor Anonymus

[c] *Vigilius* ] Vivo adhuc sanctissimo Papæ Sylverio, Sedem Apostolicam invasit, eamque simoniā, scelere, cædibus retinuit, & tanto munere non ingenio quàm moribus dignior fuit. Nam quo tempore publicè pollicebatur summum suum studium in defendendis quatuor Conciliorum decretis & Leonis epistolæ doctrinā, eo communicabat secretò cum Acephalorum duce Anthimo, quem latā sententiā Agapetus de sede Constantinopolitanā dejecerat, suisque literis significabat a se improbari Synodum Chalcedonensem & Leonis epistolam. Eo modò se gessit in causa trium Capitulorum, ut ea Capitula à se prius approbata, mox non tam ex certo suo judicio, quam ex imbecillitate, partim damnaret, deinde omnibus V. Synodi decretis subscriberet, ut ab exilio, quo fuerat multatus, revocaretur. Ille Papa, homo varius & multiplex, ut vidimus, eā unā re constantiam, seu potius pervicaciam præ se tulit, ut, ne fidem datam liberaret. Nam postquam pollicitus sæpe fuisset se V. Synodo ad futurum, & cum Episcopis consilia communicaturum, ei adesse recusavit, multis quidem de causis, sed iis omninò vanis, quas vide à Patribus confutatas loco in textu citato. Vid. etiam Liber. Brev. c. xxii. Marcel. Chron. an. 536. D. FLEURY de Vigilio multis agit. Lib. xxxii. & seq.



Libert. Ec. mus, objiciunt: eam, quæ Synodo Hierosolymitanæ adfuit, Spiritus Sancti  
 Gall. Lib. assistentiam, *Apostolorum gratiæ, non Concilii generalitati tribuendam, cum*  
 v. c. x. n. 4. *Concilium illud generale non fuerit.* Quos miramur detracta velle Catholi-  
 cis ea præsidia, quibus maximè pro Conciliis œcumenicis adversus hæreti-  
 cos, certant; tum verò parvi pendere, sancti Cælestini, tertiarque & quin-  
 tæ Synodorum auctoritatem. Nos verò eam secuti, rectè à nobis putamus  
 intelligi Synodorum generalium auctoritatem & formam, si primam illam in  
 reliquis veneremur, & ad ejus normam omnia exigimus. Jam hoc fun-  
 damento Apostolico posito, quid secutæ Synodi gesserint audiamus.

## CAPUT VII.

*Concilii Nicæni primi decreta adversus ARIANOS, ipsa Patrum  
 consensione valuerunt, nullo antè gestam, nullo post gestam Synodum Se-  
 dis Apostolicæ speciali decreto: in eo Concilio ipsius consensionis auctori-  
 tate tres præcipuæ finitæ quæstiones: ad Sedem Apostolicam communis  
 decreti executio pertinet.*

**D**E primis duobus Conciliis universalibus, Nicæno I. & Constantino-  
 politano I. pauca dicemus.

Atque in Nicæno quidem Concilio definitionem communiter factam, &  
 sancta V. Synodus mox exposuit nobis, & ipsa Nicænæ Synodi decreta  
 clamant: *Qui dicunt, erat, quando non erat, &c. hos tales Anathema-  
 tizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* En in Catholicæ & Apostolicæ Ec-  
 clesiæ consensione robur.

Aderant sanè sacro conventui Presbyteri Romanæ Ecclesiæ, digniore  
 præ cæteris Patriarchis, uti decebat loco; & Osium Cordubensem Sylvestri  
 nomine adfuisse, (d) Gelasio Cyziceno auctori Græco ita ex actis referenti,  
 faci-

[d] *Osium Cordubensem Sylvestri nomine adfuisse* ] Concilio Nicæno firmis rationibus  
 probant viri eruditissimi Joannes Morinus, & Petrus de Marca. Nam quod quidam, ex  
 Eusebio, Socrate & Sozomeno, negabant Sylvestrum per suos Legatos Synodo præse-  
 disse, docet Morinus mutilos esse, ut nunc habentur, Eusebii codices, & eos etiam  
 quibus urebantur Socrates & Sozomenus, atque ipse Theodoretus; sed Gelasium Cyzi-  
 cenum nactum codicem integrum ea verba ex Eusebio, ut ipse profiteretur, descripsisse:  
*Osium obtinuit locum magnæ Romæ Episcopi Sylvestri.* Et revera planum erit conferenti  
 Eusebii textum cum verbis quæ Gelasius dicit à se ex Eusebio descripta, omisam esse  
 in vulgatis Eusebii editionibus, sive hoc sit ex amanuensium incuriâ, sive ex qua-  
 libet aliâ causâ, integram pericopam. Certè id quod legimus in Athanasio, de fuga  
 suâ & Ep. ad Solit. lectionem à Gelasio prolaram veram esse confirmat. Ipse Pho-  
 tius, quantumvis amaro esset in Romanos Pontifices animo, Cyziceno aditipulatur,  
 cum dicit: *legationem à Sylvestro injectam fuisse Cordubensi Osio & duobus Presbyteris Romanis.*  
 Vid. Joan. Mor. Lib. I. exerc. xx. D. de Marc. de Concord. &c. Lib. v. cap. III. n.  
 4. Hic observandum à nobis est D. Du Pleſſis-Prâlin, aliquâ ambiguitate deceptum  
 epistolæ Synodi Nicænæ ad Ecclesiam Alexandrinam, dicere in sua ad cœtum Gallica-  
 num, an. 1682. relatione, Alexandrum Alexandrinum huic Synodo præsedisse.



facile assentimur ; cum & nemo contradicat , & secutis Conciliis congruat , & VI. Synodus in Nicæna Synodo Sylvestrum Principem Constantino adjungat , ut Cælestinum Theodosio , Marciano Leonem . Cæterum neque antè , neque post Concilium Nicænum , adversus Arianos quidquam decretum esse legimus à Sylvestro Papa , quod Synodi sententiam vel præcederet , vel firmaret ; constatque falsa esse , quæ de Nicæno Concilio confirmato acta referuntur , ut suo dicemus loco : atque omnino in ipsa consensione vim omnem fuisse repositam , historiæ clamant . Notum illud Rufini : *Defertur ad Constantinum sacerdotalis Concilii sententia : ille tanquam à Deo prolatam veneratur , cui si quis tentasset obniti , veluti contra divina statuta venientem , in exilium se protestatur acturum* . Attestatur Eusebius : congruunt ipsius Constantini verba hæc ad Alexandrinam Ecclesiam scripta , statim absoluta Synodo : *Quod trecentis Episcopis visum est , non est aliud putandum quam Dei sententia . . . . quapropter nemo vestrum hæsitet , nemo moram interponat* . En in quo reponerent divinam illam vim , & indeclinabilem . Noster Sulpicius paucis & perspicue , uti solet : *Synodus apud Nicæam toto Orbe contrahitur : trecentis & duodeviginti Episcopis congregatis , fides plena conscribitur : hæresis Ariana damnatur : Imperator decretum Episcopale complectitur : Ariani nihil contra sanam fidem retractare ausi , se quoque tanquam acquiescentes , nec aliud sentientes , Ecclesiis miscuerunt* . Ita decreti robur in Episcopalis Collegii consensione est positum . Sequens aditipulatur ætas : & sanctus Leo ubique Nicænorum canonum decreta collaudat ; quæ sint à totius mundi Sacerdotibus constituta . Eo nomine tantam auctoritatem illa obtinuisse certum est .

In primo illo Concilio tres maximæ quæstiones , quæ Ecclesiam conturbarent , communi decreto terminatæ . Prima Arianorum de consubstantiali filio : secunda Paschatis : tertia rebaptizationis : quæ duæ postremæ jam à Romanis Pontificibus , Victore , & Stephano , judicatæ , non tamen obtinebant plenam auctoritatem , donec in Nicænâ Synodo penitus finirentur . Et quidem in exequendis adversus Arianos Nicænæ Synodi decretis , sedis Apostolicæ præcella & singularis auctoritas enituit . Id Athanasius alique fidei defensores à Sancto Julio Papa restituti , & Ariminensis Synodi à sancto Damaso soluta decreta , & Episcoporum orthodoxorum , maxime Orientalium ad Ecclesiam Romanam scripta clamant . Atque hæc in exequendo valuerunt : in decernendo verò consensio Ecclesiarum obtinuit , factoque Patrum decreto , aded res transacta putabatur , ut nulla mora interposita , nullo expectato sedis Apostolicæ speciali decreto , omnes ubique terrarum Episcopi , Christiani omnes , atque ipse Imperator , ipsi etiam Ariani , tanquam divino judicio cederent . Ex quibus duo hæc habemus : & fidei decreta communiter fieri , & ad exequendum commune decretum , sedis Apostolicæ sufficere auctoritatem . Atque hæc de prima generali Synodo . Jam ad secundam ordine veniamus .

Viñ. Aet.  
conc. vi.  
aet. xviii.  
Tom. VI.  
P. 1049.

Ruf. Hist.  
Ecel. Lib.  
I. c. v.  
Euseb. de  
vit. Const.  
Lib. III. c.  
XIV.  
Ep. Const.  
ad Alex. ap.  
Socr. L. I.  
c. ix. & T.  
II. conc.  
P. 61.  
Sulp. Sev.  
Lib. II. T.  
vi. Bib.  
Pat. p. 345.  
Leo Mag.  
ep. lxxx.  
edit. Quæ-  
nel. al. l. III.



## CAPUT VIII.

*Constantinopolitana prima Synodus secunda generalis in medium adducitur : ex eâ demonstratur quæstiones fidei sola Ecclesiarum consensione finitas .*

**C**ERTUM quidem est apud omnes ad Constantinopolitanam primam Synodum, quæ secunda generalis est, pro Spiritus Sancti tuenda Divinitate, centum quinquaginta Patres, ex Orientalibus tantum Provinciis confluisse. Certum item est, Orientalem Synodum, non nisi consensu Occidentis, & maximè Apostolicæ sedis, pro œcumenica haberi potuisse. Jam quæ ex ea Synodo in rem nostram conducant, hæc sunt : primum apertè fallum, quod nonnulli, illi quidem assentatores immodici, jactant : haberi Synodum ad Pontificis animum consilio tantum, & rei elucidatione adjuvandum ; cum Orientalis Synodus nec ipsi præsto fuerit ; & Constantinopoli in altera Orbis parte sederit . Quare omnino constat Patres eò maximè in Synodum œcumenicam congregari, quod in consensione & unitate robur auctoritatis invictum sit positum .

Id confirmant Constantinopolitani Patres in ea epistola, quam Theodoretus refert, ac Bellarminus laudat : cum relatis iis quæ circa fidem de Spiritu Sancto, quæque circa disciplinam à se decreta essent, id tantum postulant, ut Damasus & qui cum ipso erant Episcopi, *secum collætentur, intercedente spirituali charitate* ; atque ita futurum ajunt, ut, cum *verbum Dei communi sensu stabilitum, & Christiana inter nos charitas confirmata fuerit, dicere desinamus : EGO QUIDEM SUM APOLLO, EGO AUTEM CEPHÆ*. Videt eruditus lector, ut in *communi consensu* verbi interpretationem ac fidei stabilitatem collocent. Neque tamen arbitremur omnia ex æquo sedem inter Apostolicam atque Orientales Episcopos esse comparata : nam cum primum exorta illa est de Spiritu Sancto, & Divinitate contentio, vexati Macedoniani \* ad Liberium Papam, ut Catholicæ communionis Principem, tres ex suo coetu Episcopos destinarunt, ac rectam de Spiritu Sancto professi sunt fidem : quo facto, à Liberio cum literis communicatoriis dimissi, à Synodo Tyanensi statim suscepti sunt, Valente Imperatore. Refert Sozomenus, atque Basilus hoc tantum : Sed postea, *mota de Spiritu Sancto quæstione, an ejusdem cum patre & filio substantiæ esset, & crescente contentione, Episcopus urbis Romæ ( Liberius ) scripsit, re comperta, ad Orientis Episcopos, ut Trinitatem consubstantialem, & coequalis gloriæ una cum Occidentalibus confiterentur : quo facto, utpotè controversia judicio Romanæ Ecclesiæ terminata, quiescere, & quæstio finem accepisse videbatur*. Videbatur illud quidem, verum ubi quies illa non fuit stabilis, eoque res devenere, ut Synodi generalis auctoritate, Orbisque adunati consensione opus esset ; in ea consensione finis quæstionis ponitur à Constantinopolitanis Patribus, uti mox vidimus, atque ab omnibus Ecclesiis .



## CAPUT IX.

*Ad Ephesinam Synodum devenimus: referuntur ea quæ Synodum præcesserunt, demonstraturque à Sancto Cælestino Papa tota Sedis Apostolicæ auctoritate in NESTORII hæresim ac personam pronunciatum fuisse: an tale judicium pro irreformabili sit habitum: quæstio ex actis postea dissolvenda.*

**I**N Ephesinâ generali III. ac secutis Synodis omnia clarius elucescent: cum gesta sint præ manibus, extentque plurima circa fidem Romanorum Pontificum, totâ Cathedræ auctoritate prolata judicia, in Synodis postea generalibus retractata, nec nisi facto examine comprobata: quo nihil est ab infallibilitatis opinione magis alienum.

Ac de Ephesinâ quidem Synodo manifesta res est. Notum quid Nestorius Constantinopolitanus Episcopus innovarit, utque Christi personam unam dividerit in duas. Sanctus Cælestinus Papa pro suo officio Ecclesiæ rebus intentus, beato Cyrillo Alexandrino Episcopo præceperat, ut de Nestorii jam malè audientis doctrina, certa nuntiaret. Cyrillus id testatur epistolâ ad Nestorium. Itaque ad Cælestinum omnia scribit, Nestorii dogmata suaque exponit; binas à se ad Nestorium datas literas mittit: Nestorius quoque datis literis, & missis expositionibus suis Cælestinum in partes suas trahere conabatur. Sic sanctus Pontifex, acceptis utriusque partis literis, plenissimè instructus, à Cyrillo interrogatur in hanc formam: *Non prius ab illius (Nestorii) communicatione confidenter abstinuimus, quàm hæc tibi indicaremus. Dignare proindè aperire quid sentias, quò liquidò nobis constet, an communicare cum illo oporteat, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet.* Addit ejus sententiam ad alios quoque Episcopos perscribendam; ut omnes, inquit, uno animo, in eadem sententia persistant. En clarè à tanto viro, secundæ vel certè tertiæ sedis Patriarchalis Antistite, consulta Apostolica sedes, ejusque judicium expectatum: nihilque supererat, nisi ut Cælestinus ritè consultus Apostolicum exequeretur officium. Id verò ut præstiterit, acta alibi relata docuerunt.

(*In iis actis*) Cyrilli literas & doctrinam non modò probat; sed etiam Nestorii dogma perversum improbat; & quidem distinctè, quod beatam Virginem *Deiparam* dici nollit; decernitque eum Episcopatus & communionis exsortem, nisi intrâ decem dies à die denuntiati sententiæ numerandos, apertè rejiciat *hanc perfidam novitatem, quæ hoc quod Scriptura conjungit, nititur separare*; personam Christi scilicet. En Nestorii dogma præcisè improbatum, & clarè omnino Romani Pontificis, sub depositionis & excommunicationis interminatione, de fide pronuntiata sententia. Tum, ne quid desit, sanctus Papa Cyrillo *vices committit* suas, ut eam sententiam exequatur: *Nostræ, inquit, sedis auctoritate adscitâ, nostraque vice & loco, cum potestate usus.* Id ad Cyrillum; id ad ipsum Nestorium; id ad Clerum Constantinopolitanum; id ad Joannem Antio-

Ep. I. Cyrill. Alex. ad Nest. part. I. Conc. Ephes. cap. 313. VI. T. III. Conc. P.

Ep. Cyril. ad Cælest. ib. c. xiv. P. 344.

ib. p. 345.

Dissert. Præv. n. LIX.

Ep. Cælest. ad Nest. cap. XVIII. P. 353.

Epist. Cælest. ad Cyrill. c. xv. P. 349.

che-



Epist. ad chenum, tertiæ seu quartæ tûm Patriarchalis sedis Episcopum; id ad Nestib. c. Juvenalem sanctæ Civitatis Episcopum, quem præcipuè honorari Synodus xviii. pag. Nicæna præceperat; id ad alios quoque Episcopos scribit, ut data sen- 364. ad Cle. tentia ritè & ordine omnibus innotescat. C. P. c. xix. Jam suas partes Cyrillus exequitur, atque omnia, uti iussa erant, pe- p. 373. ad ragit. Cælestini decreta promulgat, exequitur, Nestorio denunciatur, post ioch. cap. decem illos dies à Cælestino præscriptos definitosque, nullam ei cum sa- xx. p. 377. cerdotibus sortem, nullum sermonem, nullum locum futurum. Nihil pla- vid. nov. nè deest, quo Apostolica auctoritas plenissimè exeratur. An verò senten- collect. Ba- tia, tantâ auctoritate prolata, postquam ingens dissensio exorta est, ac luz. p. 439. Synodi œcumenicæ injecta mentio, pro irreformabili sit habita, gesta se- ad Nest. c. quentia demonstrabunt. xxvi. p. 397.

## CAPUT X.

*Dicta à CÆLESTINO Papà de Fide, totâ Sedis Apostolicæ auctoritate sententia Concilii universalis mentione & convocatione suspenditur: id canonicè & ordine factum omnes Episcopi & Papa ipse confitetur*

**S**ÆPE diximus, sæpe dicemus, ita esse Ecclesiam constitutam, ut ad œcumenicam Synodum necessariò, non nisi extraordinariis casibus ac dissensionibus recurratur: cæterùm consueto ordine ita finiri subortas etiam gravissimas de fide quæstiones, si Romano Pontifici decernenti, Ecclesiæ consensus accesserit. Id in Nestorii causa manifestissimè liquet.

Planè confitemur Cælestini sententiam, ita ut Cyrillus speraverat, valituram fuisse ad novam hæresim comprimendam, nisi graves suborti motus, resque ea visa esset, quæ ad universalem Synodum deferretur.

Verùm Nestorius Regiæ civitatis Episcopus eâ auctoritate pollebat, eâ specie pietatis hominum animis illuserat, eos sibi conciliaverat Episcopos, eâ denique gratia apud Theodosium Juniorem Imperatorem & proceres erat, ut faciliè omnia commoveret. Itaque opus erat œcumenicâ Synodo, quodd de re maximâ ac de personâ in maximam dignitatem evecta ageretur: quod multi Episcopi, in his Orientales ferè omnes, hoc est Antiocheni tractus, atque ipse Patriarcha Joannes, à Cyrillo abhorrebant, & Nestorio favere videbantur: quod scissa hominum studia, totumque Orientis Imperium, Cyrillum inter atque Nestorium fluctuare videbatur. Hæc universalem Synodum postulabant.

Accedebant piorum atque orthodoxorum preces. Ecce enim religiosissimi Suppl. Ba- Monachi, pro fide orthodoxa ac Deiparæ voce à Nestorio multa perpeffi, fil. & Mo- Imperatori supplicabant: *Ut sacra & œcumenica Synodus coeat, qua præsentē* nac. Imp. **CHRISTUS** *sanctissimam Ecclesiam uniat, populum in unum reducat, ac* vid. Conc. *Sacerdotes sinceræ fidei prædicatores, priusquam impia illa doctrina [Nestorii]* Ephes. part. *latius serpat, loco suo restituat. Et iterum; Nos enim vos de œcumenicâ Synodo* i. c. xxx. n. *cogenda rogavimus, quæ aptissimè posset constabilire & erigere titubantia,* iv. p. 429. *sive*



*sive etiam fracti*. En post Romani Pontificis judicium, expetita à piis, per universalem Synodum, rerum titubantium invicta & ultima firmitudo. Ib. n. 6.  
P. 432.

His aliisque motus Imperator, hæc ad Cyrillum scripsit: *Pietatis doctrinam in sacra Synodo discuti & examinari volumus, & ratum esse, quod rectæ fidei consonum videbitur: sive illi, qui victi discedent, veniam impetraturi essent à Patribus, sive non.* Ep. Theod.  
ad Cyrill.  
ib. c. xxxi.  
P. 436.

Hic tria videmus: primum illud; post sancti Cælestini judicium, aliud adhuc requiri, Synodale scilicet: alterum, hæc duo in Patrum potestate futura, ut de doctrina, deque personis judicent: tertium, ratum id futurum, neque amplius retractandum, quod Synodus judicavit.

Addit: *Judices hujus rei esse oportere eos, qui sacerdotiis ubique præ-sunt, & per quos ipsi in veritatis sententia sumus & erimus.* En quorum fide nitimur. En in quorum judicio ultima & indeclinabilis sit auctoritas. Ibid.

Id secundum *Ecclesiasticos Canones* fieri & Imperator affirmabat, & Episcopi fatebantur. Itaque omnes & ipse Cælestinus ad Synodum se accingunt. Nihil ultra Cyrillus egit, Pontificii licet decreti executor à Cælestino dictus. Nestorius pristino loco mansit; universalis Synodi sententia expectatur; & diserte rescripserat Imperator: *Ut ante sanctissimam coactam Synodum, COMMUNEMQUE ejus sententiam, nihil quidquam a quoquam, in ulla prorsus re, privatim innovetur.* Rectè & ordine: id enim universalis Synodi Majestas postulabat. Quare & Cyrillus paruit, & Episcopi quieverunt: fixumque id, dicta licet ac promulgata Romani Pontificis sententia, de fide ac personis violatæ fidei causa judicatis, omnia in suspenso esse, postquam universalis Synodi expectatur auctoritas. Id ab Imperatore actum; id Episcopis, ac Papæ ipsi placitum vidimus; id jam in ipsa Synodo œcumenica comprobatum gesta frequentia declarabunt. Ib. Epist.  
II. Theod.  
ad Cyrill.  
c. xxxi. p.  
437.  
Ibid.

## CAPUT XI.

*Acta Synodi Ephesinæ recensentur: ejus actio I. Probat Synodus omnia quæ à CÆLESTINO decreta essent in suspenso manere, usque ad Synodi sententiam: quæ de fide gesta sunt referuntur, ostenditurque prolatum à Papa judicium ad examen legitimum fuisse revocatum.*

**L**ECTIS iis, quæ Synodum præcessere, ipsius Synodi gesta recensimus, atque incipimus ab actione prima.

Postea quam ergo Episcopi, atque ipse Nestorius Ephesum convenire, inchoata est Synodus universalis, Cyrillo Preside, ac Cælestini vices gerente; quippe qui Pontificiæ sententiæ ab ipso Pontifice constitutus executor esset. In prima actione hæc gesta sunt.

Primum lectæ Imperatoris Literæ eæ quas memoravimus, nempe ut œcumenica Synodus haberetur, utque omnia interim in suspenso essent: lectæ, inquam, hæc literæ, atque in gesta relatæ, probatumque à Patribus, & seq.

Conc. Ephes. act. I.  
p. 452. 453.

om-



omnia circa Nestorium à Cælestino decreta, suspensa fuisse, donec sacra Synodus ferret sententiam.

Ibid.

Quæres an Synodus tantum Imperatori licere voluerit, ut Sedis Apostolicæ sententiam ad effectum deduci interim prohiberet. Non ita ex gestis: sed potius interposita Synodi generalis auctoritate, cujus quidem convocatio, pro eorum temporum disciplinâ, Imperatori permitteretur: ipsa Synodus intellexit, omnia ipso jure in suspenso esse, atque à Synodi pendere sententia. Quare Pontificio decreto promulgato ac denunciato, decemque illis diebus jam diu evolutis, Nestorius ab ipsa Synodo pro Episcopo est habitus, & religiosissimi Episcopi nomine appellatus, & eo quoque nomine ter vocatus & citatus ut in sacra Synodo cum aliis Episcopis confederet: id enim diserte scriptum, *αὐτὸς παρῶν*; additum, ut ad objecta responderet. Omnino enim volebant, ut quocumque modo agnosceret universalem Synodum, in ejus poitea procul dubio potestate futurus. Sed venire renuit, & ne ipse adiri posset, fores suas armato milite obsideri voluit.

II. Hinc de fide quæsitum quod & id Imperator jussisset, & Canones postularent: lectaque Nicæna fides, ad quam omnia exigenterentur, ac postea de epistolis Cyrilli ac Nestorii ordine inquisitum.

Ep. Cæl.  
ad Cyril.  
part. I.  
Conc.  
Ephef. c.  
xv. p. 348.

Conc. Eph.  
act. I. pag.  
461.

III. Epistola Cyrilli prima deducta est ad Synodi judicium: illa, inquam, de fide ad Nestorium epistola, a Papa Cælestino tam expresse probata, de qua id edixerat ad Cyrillum: *Omnia quæcumque sentimus ac tenemus, te itidem sentire ac tenere perspicimus*; quam decreto in Nestorium per omnes Ecclesias promulgato, comprobaverat, atque adversus Nestorium *Canonicæ monitionis* instar haberi voluerat. De illâ, inquam, epistolâ quæsitum, Cyrillo auctore ac præeunte in hæc verba: *Persuasum habeo, nihil me ab orthodoxa fide aut Symbolo Nicæno discessisse; quare Vestram Sanctitatem rogo, ut coram exponat, rectè, & inculpate, sanctoque illi Concilio convenienter hæc scripserim, an secus*.

Et erunt, qui dicant quæstiones de Fide semel à Romano Pontifice auctoritate Apostolica judicatas, in Synodis generalibus examinari ad dictorum intelligentiam, non ad rei, quasi adhuc in quæstione positæ, definitionem. Audiant Cyrillum Synodi Principem: quid Synodo quærendum proponat attendant. Et quidem nullius errati sibi conscius, ne tamen sibi crederet, Synodi sententiam rogabat, in hæc verba: *Rectè & inculpate, an secus scripserim*. Hæc Cyrillus Synodi Princeps proponit in medium.

Quis vel fando audiit, post ultimum & irreformabile Ecclesiæ de Fide judicium, ita unquam quæsitum interrogatumque esse: Nunquam factum: id enim esset de ipsa Fide declarata & explorata dubitare. At id post Papæ Cælestini judicium factum est: neque Cyrillus aut quisquam aliud cogitabant: non ergo illud erat ultimum, atque irreformabile judicium.

Ex ea interrogandi forma Patres ordine censent, *Nicænum Symbolum, & epistolam Cyrilli per omnia consentanea & consentientia esse*. En quæstio; en examen; en deinde judicium. Gesta satis loquuntur: nos hic ne verbum quidem.

Producta deinde est Nestorii epistola illa, quam Cælestinus blasphemam atque impiam pronunciaverat. Ea verò legitur. Tum de ea quæritur, auctore Ib. p. 492. Cyrillo: *Nunquid hæc ipsa quoque Fidei à sancta Nicænorum Patrum Synodo*  
expo-



*exposita consentanea esse videretur, an non? Eadem planè forma qua de* Ib. p. 491.  
*epistola Cyrilli quæsitum erat. Patres ordine censent: à Symbolo Nicano* 593.  
*dissentaneam atque eò improbatam. Quo ritu, qua regula, probata Cy-* Ib. & p.  
*rilli est; eo ritu, eâ regula Nestorii epistola improbat. En bis in* seq.  
*eadem Ephesinæ Synodi actione, Romani Pontificis dictum ac promul-*  
*gatum de Catholicâ Fide iudicium retractatur. Quæ approbaverat, quæ-*  
*que improbaverat, æquè in examen revocantur, nec nisi quæstione ha-*  
*bita confirmantur.*

## CAPUT XII.

*Continuatio actionis primæ Concilii Ephesini: quæ circa NESTORII per-*  
*sonam à CÆLESTINO Papa decreta essent, ad Synodale examen*  
*& ipsa revocantur, nec nisi quæstione habita comprobantur.*

**H**Æc quidem de Fide gesta sunt actione I. Synodi Ephesinæ: jam quæ ad Nestorii personam eadem in actione pertineant recensemus.

Primum Cælestini ad Nestorium epistola legitur, & in acta refertur, ea scilicet qua de Nestorio ferebat sententiam: de quâ sanè sententiâ cum, postea perpensis omnibus, Patres iudicaturi essent, interim tantum in acta referri oportebat. In Cælestini epistolâ nihil erat peculiaris doctrinæ: tantum in eo versabatur, ut Cyrilli probaret doctrinam & epistolam; Nestorii improbaret, de quibus Cyrilli, ac Nestorii epistolis jam prolatum erat sanctæ Synodi iudicium, ut aliquid iis addere supervacaneum esset. Ib. p. 501.

II. Eadem verò causa, cum Cyrilli epistola lecta esset, ea scilicet, quâ Cælestini exequabatur sententiam, de ea epistola nihil speciatim actum, sed iustum duntaxat, ut in acta referretur. Ibid.

III. His gestis, de Nestorii persona pronuntiandum fuit. Quæsitum, ecquid ea quæ Cælestinus ad Nestorium scripserat, quæque exequendo Cyrillus egerat ad Nestorium perlata essent. Perlata esse compertum est, & eum ulque adhuc in sententia perstitisse, ac pridem effluxisse dies à Sancto Cælestino primum, tum postea ab Imperatore Synodum convocante præfixos. Hinc ad probationis cumulum, Patrum testimonia cum Nestorii exegesis componuntur: immanis discrepantia prodit Nestorium Novatorem adeoque Hæreticum: fit decretum in hæc verba: *Sancta Synodus dixit: Cum impiissimus Nestorius, neque nostræ citationi parere, neque Episcopos à nobis destinatos admittere voluerit; necessariò venimus ad examinationem eorum quæ impiè docuisset. Deprehendentes itaque partim ex literis commentariisque ipsius, partim è sermonibus, illum impiè sentire & prædicare, coacti per sacros Canones, & literas sanctissimi Patris nostri & comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi ad hanc sententiam venimus: Dominus noster JESUS-CHRISTUS, per hanc sanctissimam Synodum Nestorium Episcopali dignitate PRIVATUM ESSE DEFINIT.* Ib. pag. 508. & seq. Ib. pag. 533.  
*Vides Canones conjunctos cum Cælestini literis; magnificè sanè, & ad commendandam Sedis Apostolicæ majestatem. Vides Synodum executam, quæ Cælestinus decrevisset, atque his coactam, ad tristem sen-*



tentiam devenisse; sed nova & sua definitione edita in CHRISTI nomine: sed postquam legitima cognitione constitit omnia rectè & ordine gesta esse.

Ibid. p.  
545.

IV. Denique sententia Synodi pronuntiata ad impiissimum Nestorium scribitur: *Sancta Synodus Nestorio novo Judæ: scias te à sancta Synodo esse depositum*. Sic qui antè sacræ Synodi disquisitionem, *religiosissimus Episcopus* vocabatur, ea disquisitione facta, jam *impiissimus*, jam *novus Judas*, & ab Episcopali sede dejectus irrevocabiliter, & sententia promulgatur.

Sic maxima res, maxima consensione perfecta est, quæ nempe omnia in Ecclesiâ stare diximus; & ordo judicii ex se perspicuus: nempe à Cælestino sententia profertur; Concilii generalis convocatione suspenditur; cognitione examinatur, novo & irretractabili judicio roboratur, totius Ecclesiæ auctoritate conjuncta.

Ibid. p.  
571.

Id Patres profitentur relatione ad Imperatorem: *Nestorium à cathedra submovimus, & canonicè exautoravimus; Cælestinum magnæ Romæ Episcopum præconiis extollentes, qui ante nostram sententiam, Nestorii hæretica dogmata condemnaverat, nosque in ferenda contra eum sententia anteverterat*. Hæc illa unitas, hæc illa consensio, quæ invictum jam & inelutabile robur Ecclesiasticis judiciis præstat.

Ita congruunt omnia ac nostra sententia stabilitur: dum enim sedis Apostolicæ de fide, deque persona judicium sancta Synodus comprobatur & exequitur, ejusdem sanæ sedis legitimam potestatem & Primatum agnoscit. Dum autem illius judicium non probat, nisi per legitimam cognitionem & iteratum examen, Romanum Pontificem omnibus quidem Episcopis superiorem; uno tamen Concilio generali, etiam in causa fidei, inferiorem esse docet, quod erat demonstrandum.

### CAPUT XIII.

*Gesta actionis II. quibus præcedentia comprobantur: quid sit confirmare decreta, stylo Ecclesiastico, ex gestis demonstratur: in Synodi examine, atque judicio quæstionis finem non modo sacra Synodus, sed etiam Legati Apostolici, atque ipse etiam Papa Cælestinus agnoscunt.*

Conc. Eph.  
act. II. pag.  
610.

**D**Um hæc agebantur, Arcadius & Projectus Episcopi & Philippus Presbyter delecti à Cælestino erant, qui speciali mandato Sedis Apostolicæ totiusque Occidentalis Synodi, Ephesinæ Synodo interessent. Hi ergo Ephesum ab urbe adveniunt, ac sacro conventui adfunt, atque hinc actio secunda inchoatur.

Christ.  
Lup. varior.  
Patr. epist.  
c. ccxxvi.  
vid etiam  
novam col.  
lect. Baluz.  
pag. 382.

Lupus Lovaniensis inter alia antiquitatis acta, Cælestini ad Legatos commonitorium instructionesque, ut ipse Cælestinus vocat protulit. His præcipiebatur, ut *Sedis Apostolicæ tuerentur dignitatem: ne se Episcoporum dissidiis immiscerent, quorum quippè judices, cum Synodo utique esse deberent: cum Cyrillo, utpotè fido, agenda conferrent*. Jam quid his mandatis nixi præstiterint, ordine recensemus; atque his nostra firmari facile ostendimus.



Primum quidem proferunt sancti Cælestini epistolam ad Synodum, quæ Legatis injunctum officium explicatur his verbis : *Dirigimus sanctos fratres & confacerdotes nostros ... qui iis quæ aguntur intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt exequantur.* His constat Synodi Ephesinæ actionem in Apostolici iudicii executione versari. Cujusmodi autem sit illa executio, an merâ, ut ajunt, obedientia, an verò ipsius Synodi cognitione legitima, certoque jam & indeclinabili iudicio, sequentia demonstrabunt.

Conc. Ephes. a. 1.  
II. p. 611.  
Ib. p. 61. 2.

II. Lectis Cælestini literis. Legati consequenter ad Episcopos; ut quæ Cælestinus antea definire, & nunc in memoriam revocare dignatus est, juxta communis fidei regulam, AD FINEM NUMERIS OMNIBUS ABSOLUTUM deduci jubeatis; εἰς πέρας πληρέστων, AD FINEM PLENISSIMUM: qui Concilii fructus est, post cujus sententiam nulla nova discussio, novumque iudicium, sed mera executio. Atque id Legati possulant juberi à Synodo, in qua summam illam auctoritatem recognoscant.

Ibid.

III. Firmus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, pro Synodo respondet: Apostolica & sancta sedes Cælestini Episcopi præsentis negotio sententiam regulamque præscripsit. Græca habent: sententiam prius protulit ac regulam, seu *τυπος*, quam vocem paulo post formam vertit interpret. Nos de vocibus non litigamus: quid autem ipsa res sit audiamus eundem Firmum accurate explicantem: Nos, inquit, de Nestorio hanc formam executioni mandavimus, Canonicum Apostolicumque iudicium in illum proferentes: actione prima scilicet, qua, facto examine, & questione habita; Cælestini decretum firmatum vidimus. Sic exequitur Synodus generalis primæ sedis sententiam, legitima cognitione & inquisitione, nec simplicis mandatarii vice, sed canonico & Apostolico dato iudicio. Papale sanè decretum pro tantæ Sedis auctoritate sit forma, sit regula; sed quæ Synodo convocata, non nisi ex communi iudicio, plenam auctoritatem obtineat.

Ibid.

Ibid.

IV. Legatos quoque ad Synodum mandato speciali missos, quæ adversus Nestorium gesta essent, an satis ex canonum præscripto, & sedis Apostolicæ reverentia intelligere oportebat: id sæpè jam diximus. Quare merito petunt acta communicari, ut nos quoque, inquirunt, confirmemus. Illud confirmare quid sit, ipsa gesta eloquenter.

Ibid. pag. 639.

V. Postquam Legatis petentibus, data sunt, quæ in Nestorium acta essent, de iis actione tertia sic referunt: intelleximus omnia canonicè & ex Ecclesiastica disciplina judicata esse. Ergò canonicè & ex Ecclesiastica disciplina sedis Apostolicæ iudicia in Synodo generali, questione habita, retractantur, ac de iis iudicatur.

Ibid. a. 1.  
III. p. 611.

623.

VI. Cum Legati probassent acta in Nestorium sibi communicata, jam relegi petunt in publico confesso cætera, quæcumque Ephesi ab initio lecta gesta que essent: nempe inquirunt, ut obtemperantes formulæ sanctissimi Papæ Cælestini, qui hanc curam nobis commisit, vestræ etiam Sanctitatis iudicia confirmare possimus.

Ibid.

Posteaquam ergò relecta sunt omnia, ac Legati assensere, proponit Cyrillus sacræ Synodo, ut Legati obsignatione, ut moris est, planam ac manifestam faciant canonicam cum Synodo assensionem suam. Ad eam Cyrilli interrogationem, Synodus sic respondet, decernitque: ut Legati subscribendo acta confirmet: quo loco perspicuè ipsum confirmare à Synodo dictum

Ibid. p. 630.



tum, nihil aliud est quàm planam & manifestam suam assensionem facere, ut à Cyrillo erat propositum.

Hunc verum, genuinumque confirmationis sensum sæpè protulimus; sæpè proferemus; & nunc à sanctâ Ephesinâ Synodo tam clarè proponi nobis gratulamur.

Ib. pag.  
617.

VII. Jam verò quanti esset, auctoritate Legationis Apostolicæ sedis, ut ait Projectus, Legatorum unus, decreta Ephesina confirmari, hinc intelligitur; quod et si Cyrillus Papalis sententiæ executor dictus, eam in Synodo executus esset; non tamen ad Synodum expressè delegatus: de qua Synodo Cælestinus nondum cogitabat cum Cyrillo vices committeret suas. At Arcadius, Projectus & Philippus, expressè à Cælestino ad Synodum missi, mandati specialis auctoritate, Synodalia gesta firmabant, Ecclesiarumque omnium cum Ecclesia principali, Romana scilicet, claram omnibus modis ac testimoniis consensionem manifestabant.

Ib. p.  
616.

VIII. Huc accedit quòd Legati ad Synodum Ephesinam speciali mandato missi, non modò Apostolicæ sedis, sed etiam totius Occidentis ferebant sententiam. Undè Philippus Presbyter, unus Legatorum postea quam relecta omnia & communi consensu probata sunt, sic concludit: *Firmum ergò est juxta omnium Ecclesiarum decretum; (nam Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Sacerdotes, vel per se, vel certè per Legatos, Sacerdotali huic consensui intersunt, ) quod in ( Nestorium ) est pronuntiatum.*

IX. Hinc elucet ut sese mutuo ipsa Ecclesiarum decreta confirment: ea enim omnia vim habent confirmandi, quæ Ecclesiarum omnium consensionem unitatemque declarant; cum ipsa unitate & consensione mutua, decretorum Ecclesiasticorum firmitudo constet. Quare in edenda fidei expositione, Oriens & Occidens, Sedesque Apostolica & Synodici Conventus se mutuo firmant. Undè & illud legimus in Ephesina Synodo Cælestino acclamatum: *Cælestino custodi fidei; Cælestino cum Synodo concordi: unus Cælestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum.*

Ib. act. II.  
p. 618.

His ergò auditis Catholicæ unitatis acclamationibus, Philippus Legatus sic respondet: *Gratias agimus sanctæ venerandæque Synodo, quod sancta membra, sanctis vestris vocibus, sancto capiti vos adjunxeritis: non enim ignorat vestra Beatitudo totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse Beatum Petrum.* Hæc ergò summa auctoritas, summa vis: quod membra & inter se, & Romano Pontifici, ut capiti jungantur: quod ex consensione invictum Ecclesiastici judicii robar.

pag. 619.

X. Postremò Cælestinus ipse, re tota peracta ad sanctam Ephesinam Synodum mittit epistolam, quam sic auspicatur: *Tandem malorum sine gaudentium est.* Ubi finem agnoscat Lector eruditus intelligit: post damnatam scilicet, œcumenici Concilii, hoc est totius Ecclesiæ Catholicæ indeclinabili auctoritate, Nestorium. Pergit: *Hujus rei tam fideliter peractæ, vos executores videmus nobiscum fuisse.* Omnes decernunt, omnes exequuntur, dato scilicet communi judicio. Undè addit Cælestinus: *Dejectionem justam & exaltationem didicimus justiore.* Dejectionem Nestorii à Romana quidem Sede inchoatam, sed Synodi sententia ad finem usque perductam, *ἡ ἀποδομις*, ut supra vidimus: exaltationem Maximiani, in Nestorii

Ib. Part.  
III. Conc.  
Ephes. c.  
xx. p. 1069.

Ibid.

Ibid.



locum post Ephesina decreta continuo substituti . Hic quæstionis finis : hunc finem non in suo , sed in Synodi universalis examine atque iudicio , ipse etiam Cælestinus agnoscit .

Atque id gestum in illa Synodo , in qua post Christum natum Sedis Apostolicæ auctoritatem luculentissime commendatam esse constat ; neque tantum verbis , sed etiam factis . Certè sancta Synodus Philippum Legatum audit hæc vera & magnifica prædicantem de Sedis , Apostolicæ dignitate , deque Petro capite & fidei columna , & Ecclesiæ Catholicæ fundamento , & Christi auctoritate Clavium administro ; qui ad hoc usque Ib. act III. P. 626. tempus semper in suis successoribus vivat & iudicium exerceat . Hæc dicit , visis ipsius Concilii actis omnibus , quæ memoravimus : ut profectò intelligamus hæc omnia Petri Sedisque Apostolicæ privilegia , cum Synodi decretis & iterato iudicio , & habita de fide post Sedem Apostolicam quæstione , egregiè consentire .

## CAPUT XIV.

*Ephesinæ Synodi praxis quæ doctrina nitatur : Episcoporum auctoritas in Apostolis instituta : iis omnibus fidei depositum in commune traditum , & communi curâ custodiendum : Apostolici in Hierosolymis Concilii auctoritas in secutis Conciliis : hæc ex Cælestini epistola Ephesi lectâ quæ confutantur ii , qui docendi auctoritatem à Papa in Episcopos manare contendunt .*

**P**ost gesta relata , nostramque sententiam ex illis affirmatam , juvat etiam exponere sancti Cælestini Papæ doctrinam egregiam , unde ista manarint ; nempe ea epistola , quam ad sacram Synodum Legati attulerunt , hæc antè omnia præferebat : *Spiritus Sancti testatur præsentiam congregationis sacerdotum . Ac paulò post : Sanctum namque est pro debita sibi veneratione Concilium , in quo atique nunc Apostolorum frequentissima illius , quam legimus congregationis , aspicienda reverentia est . Nunquam defuit his Magister , quem receperant prædicandum : adfuit his semper Dominus & Magister ; sed nec docentes à suo Doctore deserti sunt unquam . Docebat ille qui miserat ; docebat qui dixerat quid docerent ; docebat qui in Apostolis suis se confirmabat audiri .* Hæc de Apostolis , ac primo illo Apostolico Concilio dicta : mox ad omnes Episcopos , atque ad secutâs Synodos conferuntur . Hæc , inquit , ad omnes in commune Domini Ep. Cælest. ad Synod. Ephes. act. II. p. 614. Sacerdotes mandata prædicationis cura pervenit : hereditario in hanc sollicitudinem jure constringimur , quicumque per diversa terrarum eorum vice nomen Domini prædicamus . Dum illis dicitur : **ITE DOCETE OMNES GENTES :** advertere debet vestra Fraternitas , quia accepimus generale mandatum : omnes etiam nos id agere voluit , qui illis sic omnibus commune mandavit officium : necesse est ut competenter nostros sequamur auctores ; subsamus omnes eorum labores , quibus omnes successimus in honore . Hæc denique sic concludit : *Agendum est labore communi ut credita : & per Apostolorum traditionem detenta , servemus .* Ibid. Math. XVIII. 19.

Ex

Act. II. Conc. Eph. p. 615.



Ex hac sancti Cælestini doctrina multa deducimus, primum illud: Episcopos in Apostolis Doctores constitutos ab ipso Christo, non utique à Petro, aut Petri successoribus. Nec indignum putat tanto loco positus Pontifex admiscere se reliquis Episcopis: *Omnes, inquit, Apostolorum vice nomen Domini prædicamus ... omnes illis successimus in honore.* Quo magis constet docendi auctoritatem, tam in ipsum Cælestinum, quam in cæteros Episcopos à Christo esse transfusam. Hinc omnibus traditum sacræ doctrinæ depositum, cujus custodia penes omnes sit, communique adedò cura & consensione constituendam fidem: neque defuturum Ecclesiarum Magistris Christi veri Magistri præsidium. Hæc Cælestinus in commune statuit de se omnibus Episcopis Apostolorum successoribus: tum illud confectaneum, ut quæstione de legalibus collecti Apostoli simul protulerint eandem Spiritus Sancti, suamque sententiam, ita porro futurum in aliis summis controversiis, Apostolorumque Concilium in Episcoporum Conciliis revicturum. Quæ profectò docent, non in Petri solius aut successorum Petri sententia, sed in omnium consensione, Conciliorum vim, & quæstionis finem esse repositam.

Neque propterea Cælestinus Primatum infringit suum, dum se annumerat reliquis Apostolorum successoribus. Ut enim reliqui Episcopi reliquis Apostolis, ita ipse Petro principi successor à Christo datus, ubique omnes præit Petri auctoritate, ut in eadem Synodo prædicatum gestumque legimus.

Sic in sancta Synodo generali III. ac primis illis sæculis, & contra hæreticos evincimus ubique præeuntem, atque omnium ducem sedis Apostolicæ potestatem, quodque est maximum, Petri nomine, atque adedò à Christo institutam; nec minus Catholicis ostendimus in eo collocatam ultimam & irrefragabilem Ecclesiastici judicii vim, cum ad Petri, id est, ad Papæ auctoritatem Episcoporum quoque toto orbe terrarum, Apostolorum vice, accedit auctoritas atque consensio; quod unum Ecclesia Gallicana postulat.

## C A P U T X V.

*Chalcedonensis Concilii IV. generalis acta proponuntur: referuntur ea quæ antecesserint: ex his demonstratur, etiam in fidei causis, post Romani Pontificis judicium, à totà Ecclesia ipsoque Romano Pontifice plenius ac majus, jamque irrefragabile judicium expectari.*

**J**Am acta Concilii Chalcedonensis generalis pervolvantur. Hæc antecessere. Duas in Christo naturas confundebat Eutyches, Archimandrita Constantinopolitanus, ac Monachorum pater, haud minus pervicax, quàm delirus senex. Is ergò damnatus à sancto Flaviano suo & Constanti-  
 Conc. Chal. nopolitane sedis antistite, Patriarchas quidem omnes, sed Romanum maxime Pontificem appellavit. Leo scribit ad Flavianum, ac jubet ad se cun-  
 Part. I. Ep. sta



*ita deferri* . Flavianus respondet, atque à Leone petit, ut nempè *proprium faciens communem causam, & sanctorum Ecclesiarum disciplinam, simul decerneret damnationem adversus eum (Eutychem) regulariter factam esse, & per propria dicta confortaret Imperatoris fidem*. Addebat : *Causa enim eget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad pacem cuncta perducere* : hoc est, aperta causa & plana est ; pauci adhuc sectatores, iique obscuri, nec magni nominis. Concludebat : *Sic enim hæresis quæ surrexit ... facillimè destruetur, Deo cooperante per vestras literas ; removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam sanctæ turbentur Ecclesie*. Et id ex disciplina, ut statim hæreses comprimantur, Episcopali primùm, tùm deinde sedis Apostolicæ providentia : neque statim necesse sit, Synodo universali convocata, sollicitari omnium Ecclesiarum pacem.

Ubi ad Leonem acta perlata sunt, ad Flavianum scribit : Sacramentum Dominicæ Incarnationis exponit *plenissimè, lucidissimè*, ut & ipse dicit, & omnes Ecclesiæ attestantur ; Flaviani fidem & acta laudat ; Eutychem ita damnat, ut ei indulgeri possit, si satisfecerit.

Hæc illa est nobilis ac planè cælestis epistola, quæ per totam Ecclesiam tanto postea studio celebratur ; quam nos idè intellectam volumus quoties simpliciter Leonis epistolam appellare contigerit.

His quidem quæstio finiri potuit, nisi ea incidissent, quæ ad Synodum Ephesi convocandam Imperatorem Theodosium juniorem impulerunt ; eum qui Ephesi jam primam illam sub Cælestino & Cyrillo indixerat.

De hac Synodo sanctus Leo ad Theodosium hæc scripsit, primum quidem *tam evidentem causam esse, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum* : quod etiam Flavianus cavisse videbatur. \*

Cæterùm cùm Imperator bono animo Synodum convocasset, Leo assentitur, atque eas ad Synodum dat literas, quibus Imperatorem laudat, quòd habere voluerit Episcopale Concilium, *ut pleniore judicio omnis error posset aboleri*. Memorat Legatos à se dirigi, qui vice, inquit, mea *sancto Conventui vestræ Fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia, quæ Domino sunt placitura, constituent*.

Ex his tria habemus : primùm quidem in fidei quæstionibus, non semper necesse esse Synodum œcumenicam convocari : tùm illud, post rem à se judicatam non refugi à Leone tanto Pontifice Synodale iudicium, si causa idonea sit : denique si Synodus habeatur, *pleniore judicio errorem aboleri & quæstionem à sede Apostolica, communi cum Episcopis sententia finiri oportere* : quo quidem plenum illud à nobis sæpè memoratum consensionis robur agnoscit.

At postquàm Dioscorus Alexandrinus Episcopus, Eutychis & fautor, omnia per vim & nefas egit, factumque est Ephesi, non Concilium, sed apertum lurocinium ; jam scisso Episcopali Collegio, totaque Ecclesia perturbata, Synodi secundæ œcumenicæ Ephesinæ nomine, ipse Leo agnoscit, novam Synodum generalem haberi oportere, quæ omnes *offensiones, ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum*. Ergò intelligebat schismata & tantam de ipsa fide fluctuationem

II. Leo Mag.  
ad Flav. T.  
iv, conc. p.  
ii, vid. int.  
ep. Leon.  
ed. Quesn.  
ep. XX. al.  
VIII.  
Ep. Flav.  
ad Leon. ib.  
IV. p. 15.  
inter Leon.  
ep. post e-  
pist. XXI.  
ib. p. 16.

Ep. Leon.  
ad Flav. in-  
teract. Con-  
Chalc. act.  
II. p. 344. &  
seq. inter  
Leo. epist.  
xxiv. al. x.  
Vid. Ep.  
Leo. ad Sy-  
nod. Chalc.  
Par. i. Con-  
ep. xl. pag.  
71. int. Leo.  
ep. lxxii.  
al. xlvii.  
Conc. Chal-  
Part. i. ep.  
xvii. int.  
Leon. ep.  
xxxiii. al.  
xvii.

\* In sui  
ad Leonem  
epist.  
ib. epist.  
xiii p. 34.  
int. Leon.  
xxix. al. xv.

Ep. Leo.  
ad Theod.  
ib. ep. xx.  
p. 46. int.



Leo. xxxix. animorum, non satis tolli posse per suum iudicium; & plenius, firmitus, al. xxxiv. auctoritate majus Synodi generalis iudicium, quo scilicet iudicio, omne jam dubium tolleretur, haud minus sapiens ac bonus, quam fortis Pontifex postulabat.

Cæterum Theodosius Imperator quamdiu existimavit Ephesi res ordine fuisse tractatas, de nova Synodo habenda nihil audire voluit. Rem Conc. Chal. enim transactam Ephesi depositione eorum qui mererentur; & nihil ulterius epist. xxxix. post hæc definiri possibile est, cum ista jam semel decisa sint. Ex his xxx. xxxi. liquet quo discrimine essent Romani Pontificis ac Synodorum generalium iudicia: cum iudicium quidem Romani Pontificis in Synodo retractetur: post Synodum verò, quamdiu ea legitima habeatur, nihil retractari, nihil audiri liceat.

Verum Theodosio paulò post mortuo, Marcianus Imperator, ubi intellexit Ephesino Conventui, propter vim & alia contra Canones gesta, Synodi œcumenicæ nomen atque auctoritatem à plerisque Episcopis, maxime verò à Romano Pontifice denegari; novæ Synodi convocationem petenti Leoni negare non potuit. Factum est igitur Chalcedonenſe Concilium, atque apud omnes constitit quædam esse circa fidem dissensiones ita graves, quæ non nisi Concilii œcumenici auctoritate definiri possint.

## CAPUT XVI.

In Chalcedonenſi Concilio duo ad rem faciunt; alterum Dioscori Patriarchæ Alexandrini; alterum examen epistolæ Leonis: hic de Dioscoro: demonstratur in causis, quæ universalem Ecclesiam spectant in ipsa consensione vim summam & indeclinabilem esse repositam.

Notum est omnibus Chalcedonem sexcentos atque amplius Episcopos convenisse, Paschasius & Lucentius Episcopi Leonis vice sanctæ Synodo præsidebant: dati ab Imperatore Iudices qui actionem regerent, turbas compescerent, quæstionem de fide, & Ecclesiastica omnia, in Synodi potestate ac iudicio relinquerent.

In ea vero Synodo, quæ ad rem nostram faciant, duo sunt; primum Dioscori depositio; alterum sententia Synodi de Leonis epistola comprobanda.

De Dioscoro, cum vocatus iudicio se non sisteret, ejusque scelera omnibus innotescerent, sic transactum. Paschasius sedis Apostolicæ Legatus Conc. Chal. Patres rogat: Quid placet vestræ Sanctitati volumus discere. Sancta Synodus aet. III. T. dixit: quod placet canonibus. Lucianus Episcopus dixit: à beatissimo Patre iv. Conc. p. nostro Cyrillo in sancta Ephesina Synodo quædam acta sunt: ipsam inspicientes 421. formam quæ placuerit date. Paschasius Episcopus dixit: jubet Pietas vestra, ut ultione Ecclesiastica utamur? Consentitis? Sancta Synodus dixit: omnes Ib. p. 424. consentimus. Paschasius Episcopus dixit: iterum dico, quid placet Beatitudini vestræ? Maximus Episcopus magnæ Antiochenæ civitatis dixit: quod vide-



videtur Sanctitati vestra, & nos conformes efficitur. Ita primam sententiam à sede Apostolica & formam quam vocabant, dari oportebat. Itaque Legati, Dioscori sceleribus enarratis, ita pronuntiaverunt: Unde sanctus Leo per nos, & presentem sanctam Synodum, una cum beatissimo Petro Apostolo, qui est petra & crepido Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, ab omni Sacerdotali potestate alienum declaravit. Anatolius Constantinopolitanus Episcopus: *Concors efficior*. Maximus Antiochenus Episcopus: *Sicut beatissimus Archiepiscopus & Pater noster Leo & Anatolius*. Cæteri eodem sensu: *Consentio, concors efficior, consentio damnationi à Synodo factæ, hæc eadem definitio, decerno*. Et subscriptum: *Paschasius definiens subscripsi: Anatolius definiens subscripsi: cæteri idem*.

Ib. p. 425.

Ib. &amp; p. seq.

Ib. p. 448. &amp; seq.

Sic à Petro capite, atque unitatis fonte orta sententia, in summam vini porro deducitur, consensione communi Episcoporum: Sic ut Apostolorum prima illa Synodus ubique repræsentetur.

Ex his intelliguntur ea quæ ad Theodosium Augustum Valentinianus Augustus scripsit: *Debemus cum omni devotione defendere & dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam & nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus .... locum habeat de fide & Episcopis judicare*. Neque tamen solus, sed ea conditione quam idem Imperator addit: *Ut prædictus Episcopus in his certè causis, quæ fidem & universalem Ecclesiæ statum tangunt, congregatis ex omni orbe sacerdotibus sententiam ferat*; communi quidem decreto, ut & ipse Leo postulaverat, & in ipsa Synodo factum fuisse vidimus.

r. Part.  
Conc. Calc.  
ep. x. xv. p.  
51. in t. Leo  
post. Epist.  
xlvi. al.  
xxviii.  
Ib. p. 54.

Eodem animo Pulcheria Augusta ad Leonem sic scribit de Episcopis convocandis: qui, inquit, *facto Concilio, de Catholica confessione & de Episcopis, te auctore, decernant*.

Ib. Epist.  
xxxv. p. 66.  
int. Leon.  
post. epist.  
lviii. al.  
xxxviii.

Idem quoque scribunt Valentinianus & Marcianus Augusti ad eandem Leonem: *Ut per celebrandam Synodum omnia, eo auctore, fierent: hoc præstructo fundamento, quod ipse Principatum in Episcopatu ... possideret*.

Hinc liquido constar, consueto ordine, & Papam auctorem esse debere & Episcopos assidentes cum ipso esse iudices; & ipsum irrevocabilis decreti robur in consensione esse positum; quod ipsum Pulcheria Augusta testatur, data epistola ad Strategum Consularem \*, qui omnem à Synodo vim prohibere jubebatur: *Ut cum omni disciplina confidente sancta Synodo, sine aliqua commotione atque contentione, quæ à Domino Christo revelata fuerint COMMUNITER AB OMNIBUS confirmantur*.

\* Bithiniæ.  
Ib. epist.  
xxxix. p.  
62 int. Leo.  
post. epist.  
lvii. alia.  
xcviii.  
Ib. epist.  
xxxix. p.  
70.

Interim sic Pontificem auctorem esse liquet, ut decreti vis, non sola Pontificis auctoritate, quod tunc nemo cogitabat; sed ipsa Concilii consensione & approbatione constet; Patresque ac Synodus condecernant, conjudicent, Synodique sententia Papæ sententia sit; quæ, Ecclesiarum accedente consensu, jam irreformabilis, irretractabilisque habeatur, quod unum postulamus.



## CAPUT XVII.

*Alterum caput in Synodo Chalcedonenſi tractatum, de expoſita fide: Sancti Leonis epiſtola, non niſi facto examine comprobata: Gallorum & Italorum ante Chalcedonenſe Concilium, de recipienda Leonis epiſtola, literæ ejusdem ſpiritus referuntur: decretum Apoſtolice ſedis, nonniſi conſenſione Eccleſiarum, irretactabile fieri, Chriſtiani omnes & iſe Leo conſentunt.*

**A**lterum caput in Chalcedonenſi Synodo tractatum, nempe firmata fides & probata Leonis epiſtola, ſic habet. Jam eam epiſtolam, antequam geſtam Synodum, totus ferè Occidens, & Orientales plerique, & ipſe Anatolius Conſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopus etiam ſubſcriptione firmaverant, & in ipſa Synodo Patres sæpè clamaverant: *Sicut Leo, ita credimus; Petrus per Leonem locutus eſt, epiſtolæ omnes ſubſcripſimus; ſufficiunt ad fidem quæ expoſita ſunt; alteram expoſitionem non licet fieri.* Eoque res proceſſerat ut definitionem à Synodo fieri ægrè paterentur. Sed in tantis Eccleſiæ turbis, ad animos tranquillandos, neque privatim ante Synodum factæ ſubſcriptiones, neque tanti in Synodo Patrum clamores ſufficere viſi; ne clamoribus magis tanta res, quàm æqua & legitima diſceptatione tranſacta videretur. Et Clerici Conſtantinopolitani dicebant: *Paucis clamant, non tota dicit Synodus.* Placuit ergò Leonis epiſtolam ad legitimum Concilii examen revocari, & ab ipſa Synodo de fide conſcribi definitionem. Itaque lectis antecedentium Synodorum geſtis, de Leonis epiſtola iudices ita propoſuerunt: *Quoniam Evangelia poſita ſunt, ſinguli Reverendiſſimi Epiſcopi doceant, ſi expoſitio CCCXVIII. Patrum \* & poſt hæc CL. Patrum \*\* conſonat epiſtolæ ſancti Leonis.*

\* Nicæ-  
noram.  
\*\* C. Porum.

Ibid.

Ibid. &  
pag. ſeq.

Postquam de examinandâ Leonis epiſtola interrogatio in eam formam facta eſt, operæ pretium erit Patrum ſententias, &, ut ajunt, vota penſare; ut intelligamus ab ipſa origine, cur epiſtola placuerit; cur poſtea tanto ſtudio defenderetur; cur denique tam exacto ſynodi examine probaretur. Primus Anatolius ſic dicit ſententiam: *Epiſtola ſanctiſſimi Leonis conſonat ſymbolo CCCXVIII. Patrum & CL. Patrum; ſed & his quæ in Epheso ſub ſanctiſſimo Cyrillo: quapropter conſenſi, & libenter ſubſcripſi.* Id erat apertè deliberantis, non autem cæco, ut ajunt impetu, ex merâ obedientia ſubſcribentis. Cæteri in eundem ſenſum: *Concordat, & ſubſcripſi.* Multi diſertè & expreſſè: *Concordat, & ideo ſubſcripſi.* Additum à quibusdam: *Concordat & ſubſcripſi, cum rectè habeat.* Alii: *Concordare certò ſcio.* Alii: *Cum eſſet conſona & eundem haberet ſcopum, amplexi ſumus & ſubſcripſimus.* Alii: *Hanc jam olim tenuimus fidem: hanc tenemus; in hac baptizati ſumus, in hac baptizamur.* Alii & magna pars: *Cum viderem, cum ſentirem, cum deprehenderem, cum invenirem conſentire, ſubſcripſi.* Alii: *Perſuaſus, inſtructus, certior factus, quod omnia conſentirent ſubſcripſi*



*cripsi*. Multi exponunt difficultates suas, plerasque ex lingua peregrina ortas, alias ex rebus ipsis, & audisse quidem epistolam, & in plurimis re-  
*etè habentem comperisse: aliqua verba obstitisse, quæ partitionem aliquam in*  
*Christi persona demonstrare viderentur*. Addunt à Paschasino & Legatis  
 doctos esse, quod nulla partitio esset, sed unus Christus: ideò, inquirunt,  
 consensimus & subscripsimus. Alii enarratis iis quæ Paschasinus & Lucen-  
 tius dixerant, sic concludunt: *Per hoc nobis satisfactum est, & per omnia*  
*consonare æstimantes sanctis Patribus, consensimus & subscripsimus*. Quo loco  
 Illyriciani Episcopi & alii, qui ante illud examen epistolæ acclamave-  
 rant, iterum clamaant: *Eadem omnes dicimus & his consentimus*, ut pro-  
 fectò, & in ipsa Synodo, & ante Synodum, ita consensisse constet, quod  
 re considerata, convenire omnia cum Patribus estimarent, judicarent, per-  
 suasi essent, & communem omnium ac singulorum fidem à Leone ex-  
 positam esse intelligerent.

Ib. p. 491

Ibid.

Hæc quidem Chalcedone gesta sunt; sed & ante Chalcedonensem Sy-  
 nodum Galli nostri, habita in Galliis Synodo, \* de recipienda Leonis  
 epistola, sic ad ipsum Leonem scripserunt: *Multi in ea ( Leonis ad Fla-*  
*vianum epistola scilicet ) gaudentes pariter & exultantes, recognoverunt*  
*fidei suæ sensum, & ita se semper ex paterna traditione tenuisse, ut ve-*  
*ster Apostolatus exposuit, jure letantur*. Nonnulli sollicitiores facti Bea-  
 titudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur in-  
 structos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè & fiducialiter,  
 suffragante etiam Apostolicæ Sedis auctoritate, eloquantur, & asserat unus-  
 quisque quod credit.

Congruunt Itali \*, auctore Eusebio Mediolanensi Episcopo: *Claruit*  
*eam, ( Leonis ad Flavianum epistolam ) plena fidei simplicitate fulgere,*  
*Prophetarum etiam assertionibus, Evangelicis auctoritatibus, & Apostolicæ*  
*doctrinæ testimoniis radiare, omnibusque sensibus convenire, quos sanctus*  
*Ambrosius de Incarnationis Dominicæ Mysterio, suis libris, Spiritu Sancto*  
*excitatus inseruit. Et quia omnia, Majorum fidei nobis antiquitus tradi-*  
*ta, conveniunt, placuit omnibus, qui impiè de Incarnationis Dominicæ*  
*Sacramento sentiant, suo etiam consensu, auctoritatis vestræ sententia,*  
*damnatione congruè persequendos*. En auctoritatis sententia in Romano  
 Pontifice; En Episcoporum cum Romano Pontifice auctore consensus,  
 isque explorata veritate præstitus. Sic probabant, sic subscibeabant, sic  
 epistolam communis fidei sensibus congruentem, talemque à se reper-  
 tam atque judicatam ubique valere conjunctis cum Apostolica Sede sen-  
 tentiis decernebant: quæ mirificè consentiunt iis, quæ modò in Patrum  
 Chalcedonensium sententiis legimus.

Hoc est illud examen epistolæ Leonis Chalcedone Synodicè factum, &  
 in gesta relatum; quo demum factò, epistola jam ut certissima ac per-  
 fectissima, nec amplius retractanda fidei regula proponitur. En quod irre-  
 tractabile, seu mavis, irreformabile Leo censuit; quod quidem cum illo  
 & cum Chalcedonensibus Patribus censuisse nemini fraudi esse potest. Ab  
 Apostolica Sede forma perfertur, sed quæ judicio, eoque libero, recipi  
 debeat: & Episcopi singuli, ita summo inferiores, ut de ejus quoque de-  
 creto universi judicent.

\* XLIV.  
Episcopo-  
rum.Ep. Episc.  
Gallor. ad  
Leon. T. I.  
Conc. Gal.  
p. 93. T. III  
Conc. Lab.  
p. 1329 &  
int. Leon.ep. post ep.  
LXXVI. al.XCVIII.  
\* Numero  
XII.Ep. Synod.  
Euf. Med.  
Episc. & E-  
pisc. Ital.  
Tom. III.Conc. pag.  
1334. & int.Leon. epist.  
post epist.LXXVII.  
al. LII.Vid. Dif-  
fert. præv.  
n. LXI.  
Leon. Ep.  
ad Theod.  
XCIII. al.  
LXIII.



Neque aliter intelligebant dubitationem omnem tolli potuisse . Ecce  
 Concil. enim Imperator , peracta demum Synodo , sic edicit : *Cesset igitur jam*  
 Chalc. part. *profana contentio : nam verè impius atque sacrilegus est , qui post tot sacer-*  
 III. c. III. *dotum sententiam , opinioni suæ aliquid tractandum reliquit .*

p. 840.  
 Ibid.

Exinde omnem de religione prohibet disputationem . Nam , inquit ,  
*injuriam facit judicio religiosissimæ Synodi , si quis semel judicata ac rectè*  
*disposita revolvere , & publicè disputare contendit .*

En in Euthychetis condemnatione ordo Ecclesiasticorum judiciorum  
 circa fidei quæstiones . Nempè is à proprio Episcopo Flaviano judicatur ,  
 à sancto Leone Papa causa recognoscitur , retractatur , Sedis Apostolicæ  
 definitione deciditur ; post eam definitionem , Patrum seu Episcoporum  
 in Concilio generali examen , inquisitio , judicium sequitur ; post appro-  
 batam Patrum judicio definitionem , jam nullus dubitationi aut disputatio-  
 ni locus .

Epist. Leo.  
 ad Ep. Gal.  
 LXXVII.  
 at. LII.

Neque aliter Leo : *Nullum jam excusationis refugium de ignorantia ,*  
*vel de intelligentiæ difficultate conceditur ; cùm sexcentorum ferè fratrum ,*  
*Coepiscoporumque nostrorum Synodus congregata , nullam artem ratiocinan-*  
*di , nullum eloquium differendi contrà fundamentam fidei divinitus inspi-*  
*rata permissit : quoniam adnitentibus per auxilium Dei fratribus & Vica-*  
*riis nostris . . . . non solum Sacerdotibus Christi , sed etiam Principibus &*  
*Potestatibus Christianis , cunctisque Clericis , plebibus , ordinibus , plenè at-*  
*que evidenter apparuit , hanc esse verè Apostolicam fidem . . . . quam sin-*  
*ceram & ab omni face totius erroris alienam , sicut accepimus , prædicamus ,*  
*& , universo jam mundo consentiente , defendimus .*

Sic summum jam & indeclinabile decreto Apostolico robur accedit ,  
 posteaquam universali inquisitione , examinatione , discussione , atque  
 exinde consensu ac testimonio roboratur .

## CAPUT XVIII.

*Adversariorum effugia : BELLARMINUS & BARONIUS diversa sectan-*  
*tur : aliorum cavillationes : de Theodoro in sedem restituto agitur ,*  
*ex eoque facto nostra sententia confirmatur .*

Bell. lib.  
 II. de Conc.  
 auctor. c.  
 XIX. vid.  
 diff. præv.  
 n. LX.

JAm quidem pernoscimus Bellarminum hac decreti Pontificii examinatio-  
 ne permotum , sic respondisse : *Leo epistolam suam miserat ad Concilium ,*  
*non ut continentem ultimam & definitivam sententiam , sed ut instructio-*  
*nem , qua adjuti Episcopi meliùs judicarent . Nempè hoc unum effugium*  
*superest : ad hæc misera & inepta , viri , quamvis egregii , rediguntur . Nem-*  
*pè nisi omnia quæ huc usque lecta sunt , aut contemnimus , aut oblivisci-*  
*mur , hanc epistolam Leo , non ad Synodum instruendam misit , de quâ*  
*cum scriberet nemo cogitabat . Non ergo instruit Synodum , sed delatam*  
*ad se quæstionem suæ Sedis auctoritate judicat . Hanc exponit fidem ; hanc*  
*ad omnes Ecclesias mittit ; his damnat Eutychem ; probat Flavianum : quæ*  
 nisi



nisi plena Sedis Apostolicæ auctoritate fiunt, jam nescio, quomodo & ubi ea sese auctoritas exeruerit unquam. Quid autem causæ esset cur ultimam sententiam non proferret Leo, appellante Eutyche, rogante Flaviano, ut de se actisque suis tantus Pontifex pro potestate decerneret? Scilicet homo imbecillis atque cunctabundus, nec satis agnoscens sibi à Deo creditam potestatem, Eutychem cum aliquot Monachis metuebat. Hæc enim initia erant: hoc temporum articulo scripsit epistolam. An expectabat ut suborta hæresis glisceret, totumque orbem flamma corripere? Aut fortè quæstionis obscuritate turbatus hærebat, expectabatque Concilii œcumenici sententiam: qui omnia à se *plenissimè & lucidissimè* enucleata esse profitetur. Quid quod ad Imperatorem scribit: *Tam evidentem causam esse, ut ab indicenda Synodo fuisset abstinendum?* Hæc scribens tantus Pontifex, tamen, si Bellarmino credimus, non de judicanda quæstione, sed de instruenda Synodo cogitabat. Miserum verò est tam absurda fectari, atque insuper adversarios perniciosi contra ipsam fidem erroris arguere. At hic videre est, ut prædiximus. Bellarminum ac Baronium, dum nihil solidi succurrit, æstuantes, atque in diversa pertractos. Nempè Baronius epistolam videns tota Sedis Apostolicæ auctoritate scriptam, contendit à Leone scriptam, *ut fidei regulam*: Bellarminus videns à Synodo examinatam, non eam, *ut fidei regulam*, sed tantum ut Synodi instructionem agnoscit. Quo conflictu, ac rerum perspicua serie eò deducimur, ut eam & pro cathedræ Apostolicæ auctoritate perscriptam, & tamen ab Ecclesia Catholica, ac Synodo universali adhuc examinandam ex Patrum traditione agnoscamus: quæ Parisiensem & Ecclesiæ Gallicanæ ipsissima sententia est.

Novi qui Bellarmini responsa erubescunt; hæc verò haud meliora proferunt. Certa res, inquiunt, Leoni erat; *plenissimè, lucidissimè* à se exposita omnia noverat, & ad Synodum Chalcedonensem scripserat, neque in dubium revocari sinebat à Legatis: *Fidem*, inquit, *non patiamini in dubium revocari*. Examen igitur illud, non ex dubitatione, sed ad ampliores jam notæ & creditæ veritatis elucidationem pertinebat. Hæc illi. At si res ita est, quid vetabat examinari Conciliaria quoque decreta? Quid ipsas etiam Scripturas? Non autem id factum unquam. Ergo cum Chalcedone examinaretur Leonis epistola, aliud agebatur, quàm id quod isti fingunt. Neque verò Chalcedonenses luculentiorum ipso Leone, qui omnia *lucidissimè explanaverat*, sed auctoritate firmiorem protulere sententiam. Neque audiendum illud: sancto Pontifici explorata erant omnia: ergo in tanta certitudine, nullum quæstioni, nullum examini, quale nos dicimus, permittebat locum. Nempè id qui obijciunt, ne mihi quidem intellexisse videntur, quid sit examen in negotio Fidei; cum præsertim de summis, ac præcipuis Christianæ religionis dogmatibus agitur. Neque enim aut Patres Nicæni, cum de Arianis quærent, de Filii Divinitate ambigebant: sed quàm ab ea fide Ariani abessent, quibusque sententiis ac verbis infans error confutandus esset. Neque Ephesini, cum de Nestorii & Cyrilli, atque adèd de Cælestini fide inquisitio fieret, ipsi de fide dubitabant: sed rectè an secus illi fidem exposuissent. Neque item Chalcedonenses ullo modo dubitabant, quis esset Christus, Deus ne an homo verus, an confusus naturis quid tertium, sive aliud

Epist. Leo.  
ad Synod.  
Chal. i. par.  
op. xl. p. 71.  
int. Leon.  
ep. lxxii.  
al. xlviii.  
Ib. Ep.  
xiii. pag.  
34. int.  
Leo. xxix.  
al. xv.  
Diff. præv.  
n. lx.  
Bell. loc.  
jam cit.  
Baron. an.  
449. T. vi.  
p. 80.  
Vid. Duv.  
& alios.  
Leon. Ep.  
lxxiii. al.  
xlvi. ad  
Marc. cap.  
II.



portentum Eutychiani cogitarent, non id sanè quærebant; sed verè & ex communi Patrum & Ecclesiæ sententia tantum sacramentum Leo exponeret. Ac certum Leoni erat, à se *plenissimè* expositam fidem: rectè. An & id omnibus æque certum exploratumque esset quærebatur. Episcopi ergò ad quos perlata erat Leonis epistola, ejus sensum quisque cum ea fide componebat, quam ipsi à Patribus acceperant. Neque cæca, ut ajunt, obedientia, sed ex certa & expressa inquisitione parebant.

Certè multos vidimus optima fide dubitasse, neque subscripsisse, nisi postquam ipsis satisfactum fuit. Ergò verè & propriè rem examinabant ut nondum exploratam; ac Leoni quidem Petri loco sedenti id certum fuisse visum, præjudicii cujusdam instar, magnæque ac validæ præsumptioni loco erat, sed postquam idem quoque omnibus visum est, non tantum præsumptio, sed omnibus modis fixa sententia & irretractabile judicium (e).

At enim, inquiunt, plerique ex Patribus jam ipsam epistolam subscriptione firmaverant, & omnes clamabant hanc esse suam fidem. Sanè; sed jam ordine & legitimè declarandum restabat, undè is sibi sensus: nempe quod rectè examinantibus constitisset Leonis sententiam, cum antiqua fide quam hauserant, consentire. Id ergò simul in Synodo faciunt, quod singulatim antè Synodum quique fecerant, & prolato communi judicio, quæ senserant, firmant.

Ergone singulis quoque Episcopis examen relinquimus? Certè non examen juridicum, quo singuli decretum superioris Judicis solvere & irritare possint; sed examen hujus generis, quo cuique constet, nihil sibi imperatum, atque propositum quod Divinæ legi ac veritati traditæ repugnet. Præmissimus enim ex Innocentio quoque IV. non tantum egregio Pontifice, sed etiam optimo Pontificii juris interprete, Episcopos inferiores capiti suo Romano Pontifici dicto audientes esse debere, sub hac tamen exceptione: *Nisi mandatum hæresim contineret, vel nisi ex præcepto injusto vehementer præsumeretur, statum Ecclesiæ turbari, vel etiam fortè alia mala ventura*. Hæc Innocentius cujus doctrinam amplectuntur omnes. Quo ex fonte illud prodiit, alio loco memoratum, quod ad Paschalem II. à sanctissimis Episcopis, ex Concilio Provinciali Viennensi perscriptum est, ipso etiam Paschali probante: *Si nostræ Paternitatis assertiones prædicatas roborare nolueritis, propitius sit nobis Deus, quia nos à vestra subjectione & obedientia repellitis*. Ex quibus aliisque constat, hoc Episcopis docturis utique gregem ex auctoritate, non autem simpliciter credituris, examen competere; hoc

(e) *Irretractabile judicium* ) Ultramontani excerpunt verba quædam Concilii Chalcedonenfis, quibus Papam ab hujus Concilii Patribus infallibilem creditum probent. Sanè ipsi si Synodo adfuissent, non si vissent Episcopos de Leonis epistola tantas movere controversias, tam facile confopendas hoc suo responso: *qui falli non potest Leo Pontifex locutus est*. At vero Pascasinus & alii Legati id ne semel quidem dicunt, quod tamen ut dicerent, ipsa causa docendorum Episcoporum postulabat, & brevi præcidendæ quæstionis necessitas; si revera ipsi hanc opinionem imbiberant. Non ergò credebant Episcopi illi, qui de Leonis epistola tantoperè litigabant, Papam esse infallibilem: non id quoque credebant ipsi Legati, qui nedum litrem eo modo componerent, difficultates fieri æquo animo patiebantur, & ea verba epistolæ, quæ Græcis hominibus obscura, aut etiam falsa videbantur, diluebant, & explanando comprobabant.

Sup. diff.  
præv. num.  
LXXVIII.  
LXXIX.  
Inn. IV.  
c. Quanto  
de consuetu-  
dine. Lib. I.  
Dec. Tit.  
IV. fol. 33.  
ib. c. Inqui-  
sit. de sen-  
tentia ex-  
communica-  
tionis. lib. V.



hoc ab illis fieri, five in Synodo, five extra Synodum, Chalcedonenſia & alia à nobis recenſita geſta declarant.

Aut verò dicant velim, qua ratione, non jam de Romanorum Pontificum decretis, ſed de aliorum ſcriptorum literis & tractatibus judicatum putent? Verò certè examine, tanquam de re dubia. Ita enim Cyrilli; ita Neſtorii expoſitiones in Ephreſina Synodo: ita aliorum in aliis Synodis ſcripta explorata ſunt, & ad certam exacta regulam; fidem Patrum ſcilicet. Atqui de Leonis epiſtola non aliud geſtum: quòd cum conceſſerint, atque ex actis viderint, fateantur neceſſe eſt; quà ratione, quoque jure atque ordine, de ſcriptis aliorum in Synodis œcumenicis inquiri ſit ſolitum, eadem ratione, atque ordine ac jure, in Chalcedonenſi quoque œcumenica Synodo, de Magni Leonis epiſtola inquiſitum eſſe: quod & per ſe clarum, & à Synodo V. expreſſe declaratum, ut ejus Synodi acta ſequenti capite recenſenda demonſtrant.

Sic duo illa expeditimus, quæ ab initio ſunt commemorata: nempe Dioſcori condemnationem, & approbationem epiſtolæ ad Flavianum. Tertium addimus quod ad rem noſtram pertineat, de Theodoreto in ſuam ſedem reſtituto. Is (f) igitur cùm jubentibus Epiſcopis, Neſtorium apertè anathematizaret, *glorioſiſſimi judices dixerunt: omnis jam dubitatio de Theodoreto eſt ſoluta; quippe & Neſtorium coram vobis anathematizavit; & a ſanctiſſimo Archiepiſcopo ſenioris Romæ Leone ſuſceptus eſt, & definitionem Fidei à Religioſitate veſtra prolataſ libenter ſuſcepit: & inſuper epiſtolæ memorati ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis ſubſcripſit. De eſt igitur ut ſententia proferatur à Deo amabili ſanctitate veſtra, ut Eccleſiam ſuam recipiat, ſicut & ſanctiſſimus Leo Archiepiſcopus judicavit. Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Theodoreto dignus eſt ſede . . . . . poſt Deum Leo judicavit. Nihil ergo Theodoreto profuturum erat prolataſ à Leone de eo in ſedem reſtituendo judicium; niſi poſtquàm ad Synodum perlata res eſt, & fidem ſuam Synodo approbaſſet, & ab eadem Synodo Leonis judicium firmaretur. Hæc geſta ſunt Legatiſ Sedis Apoſtolicæ præſentibus, ac poſteà pronuntiantibus eam de firmando Leonis judicio ſententiam, quam tota Synodus comprobavit.*

Tit. XXXIX.  
fol. 595.  
Diff. præv.  
loc. jam cit.  
vid. epiſt.  
Conc. Vien.  
an. 1112.  
T. x. Conc.  
p. 785.

Conc. Chal.  
act. VIII.  
p. 621.

Ibid. pag.  
624.

## CAPUT

(f) Is) Theodoreto, cùm dubitare viſus eſſet dicere anathema Neſtorio, Epiſcopi clamaverunt: *Iſte hereticus eſt, iſte Neſtorianus eſt, hereticum foras mitte. Quæ verba optime probant id quod dicit D. BOSSUET: nihil Theodoreto profuturum fuiſſe à Leone prolataſ judicium, niſi à Synodo hoc judicium firmatum eſſet.*



## CAPUT XIX.

*Concilium V. generale, seu Constantinopolitanum II. in medium adducitur in eo referuntur III. & IV. Synodi acta jam à nobis recensita & clarè docetur Romanorum Pontificum, ut & aliorum scripta, nonnisi inquisitione factà à Synodi comprobari: undè trium simul Synodorum acumenicarum auctoritas nostram sententiam firmat.*

**A**cta Constantinopolitanæ secundæ Synodi, quæ quinta est generalis, sub Vigilio Papa, ac Justiniano Principe demonstrabunt, ita ut III. & IV. Synodi decreta intelleximus, ita à V. Synodo fuisse intellecta: quæ eam traditionem ex proximo sumpserit, ac nobis reliquerit.

De tribus capitulis agebatur; hoc est, de Theodoro Mopsuesteno, de Theodoretis scriptis adversus Cyrillum, deque Ibæ Edeseni epistola ad Marim Persam. Quærebatur eane epistola probata esset in Chalcedonenſi Synodo. Atque eam quidem epistolam Chalcedone lectam esse constabat, ac susceptum Ibam à sancta Synodo, cum Nestorium anathematizasset. Quidam personæ veniam datam tantum; alii epistolam quoque probatam contendebant: quæsitum ergò in Synodo V. quo ritu probari scripta de fide consueſſent in Synodis anterioribus III. & IV. Synodi acta replicantur eaque quæ supra memoravimus, de epistola sanctorum Cyrilli & Leonis. Tum sancta Synodus dixit: ex his quæ recitata sunt, manifestum est, quomodo sanctæ Synodi ea, quæ apud eas proferuntur, probare solent. Cum enim illi sancti viri, qui recitatas epistolas scripserunt, sic splenduerint, tamen epistolarum earum comprobationem NON SIMPLICITER, NEC SINE INQUISITIONE fecerunt, nisi per omnia COGNOVISSENT consonare eas expositioni & doctrinæ sanctorum Patrum, ad quam collatio facta est. De Ibæ autem epistola non esse ita gestum constabat ex actis. Eam ergò epistolam non esse probatam optimè concludebant. Sic igitur certum ex III. & IV. Synodis, ita desiniente & intelligente quinta, epistolas à sede Apostolica comprobatas, qualis Cyrilli fuit, aut etiam ab eà profectas, qualis Leonis fuit, NON SIMPLICITER, NEC SINE INQUISITIONE à sanctis Conciliis receptas fuisse.

Rursus in eadem quinta Synodo contra Nestorii epistolam acta leguntur, quibus Ephesini Patres diserte pronuntiant: nullo modo consonam esse Nestorii epistolam fidei, quæ Nicæa exposita fuit. Sic & illa epistola non simpliciter quoque, sed facta, ut par erat, inquisitione rejecta est; damnatusque Ibas, qui diceret Nestorium ab Ephesina Synodo sine examinatione & quæſtione esse rejectum.

Pergunt sancti Patres, & quod Chalcedonenſes Episcopi facturi fuissent, si epistolam Ibæ examinandam suscepissent, id ipsi faciunt Epistolam conferunt cum gestis Ephesinis & Chalcedonenſibus. Quo facto, sancta Synodus dixit: ostendit manifestè facta collatio, quod contraria per omnia est

epi-

Conc. C.  
P.II.v. ge-  
ner.collat.  
VI. Tom.  
v. P. 541.

Ibid. ead.  
collat.

Ibid. coll.  
VIII. can.  
XIV. P. 378.

Ibid. coll.  
VI. P. 548.



epistola, quam Ibas scripsisse dicitur, definitioni, quam pro recta fide Chalcedonensis Synodus pronuntiavit . . . omnes Episcopi clamaverunt: hæc omnes dicimus; epistola hæretica est. Sic ergo ex quinta Synodo sancti Patres nostri in Synodis œcumenicis, quas legunt epistolas sive Catholicorum, sive hæreticorum, sive etiam Romanorum Pontificum, etiam de fide scriptas, eodem ritu orthodoxas, vel hæreticas pronuntiant, legitima cognitione veritate inquisita, ac deinde perspecta, tum ex his dato iudicio.

Nullone, inquires, prorsus discrimine, atque animis æquè in utroque propensis? Sanè diximus, & sæpè dicemus, præsumptum fuisse pro Pontificum orthodoxorum decretis: cæterum in Synodis œcumenicis, ubi iudicandum in materia fidei, non jam præsumptionibus agi oportere, sed omninò ad liquidum veritate perspecta.

Hæc quinta Synodus fecit, hæc ex tertia, & quarta Synodo didicit & probavit; unoque hoc argumento trium œcumenicorum Conciliorum, Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani II. pro nostra sententia decreta retulimus.

## C A P U T X X.

*Synodus V. invitato ac repugnante Vigilio Papa, habetur: ejusdem Vigili CONSTITUTUM solvit: Ibe epistolam ipsius sententia ab hæresi absolutam, impiam & Hæreticam judicat: à Romanis Pontificibus comprobatur.*

**I**N eadem quinta Synodo hæc gesta sunt quæ ad causam nostram facere videantur.

De tribus capitulis suprà memoratis Justinianus Imperator quæstionem in Ecclesia haberi petiit: ejus rei gratia Vigilium Papam Constantinopolim accivit: ibique, non ita multò post, Synodum congregavit. Ipse, & Orientales adversus Nestorianos sub eorum capitulorum defensione resurgentes, magni momenti esse putabant, ut ea damnarentur; Vigilius cum Occidentalibus metuebat, ne per eam occasionem Chalcedonensis Synodus solveretur; (g) quod in ea Synodo Theodoretum, & Ibam fuisse susceptos, Theodorum verò nominatum, sine ulla censuræ nota dimissum esse constaret.

Quam-

(g) Vigilius . . . metuebat ne . . . Chalcedonensis Synodus solveretur. ) Hæc Vigili notanda sunt verba: Non audemus Chalcedonensis Synodi retractare iudicium, ne . . . ab hæreticorum insidiis macula inuratur . . . si nos modo causas ejusdem sanctæ Synodi . . . iudicio terminatus, sub qualibet occasione viderint retractare. Const. Vigil. Tom. V. Conc. pag. 372. Quibus verbis egregie confirmatur id quod toties iterat D. BOSSUET: nunquam licitum fuisse inquirere in Conciliaria decreta, quod contra est de Pontificiis decretis, in quæ non raro Synodi œcumenicæ iudicè inquisiverunt. In eo autem errabat Vigilius, quod suspicabatur hujus Concilii Patres, qui re quidem verà decretis Chalcedonensibus promptam obedientiam præstabant, illa retractare voluisse, cum jusserunt in ea Scripta inquirere, in quæ Synodus Chalcedonensis non animadverterat. Cæterum à Sancta Synodo ea assumpta est inquirendi methodus, qua usa fuerat ipsa Synodus Chalcedonensis.



Quamquam ergò pars utraque de summa fidei facillè consentiebant, tamen omninò ad fidei causam quæstio pertinebat, cum ab his timeretur, ne Nestoriani; ab illis, ne Eutychiani Synodi Chalcedonenfis inimici vincerent.

Ex ea contentione multæ in Vigilium criminationes extiterunt, quæ nihil ad nos attinent. Mihi persuasum est, omnia à Vigilio optimo consilio esse gesta, cum Occidentales capitula condemnari non ferrent, resque ad schisma vergeret. Utcumque est, hoc liquet, Vigilium etiam invitatum Synodo adesse noluisse: absque eo Synodum nihilo secius celebratam: editum ab eo **CONSTITUTUM**, quo improbaret ea, quæ Theodorus, Theodoretus & Ibas adversus fidem scripsisse dicerentur; eorum nomini parcendum esse decerneret; quod vel à Synodo IV. suscepti, vel in Ecclesiæ communionem mortui, Deique Iudicio reservati haberentur: de Ibæ epistola hæc edebat: ipsam *rectissimo ac piissimo sensu intellectam*, irreprehensam manere: ac de tribus capitulis universim jubebat, *post præsentem definitionem*, Ecclesiasticos nullam postea *movere quæstionem*.

Hæc quidem Vigilius pro potestate decrevit. At Synodus post ejus **CONSTITUTUM** quæstionem habuit de tribus capitulis; & judicavit meritò quæstionem haberi de mortuis, & Ibæ epistolam manifestè hæreticam & Nestorianam, fideique Chalcedonenfi per omnia contrariam; atque omninò anathema esse, quique Impium Theodorum Mopsuestenum, quique Theodoretum adversus Cyrillum scripta, quique Ibæ *impiam* & Nestoriana Dogmata tuentem epistolam defenderent, neque anathematizarent eam, sed rectam esse dicerent.

His igitur, nec Vigilio parcere videbantur, presso quamvis nomine; quorum decretum à Pelagio II., Gregorio Magno, aliisque Romanis Pontificibus confirmatum esse constat; atque etiam à Vigilio, siquidem vera

est ea, quam Petrus de Marca, vir illustrissimus, ex M. S. Codice Bibliothecæ Regiæ edidit epistolam.

Hæc docent in re maxima, quæ totam conturbet Ecclesiam, atque ad causam fidei pertinere videatur, Pontificiis decretis sacrorum Conciliorum decreta prævalere, Romanique Pontificis iudicio defensam Ibæ epistolam, haud minus pro hæretica proscribi potuisse.

Nempè & hoc in ea legebatur, Cyrillum *lubricasse*, atque ad Apollinarii Dogma deflexisse, quia scripserat *similiter illi, quòd Deus verbum factus est homo*. Hæc igitur Vigilius non satis cautè toleravit; Synodus verò non tulit, ac Nestorii hæresim, sub nova forma reviviscentem extinxit: quodque vel maximè Synodorum est, ab omni errore diligentissimè fidem Catholicam eliquavit.



## CAPUT XXI.

*In Synodo VI. generali , quæ Constantinopolitana est III. causa HONORII Papæ per Synodum condemnati : tria effugia proponantur : Quæstiones aliquot ex actis suo ordine resolvendæ : brevis Monothelitarum historia præmittitur .*

**U**T tertia, quarta, & quinta Synodi de Romanorum Pontificum judiciis judicarunt, eaque non nisi quæstione habita comprobarunt; ita à sexta Synodo factum esse constat, communeque illud est omnibus Synodis. Sed quoniam Honorius Papa cum suis epistolis in ea Synodo condemnatus, nostræ causæ peculiare præsidium præbet, Bellarminus ac Baronius nullum non movent lapidem, ut acta VI. Synodi falsata à Græcis librorum corruptoribus videantur: falsatæ quoque, seu potius confictæ, Leonis II. epistolæ duæ, quibus Synodus confirmetur, Honorius condemnatur; tùm ut ipse Honorius de Ecclesia benè meritissimus habeatur. Addunt, si vel maximè Honorius erraverit, ut privatum hominem, non ut Papam & Ecclesiæ Magistrum errasse. Hæc illi, quorum conjecturæ, non nostris ratiociniis, sed actorum lectione concident.

Hæc igitur erunt, quæ ex actis elucescent: primùm, quas epistolas Honorius quibusve de causis, & an eas pro privato Doctore scripserit: alterum, cur necesse habuerit VI. Synodus eas condemnare epistolas, quas Romani Pontifices Honorii successores excusasse videantur: tertium, an acta VI. Synodi, aut Leonis II. epistolæ, aliqua saltem verisimili conjectura, falsi argui possint. Hæc ita pandentur actis, ut nulla dubitatio superesse possit; sed res ab origine repetenda.

Meminerimus Monothelitas hæreticos, in duabus licet Christi naturis, unam voluntatem, unam operationem, non duas admisisse: cùm Ecclesiam hæc novitas commoveret, Sergium Patriarcham Constantinopolitanum errori quæsisse latibula, & ab utroque vocabulo, five unius, five duarum operationum abstinere voluisse: eorum planè Eutychianorum more, qui cùm Christum Deum perfectum, hominemque perfectum faterentur, tamen unam æquè ac duas naturas vehementissimè refutabant; simili fere modò infansisse Sergium: tùm ab eo compositam ECTESIM seu expositionem: Heraclii Imperatoris fautoris sui nomine esse editam, quæ utraque vocabula æquè supprimeret: Pyrrhum Constantinopolitanum hæc sectatum fuisse: mortuo Heraclio, in eundem sensum fuisse promulgatum à Constante Heraclii filio edictum, qui TYPUS diceretur à Paulo Constantinopolitano Patriarcha Pyrrhi successore compositum: Honorium Papam, jam inde à Sergii tempore, in eam dissimulationem fraude pertractum. Postremum hoc, cùm in ea re versetur difficultas, paulò enucleatius enarrare oportet.



## CAPUT XXI.

*Honorius, CYRI Alexandrini & SERGII Constantinopolitani scripta dogmatica, in sexta Synodo condemnata directè probat: SOPRHONII Hierosolymitani ab eadem sexta Synodo, atque ab omnibus Orthodoxis comprobata improbat: ejus Legatos à veritate deterret: consultus à tribus Patriarchis prava rescribit: ejus literæ toto Oriente vulgatae: his Monothelitæ præcipuè nitebantur: an hæc pro privato Doctore scripserit? eæ epistolæ dogmaticæ habentur, hoc est, decretales: Dogmatis nomen explicatur: confutantur effugia.*

Conciliab.  
Alex. relat.  
in Conc. VI.  
Act. XIII.  
T. VI. Conc.  
p. 956.

**A**Nno igitur 633. primus omnium Cyrus Patriarcha Alexandrinus, edito decreto, *unam in Christo operationem Dei virilem* prædicavit. Sic sub ipso habita Synodus Alexandrina anathematismo VII. Hæc Cyrus edidit specie pacis, tamquam eo dogmate Eutychianos Ecclesiæ conciliaturus esset. Hanc doctrinam Sergius Constantinopolitanus Patriarcha statim suscipit, nec mirum; quippè qui occultus instigator esset. At (b) Sophronius vir sanctissimus ac doctissimus, tùm Monachus, sed paulò post ad sedem Hierosolymitanam evectus, hæc ut nova & impia detestatur. Neque Sergium Cyro opitulantem audit, aut ullam in fidei negotio compositionem admittit; petitque planè à Sergio unius operationis vocem in Synodi Alexandrinæ decretis aboleri. Tùm Hierosolymitanus Patriarcha factus, edita Synodica epistola, hanc vocem eò pertinere docet, ut duæ Christi naturæ confundantur, cum unicuique naturæ suam operationem adesse necesse sit.

Vid. epist.  
Maxim. ad  
Pet. T. II.  
oper. Max.  
ex ed. Pat.  
Comb pag.  
75. vid. e-  
riam epist.  
Serg. ad  
Honor. act.  
XII. Conc.  
VI. p. 911.  
vid. etiam.

At Sergius, cum intellexisset arreptos Catholicos, neque pacis licèt nomine obrusam unam operationem admissuros, ad fraudem hæreticorum more se contulit; & ad Cyrum scripsit: ut neque unam, neque duas operationes dici permitteret; cum una operatio aliquos conturbaret; duæ à Patrum sententiis abhorrerent. Hæc igitur omnia cum Sophronio & Cyro à se gesta perscribit ad Honorium, extatque epistola Actione XII. Synodi VI.

Ea Sergii epistola, ut hæretica à sancta Synodo VI. condemnatur; neque

quid-

(b) *Sophronius vir sanctissimus* ) aderat Alexandria, quando Cyri Concilium celebrabatur. Ille igitur, cum à Cyro, qui ei dederat ad retractandum illa novæ impietatis capitula, impetrare non potuisset, quanquam fervide obsecrans, ne ea contra Catholicam Ecclesiam prædicaret, profectus ad Sergium C. P. illi persuadere conatus est, ut unius operationis vox de talibus auferretur capitulis. At Sergius Sophronium contempsit, Cyrique doctrinam atque ad eam Alexandrinæ Synodi capitula comprobavit. Erat enim ipso Cyro in novam hæresim Sergius propensior; quippe qui Cyrum, tunc Phasidis in Lazis Episcopum & Monothelismo repugnantem, suis literis eò impulerat, ut deinceps fieret Monothelismi defensor pertinacissimus. Vid. ep. Serg. ad Cyr. act. XII. p. 916. & Serg. ad Honor. ibid. p. 910.



quisquam excusat . Videamus ergo, an ejus epistolæ vehementissimus approbator excusari possit Honorius .

Eadem Actione XII. refertur Honorii prima ad Sergium epistola, qua Sergio respondet, hoc initio : *Scripta Fraternitatis vestræ suscepimus, per quæ contentiones quasdam, & novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam, adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ Antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ex hæresi prædicantem* . Ibi commemorat à se visas, quas Sergius ad Sophronium, satis providè (i) circumspèctèque scripisset epistolas (satis, hoc est valdè, stylo ea ætate, ac superioribus quoque sæculis noto) collaudatque Sergium refutantem novas voces, quæ scandalum noscuntur Ecclesiis generare . Scriptum est in fine : *Hæc nobiscum vestra Fraternitas prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus* (k) . Hæc prædicatio quid sit, adversarii edicant : nos ex totius antiquitatis more, ipsum dogma, fidem ipsam tota firmitate constantem contineri ea voce contendimus . Honorium verò eadem cum Sergio hæretico, atque hæresiarcha unanimiter prædicare, ipse jactat Honorius ; ut vel absolvi Sergii, vel condemnari Honorii epistolam omnino necesse sit .

Alteram Honorii ad Sergium epistolam insertam habemus actis VI. Synodi, Actione XIII. Primum se testatur scripisse, ad Cyrum Alexandrinæ civitatis Præsulem, quatenus novæ adinventionis, unius vel duarum operationum vocabulum refutaret . Et iterum : *Ut unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione fidei eximatur* . Et infra : *Unius autem operationis, vel duarum, esse vel fuisse Dominum Mediatorem, sentire vel promere, satis ineptum est* : hoc est, valdè ineptum (l), ut supra monuimus .

Pergit Honorius : *Quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quæ tenere vel prædicare debemus, propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, sicut supra diximus : non unam vel duas operationes, sed utrasque naturas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus : & Divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & humanam, quæ carnis sunt exequentem* . Et infra : *Duas naturas, inconfusè, indivisè & inconvertibiliter propria operantes* . Quæ ut ut orthodoxa esse maximè videantur, haud tamen facilè est ea discernere à Monothelitarum simillimis dictis ; tantæ ambages, tantus in verbis perniciosissimæ hæreseos dolus fuit . Paria enim Honorio proferebat Sergius in epistola ad Cyrum, & in ECTHESI Heraclius, & in TYPO Constant, & alii Monothelitæ passim . Verum hæc ad fastidium usque

ep. Sophr.  
adSerg. act.  
XI. p. 852.  
& seq.  
Vid. ep.  
Serg. adHonor.  
ib. pag. 924.  
Ibid. act.  
XII. p. 917.  
& seq.  
Epist. I.  
Honor. ad  
Serg. ib. p.  
928. & seq.

Epist. II.  
Honor. ad  
Serg. ibid.  
act. XIII.  
p. 968.

Ib. & p. 969.

Vid. Ep.  
Serg. ad  
Cyril. in  
Conc. Lat.  
an. 649. se-  
cret. III. T.  
VI. p. 195.  
& seq. Typ.  
secreta. IV.  
p. 231. &  
seq.

(i.) Satis providè . ] In Græco legimus multum providè .

(k) Unanimiter prædicamus . ) Unanimiter cum Sergio prædicabat Honorius, tunc cum, in sua prima ad eum epistola, hæc verba proferebat, quæ planissimè Monothelismum sapere videantur : *unam voluntatem fatemur Domini nostri JESU CHRISTI* . Quod cum ita crederet, sic explicat : *Quia profectò à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa* . p. 929. quasi verò Catholicè, qui duas in Christo voluntates profitentur, credant assumptam ab eo malam hanc voluntatem, qua cæteri homines peccatis se implicant, quæque non ex sese mala est, sed ex depravata nostra natura, mala facta est .

(l) Valdè ineptum . ) Sic in Græco, πᾶσι παντοῦ .



usque disputantur in scholis: nos quæ certa sint figere laboramus.

Ac primum; illud certum est, Honorium, à tribus Patriarchis consultum, hoc rescriptum edidisse. Quo enim sensu ad Sergium Constantinopolitanum, eodem ad Cyrum Alexandrinum se scripsisse testatur. His duobus Patriarchis addamus tertium Sophronium Hierosolymitanum, rectè de duabus operationibus sentientem, & ideo à sexta œcumenica Synodo comprobatum, de quo hæc Honorius epistola II. ad Sergium: *Hos quos prædictus frater & Coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum, deinceps prædicare nitatur: quod instantissime promiserunt prædictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater noster ab unius operationis vocabulo discesserit.*

Vid. Epist.  
Honor. loc.  
jam cit.

Hæc quidem Legati Sophronii promittebant: at Sophronium in recta sententia perseverasse, ejulque tantum Legatos ab Honorio, quem ritè consulturi venerant, pessimè instructos prava ac fidei adversa promississe constat.

Objiciunt in Honorii epistolis, nullam Synodi à se habitæ fieri mentionem, nullum anathematismum fuisse interpositum.

\* I.

Ac Synodi quidem habitæ nulla mentio; sicut neque in Cælestini ad Cyrillum; neque in Leonis ad Flavianum; neque in Innocentii \* ad Synodos Africanas respondentis, epistolis; neque in aliis multis, quas nihilo secius pro veris Apostolicæ sedis decretis habeamus.

Vid. epist.  
Sophr. act.  
x. Conc.  
VI p. 832.  
& seq.

Nullus certè anathematismus: quid tàm? Nullus in Apostolico Hierosolymitano decreto, Act. XV. nullus in Sophronii epistola, quam tamen ipse Synodicam vocat: nullus in permultis Sedis Apostolicæ Decretalibus, etiam de fide editis: neque enim in Gregorii II. primis epistolis ad Leonem Isaurum, aut in aliis benè multis, statim stringuntur anathemata. Doctrina præcedit simplici veritate nixa: anathematismi sequuntur adversus contumaces. Neque tantum erratur cum damnantur vera; sed cum falsa comprobantur: quod fecisse Honorium, cum Sergium ac Cyrum, eorumque perversas suscepit epistolas, procul omni dubio est. Atque omnino certum hæc rescripsisse Honorium de fide consultum à tribus Patriarchis, Sergio, Cyro, & Sophronio ad hoc Legatos mittente, ut *instrueretur*: nec minus certum, hæc Honorii dogmata perlata ad Ecclesias, totoque Oriente vulgata. Hinc editas ECTHESES, hinc TYPOS, quæ unam vel duas operationes ex æquo prohiberent: hinc Macarium Patriarcham Antiochenum Monothelitarum obstinatissimum in VI. Synodo in hæc verba confessum: *Consentimus tàm quinque Synodis, quàm Honorio à Deo erudito, Sergio, Paulo, atque Petro; atque iterum, Rejicio & Maximum, & impium divisionis ejus dogma: quod & olim nostri Patres respuerunt, id est, Honorius, Sergius, Cyrus, & reliqui Ecclesiarum Antistites; præmisso semper Honorii nomine.*

Ep. I. Quid autem illud est Honorii ad Sergium: *Hæc prædicet nobiscum vestra Fraternitas*; nisi declaratio fidei per Sergium populis prædicandæ? Quid Honor. act. illud ejusdem Honorii suscipientis Cyrum; *unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ab hæresi prædicantem?* Quid, inquam, illud est, nisi

hæ-



hæreseos quam Cyrus prædicabat, hæreticæque professionis, quam tradebat, comprobatio? Sic Cyrum confirmat, non quidem in fide, quemadmodum jubebatur; sed in ipsa hæresi, quam Cyrus animis instillabat.

Hæc verò scripta Sergii, Honorii, Sopronii, quæ memoravimus in sextâ Synodo *dogmatica*, seu *Synodica* appellantur; eoque nomine à sancta Synodo, prævio examine, collaudantur, vel condemnantur. Quid sint autem hic *dogmatica scripta* faciliè intelligit, qui adverterit, id quod nos *Decretum* dicimus, à Græcis appellari *Dogma*. Hinc passim apud auctores Ecclesiasticos, decreta fidei Ecclesiastica auctoritate edita vocantur *Dogmata*. Quæ locutio ab ipsis Apostolorum actis deprompta videatur; ubi ea, quæ in Apostolici Concilii literis statuuntur, vocantur *Dogmata* quæ ab Apostolis judicata essent *dogmata ta' xristiana*. Certè ipsa Nicæna fides, seu symbolum Nicænum, plerumque apud Sozomenum & alios vocatur *Dogma Nicænum*. Ac ne ab hoc negotio recedamus, sancti Agathonis authenticæ literæ, Apostolicæ Sedis, ac totius Synodi Occidentalis conscriptæ nomine, à tota VI. Synodo, *Dogma*, & à Leone II. hujus Synodi acta ad Hispanos probanda mittente, *Tomus Dogmaticus* appellantur. Eodem nomine appellat Theophanes missam à Gregorio II. ad Leonem Isaurum de fide *Decretalem*, seu *Dogmaticam Epistolam*: ut has Honorii à Patriarchis consulti epistolas pro responso Apostolicæ Sedis fuisse habitas, dubitari non possit.

Ib. pag. 933 & act. XIII. p. 944. 945.  
Act. XVI. 4.  
Sozom. passim.  
Conc. VI. act. XVIII. Sermon. acclam. ad Imp. pag. 1053.  
Epist. II. Leo. II. T. VI. Conc. p. 1246.

## CAPUT XXIII.

*Bellarmini ac Baronii effugium: quòd hæc Honorius dispensatoriè pacis gratia scripserit, quoad rem exactius definiret: id ipsius Honorii verbis confutatur, doceturque Honorium cum Monothelitis, à Romanis Pontificibus, ac præsertim à sancto Martino, presso licèt nomine, condemnatum.*

**H**Æc cum intelligerent Bellarminus atque Baronius, in excusando Honorio, ejusque epistolis defendendis, præcipuam operam collocarunt: contenduntque ab Honorio consultissimè factum, quod utramque, & unius, & duarum operationum vocem pacis gratia ex æquo sustulerit: ac deinde multis agunt, ut Honorius à Monothelitarum hæresi alienissimus fuisse videatur. Quòd quidem haud est improbable; neque propterea minùs intolerabile illud, quòd male Patriarchas consulentes *instruxerit*; redemeritque pacem, pacto silentio de Orthodoxa fide.

At enim, inquit, ita egit, quoad rem diligentius definiret; quo ritu multi Pontifices & nostris temporibus Clemens VIII. & Urbanus VIII. in quæstione de auxiliis, quoad rem definierint, utrique parti silentium indixere. Id enim exemplum, ut maximè ad rem multi proferunt. Sed ego nihil simile video apud Honorium: ac si recta sentiens veritatem dispensatoriè, & ad tempus premi juberet, primum non tam absolute pronuntias-

set.

Bell. de R. P. Lib. IV. c. XI. Bar. Tom. VIII. an. 633. p. 316. & seq. & an. 681. p. 547. & seq.



set . Significasset alicubi rem obscuram, atque alias exactius explicandam; non rectam ipsam fidem, æquè ac hæreticum dogma, communi, *novæ adinventionis ac novi introducti vocabuli*, nomine involvisset. Fallum enim erat duarum operationum, *novam adinventionem, novum esse vocabulum*, quod ex antiqua Patrum traditione profectum tota Ecclesia recognovit.

1. Tim. VI.  
29.

Conc. VI.  
act. XVIII.  
edit. Imp.  
p. 1086.

Ablegari autem voces, rectam spirantes fidem, ad eas *novitates vocum*, quæ, teste Apostolo, non nisi *profanæ* esse possint, quis æquo animo ferat? Jam verò quale est utrumque *ineptum*, & *valdè ineptum dicere*, & *unam operationem*, quod sit hæreticum, & *duas* quod ad fidem Catholicam pertinere constat? Quid quod Honorius docet, non tantum *ineptum* duas operationes dicere, verum etiam *sentire*: quo non tantum illa vox, sed etiam res ipsa, sensus ipse proscribitur? Quid quod utramque sententiam, velut novitatem *æquè à prædicatione fidei eximendam* putat? Quis unquam Catholicus Pontifex ita paci, ita veritati, ante expromptam definitionem consuluit, ut utramque sententiam ineptam esse decerneret? Quod est *usu'rator* sibi quæ ipsi repugnans; ut non immerito post sextam Synodum in Imperatorio decreto dicatur Honorius, non modò hæresis *confirmator*, sed etiam *sui ipsius oppugnator*. Profectò nimis favemus Honorii nomini, si hæc defendimus, quæ non nisi pessimo exemplo defendi possint. Denique ubi illa quæ definitioni superledere cogat obscuritas quæstionis, duæne, an una in duabus Christi naturis sit operatio? Pari jure Leo Magnus duæne, an una in Christo natura esset, dissimulare, aut utrumque *ineptum* pronuntiare potuisset; ac tam fæda pactione pacem cum Eutychæ & Dioscoro fovere. Hæc verò procul aberant à Patrum sententia. Quare Romani Pontifices, Honorii proximi successores, Severinus, Joannes IV. Theodorus, sanctus Martinus, & alii, ac sanctus Agatho, pari sententia proscripserunt, quique unam operationem dicerent, quique duas æquè ac unam tacendam esse indicerent.

Conc. Later.  
sub.  
Mart. I. fec.  
cret. 1. T.  
VI. Conc. p.  
82. & seq.

Ib. Secr. IV.  
p. 238.

Et Martinus quidem Martyr fortissimus, habita Lateranensi Synodo, insulsæ hæreseos arcana revelavit: quemadmodum Monothelitæ primum unam voluntatem, unamque operationem prædicassent: mox ut damnationem effugerent, unius æquè ac duarum vocabulum suppressissent. His expositis ipse & sancta Synodus ECTHESIM Heraclii & Constantis TYPUM damnant: duas voluntates, duasque operationes disertè asserunt, percussique uno anathemate quique falsa dicerent, quique vera supprimerent.

Ipsam Synodum audiamus. Sancta Synodus dixit: TYPUS omnino est *inconveniens Catholicæ Ecclesiæ regulæ, in quâ utique adversa fidei tantum jubetur si entio se eliri; non verò orthodoxa cum contrariis denegari aut admitti: pessimumque cum rectâ fide impietatem suscipere, neque discernere recta à malis*. Quod peccatum omnino peccavit Honorius, qui unius duarumque operationum voces æquè novas, æquè ineptas, æquè a rectâ prædicatione alienas esse asserit.

Hæc in secretario IV. Synodi Lateranensis à sancto Martino Papa habitæ, in V. secretario Canone XVIII. Sergius, Pyrrhus, Paulus Constantinopolitani Patriarchæ, Cyrus Alexandrinus & Theodorus Pharan eo pag. 356. nomine damnati sunt, quod vel unam operationem dicerent, vel duas  
357.

æquè



æquæ ac unam dici prohiberent : quo canone quis non videat , Honorium preffo scilicet nomine , condemnatum ? Sed jam ad Synodi VI. acta veniamus .

## CAPUT XXIV.

*De Synodo VI. generali : ea post Romanorum Pontificum , atque imprimis Sancti MARTINI exquisitissimas definitiones est habita : in ea de Sancti AGATHONIS , totiusque Occidentalis Synodi literis ritè deliberatur : quo sensu Synodus suscipiat , quæ à Sancto Agathone de Sede Apostolica prædicantur .*

**S**ancti Martini Lateranense Concilium celeberrimum fuit Legatione Africanarum , multarumque Orientalium Ecclesiarum , in eandem fidem consentientium : accesserunt ducentorum ferè Episcoporum (m), unà cum ipso judicantium subscriptiones : denique missa sanctæ Synodi ad omnes CHRISTI Fideles toto orbe terrarum *encyclica epistola* : tum illud maximum à sancto Pontifice pro ea definitione multa perpeffo , fidem orthodoxam etiam Martyrio consignatam (n) .

Vid. E -  
encycl. Sy-  
nod. Later.  
T. VI. pag.  
367. & seq.

Post eam tamen definitionem , toto Oriente commoto per Imperatores , atque Patriarchis Constantinopolitanis hæresim prædicantibus , Macario quoque Antiocheno Patriarcha in partes transeunte ; necesse visum est , sub Sancto Dono Papa , eoque mortuo , sub Sancto Agathone Synodum œcumenicam VI. haberi Constantinopoli , à Constantino Pogonato Imperatore convocatam .

Hic primum occurrunt scriptæ ad Imperatorem duæ Agathonis Papæ literæ , quæ in Synodo generali legerentur : altera ipsius Agathonis , Sedisque Apostolicæ ; altera Occidentalis Synodi , quam Agatho Romam vocaverat , nomine . Lectæ igitur sunt in ipsis Synodi principiis Actio IV. Hic videre est firmam & ubique constantem in deliberandi ordine ac ritu sanctarum Synodorum traditionem . Quo enim ritu atque ordine Sancti Cyrilli & Sancti

Ap. Agat.  
ad Imper.  
act. IV.  
Conc. VI.  
p. 630. &  
seq. & 677.  
& seq.

Leo-

( m ) Ducentorum ferè Episcoporum . ) Levis error in D. Bossuet textum irrepfit . Acta enim habemus hujus Synodi à quinque omnino & centum Episcopis subscripta , quem numerum exhibent omnes historici præter Theophanem , qui memorat CX. Episcopos huic Concilio adfuisse . Vid. Theoph. an. 19. Heraclii .

( n ) Martyrio consignatam ) S. Papa Martinus Constantii Imperatoris jussu abstractus è Palatio Lateranensi & in navim conjectus , adportatus est Constantinopolim . Quanquam in eum sic sevierint , qui ejus per viam satellites constituti fuerant , ut viv à Paganis persecutoribus talia passi fuerint unquam Christiani Martyres . Eum nec illi , nec etiam aulici Imperatoris multis contumeliis vexatum , dimovere potuerunt ab ea Constantia , quæ virum Apostolicum decebat . Inde in Chersonam transvectus , in exilio , fame , aliisque calamitatibus consumptus , diem extremum obiit . Vid. ejus vit. Tom. VI. Conc. p. 4. & etiam p. 63. & seq. ep. XIV. XV. &c. hujus Sancti Pontificis , in quibus suas calamitates eo modo narrat , ut pietatis sensa infillet , simul ostendat primorum Martyrum adeo laudatorum se non esse fortitudinis dissimilem .



Leonis epistolæ in III. & IV. Synodis, eodem ordine rituque Sancti Agathonis in Synodo VI. probantur epistolæ. *Paulus magnificus à secretis dixit: Dicat Georgius Archiepiscopus hujus Regiæ Urbis, & qui cum eo 719. & seq. etc. si convenit eis sensus suggestionum directarum ab Agathone sanctissimo Papa, & sua Synodo. Georgius dixit: inspiciens omnem virtutem, (id est significationem ac vim) earum literarum, & scrutans libros sanctorum probabilium Patrum, cuncta quæ continent, inveni consonantia eis, & sic profiteor, & credo. Alii: Inveni in nullo eas à sanctis Patribus discrepare, & consentio. In eum sensum omnes figillatim dicunt; nec nisi eo examine, probatæ epistolæ Sancti Agathonis & Synodi totius Occidentalis,*

Ep. Episc. Et quidem Agatho, & Occidentales ita sua dogmata proferebant, ut  
ib. act. IV. qui vellent de iis, non tanquam de incertis contendere; sed ut certa, at-  
p. 688. que immutabilia compendiosa definitione proferre. Profecto ergo, quantum in ipsis erat, rem definiebant. Quærebatur an reliquæ per Orbem terrarum Ecclesiæ consentirent; nec nisi Episcopali examine res tanta constitit.

Quæ verò de Sede sua Sanctus Agatho præclare ac magnifice & verè  
ib. Epist. scripserat, quod nempe, Domini pollicitatione subnixæ, nunquam à via  
Agath. p. veritatis deflexerit, quodque ejus Pontifices Agathonis antecessores in Petro  
636. iussi confirmare fratres suos, id semper præstiterint, hæc Concilii Patres audiunt atque suscipiunt. Neque eo fecius rem examinant; de Romanorum Pontificum decretis quæstionem habent; quæstione habita, Agathonis dogmata probant, Honorii damnant: certo documento, non ita intellexisse ea, quæ Agatho scripserat, tanquam singula Romanorum Pontificum decreta, etiam de fide, indiscussa suscipi necesse sit, cum ea  
Inf. tot. Concilii generalis supremo atque ultimo examini subderentur; sed ita ut  
lib. X. hæc dicta universim sumpta, summa ipsa, in tota & integra Petri successione valeant, ut sæpè diximus, & suo loco dicemus uberius.

## C A P U T XXV.

*Sextæ Synodi in HONORIUM dicta sententia: ejus sententiæ frequens repetitio: cur Synodus eum damnatum voluerit, quem Romani Pontifices excusare videantur.*

**J**Am an. VI. Synodus tanta severitate damnavit Honorium, acta ipsa eloquentur.

Joan. IV. Et quidem Romanos Pontifices Honorii successores, hujus nomini per-  
apol. pro percisse constat. Quin etiam Joannes IV. post Honorium tertius, eum ex-  
Honor. T. cusavit, ut potuit, edita ad Constantinum Imperatorem apologia, quam  
XII. Bibl. laudat Maximus, hujus ævi adversus Monothelitas Confessor egregius.

Pat. pag. Excusabat autem Joannes Honorium, quod is unam voluntatem bono  
835. & seq. sensu dixisse videretur: quod autem unam & duas æquè rejecerit, ne at-  
Disp. Ma- tingit quidem.

Pyrr. Tom.

Agatho



Agatho verò hoc quoque emollire nititur; sic enim loquitur in epistola quam in sacra Synodo legendam Imperatori misit: *Ex quo novitates in CHRISTI Ecclesiam Constantinopolitani Præsules introducere conati sunt, mei Prædecessores nunquam neglexerunt eos hortari, ut à pravis dogmatibus, saltem tacendo desisterent, ne ex hoc exordium diffidii in unitate Ecclesiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum asserentes in uxo Domino nostro JESU-CHRISTO.* Indictum ab Honorio silentium extenuat, ut potest, neque tamen aut Honorium aperte defendit, aut approbare Synodo audet, duarum voluntatum æquè ac unius suppressam ab eo vocem.

Cur autem Honorii Successores antè VI. Synodum, viri memoriæ perpercerint, hæ causæ extitere: Primum, quod in aliis præclare Pontificatum gessisset, & in Ecclesiæ pace obisset, ac nihil malo animo egisse, neque contumax futurus fuisse videbatur: tum Honorium excusantes, Catholicæ Fidei favere se putabant, dum Hæreticis tale patrocinium denegarent: denique nihil cogere videbatur, ut Honorii epistolas in Occidente damnarent, quod eæ ad Orientales scriptæ, inter Occidentales vix aut certè tenui admodum fama pervulgatæ essent, ubi Monothelitæ tum vel pauci vel nulli erant.

At Orientales, & VI. Synodus, postquam iis constitit Honorii epistolas & in Oriente longè lateque fuisse diffusas, & à Monothelitis miro studio jactatas, ac multos seductos Majestate Pontificii nominis, auditusque Macarius Antiochenus, qui in actione VIII. *Honorium à Deo eruditum*, antesignanum, ac ducem ubique nominaret, de Honorio ejusque epistolis minimè tacendum esse decreverunt. Itaque actione XII. ac XIII. epistolæ lectæ sunt, itumque est in eam sententiam actione XIII. ut epistolæ Honorii æquè ac Sergii Pyrrhique & aliorum declararentur *alienæ ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum; sequi verò falsas doctrinas Hæreticorum.* Itaque Honorius cum cæteris anathemati subjicitur, eò quod compertus sit, *per omnia mentem Sergii secutus, & impia dogmata confirmavit:* quæ omnia gesta sunt, nihil contradicentibus Sedis Apostolicæ Legatis, imò consentientibus ac subscribentibus.

Neque attenderunt Patres, si quæ Honorius recta dixisset, cum plena & tota in dogmaticis scriptis requiratur fides: neque reconditos, sed obvios sensus sanos esse oporteat; neque subtiliter, sed populariter intelligi debeant, quæ communi fidei exponendæ à Pontificibus conscribantur.

Dicta sententia, Patres, pro more Synodorum, quid gessum sit ad Agathonem referunt, atque *ex ejus literis Sergium, Pyrrhum, cæteros, Honorium quoque damnatum* profitentur. Atqui, inquires, Agatho nihil de Honorio scripserat: imò defensare velle utcumque videbatur. Certè; sed cum alios exemplo Martini antecessoris sui condemnasset, ac diserte proscripisset non tantum qui unam voluntatem dicerent, sed qui nec unam, nec duas, horum affectatorem Honorium, ac fautorem, in parem sententiam incurrisse, Patres intelligebant; datumque honori Agathonis, ut quæ ipsi supplevissem, eo quoque auctore facta esse viderentur.

Honorius item in Prophonetico ad Imperatorem cum aliis Hæreticis memoratur.

v. Coa c.p.  
1784. & seq.  
vid. impr.  
p. 1813. &  
seq.  
Ep. Agath.  
Conc. VI.  
act. IV. p.  
637.

Ibid. act.  
VIII. p. 741  
749.  
Ibid. act.  
XII & XIII  
Ibid. act.  
XIII. p. 944

Ibid.

Lit. Conc.  
VI. ad A-  
gath. ibid.  
act. xviii.  
p. 1073.  
Vid. Bar.  
an. 681. T.  
VIII. p.  
549.  
Act. xviii.  
serm. ac-  
clam. p.  
1053.



ib. edict.  
Imper. p.  
1085.

Idem in Imperatoris Edicto Honorius notatur his verbis: *Hereseos fau-  
tor, concursor, confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator (o)*. Quip-  
pe qui, ut vidimus, pugnantia dixerit. En quoties in acta relatum sit  
damnati Honorii nomen.

## CAPUT XXVI.

*Actio falsi intenta Synodalibus gestis, ac duabus LEONIS II  
epistolis, temeraria & absurda: repugnantibus omnibus Scripto-  
ribus, actisque publicis.*

Vid. Bell.  
& Bar loc.  
cit. cap.  
XXIII.

**T**ot acta adulterari & corrumpi à Græcis potuisse, Bellarminus &  
Baronius, alique jactant: neque tantum hæc, sed alia multa, quæ  
ex his secuta sunt.

Hac enim Synodi œcumenicæ semel prolata sententia, Romani Pon-  
tifices, non jam licere sibi putarunt, Honorio parcere; sed Synodi au-  
thoritatem secutus Leo II. successor Agathonis, ad quem, antecessore  
mortuo, acta VI. Synodi firmanda transmissa sunt, damnat Monothelitas,  
& inter eos Honorium, qui hanc, inquit, *Apostolicam Sedem, non Apo-  
stolicæ traditionis doctrina lustravit; sed prophana prodicione immaculatam  
fidem, subvertere conatus est*. Quam fanè epistolam benè Latinam ha-  
bemus, & ita nativis scriptam sententiis, ut vel ipso gustu, Græcis in-  
tactam sentias.

Ep. Leo. II.  
ad Conf.  
Imp. Tom.  
VI. Conc.  
p. 1117.

Hinc Anastasius Bibliothecarius, qui ex scriniis Apostolicæ Sedis,  
Romanorum Pontificum scripsit historiam in Leone II. hæc habet: *Hic  
suscepit sanctam VI. Synodum, quæ per Dei providentiam nuper in Re-  
gia urbe celebrata est, in qua condemnati sunt, Cyrus, Sergius, Hono-  
rius ac Pyrrhus*. Hæc ille, ab his temporibus haud multum remotus,  
ex scriniis scripsit: quæ si omnia falsa & adultera sunt, nihil est in omni  
antiquitate quod integrum esse constet.

Vit. Leo.  
II. per A-  
nast. lib. p.  
1242.

Epist. II.  
Leo. II. ad  
Hispan. lib. p.  
1246. 1247.

Neque ita multò post, idem Leo II. data epistola: *Dilectissimis fra-  
tribus universis, Ecclesiarum CHRISTI Præsulibus per Hispaniam con-  
stitutis*; acta VI. Synodi recipienda transmittit ad Hispanos, qui Occi-  
dentali sub Agathone Synodo non adfuerant. De gestis autem VI. Syno-  
di sic habet: *Qua in Synodo, inquit, æterna damnatione mulctati sunt  
Theodorus\*, Cyrus\*\*, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantino-  
politani cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit  
Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit*.  
Quæ nec nota Græcis, nedum falsata fuerint.

\* Phara-  
nitanus.  
\*\* Ale-  
xandrinus.

Quare sequens ætas, & VII. Synodus & VIII., & Synodi deinde omnes,  
& om-

(o) *Sui extitit oppugnator*) Honorius. Cum enim defenderet ineptè dici unam ope-  
rationem, nec minus ineptè duas operationes, tamen laudabat Cyrum unam operationem  
Domini nostri Jesu Christi conversis ab hæresi prædicantem Bellarminus & Baronius, Hono-  
rius cum Honorio pugnantem ut conciliarent frustra laborarent. Nam, si id quod  
volunt, Honorius duas operationes confitebatur, inde magis sui oppugnator extiterit.



& omnes Pontifices acta VI. Synodi, & condemnationem Honorii susceperunt. Hanc iterat Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, Synodi VII. tempore, ad Adrianum Papam I. scribens: Hanc VII. & VIII. Synodus, dum anteriorum Synodorum, pro more, anathemata repetunt; idque Romanis Pontificibus nihil repugnantibus; imò ultrò accinentibus. Nam ipse Adrianus II. nonnihil ab Honorii exemplo metuens, sedis suæ auctoritati, damnatum quidem eum confitetur à VI. Synodo, sed *post mortem*; sed propter hæresim; sed consentiente Romano Pontifice. Hæc multis & sollicitè exequitur; cæterum de falsitate nulla suspicio. Anastasius verò Bibliothecarius, non modò in Leonis II. vita scriptis, quæ statim memorata sunt; sed etiam libris pro Honorio editis, cum eum vel maximè tuendum susciperet, immeritò quidem, sed à VI. Synodo verè damnatum fatebatur: Adeò nihil de fraude suboluit. Quin etiam extat in diurno libro Romanorum Pontificum ea, quam electi edere consueverant, fidei professio: Ea in professione inter cæteros anathemate condemnatos Honorius recensetur. Quem diurnum librum doctis viris visum pridem & agnitus, Petrus Garnerius vir doctissimus atque optimus, è Societate Jesu, Theologiæ Professor, ex optimis Manuscriptis vulgavit. Idem etiam in vetustis Romanis Breviariis, usque ad nostrum sæculum, in Sancti Leonis II. vita legebatur. At enim diurnum, ut possunt, premunt; in Breviario Romano hæc eraserunt. An idèò occultarunt? Undique erumpit veritas; tantòque hæc magis comparent, quantò studiosius eraduntur.

Quid ergò, tot Romani Pontifices, tot Synodi, adulteratis codicibus in errorem abrepti sunt? Adeòne proum fuit tanta in re, toti Ecclesiæ, ipsisque adeò Romanis Pontificibus illudere?

Atqui in eam rem vel maximè intentos fuisse constat: nam & Joannes IV. Pontifex, Honorium, quoad poterat, excusabat; & Martinum & Agathonem antecessori suo, occultius licet, patrocinatos esse, etiam aduersarii volunt. Nullus interim falsitatem suspicatur: ac post mille annos primus Bellarminus flagitium detegit; hunc sequitur Baronius. Quam tam digna ratione? Nulla, nisi quod ad tuendam eam quam Romanis Pontificibus tribuunt infallibilitatem, illis falsata VI. Synodo, quoquo modo opus erat.

Quod enim obijciunt hæc acta falsa esse idèò, quia alioquin Patres iniquè, inconsultò, ac præcipitanter de Honorio statuisent; quis non videat ad falsi actionem, quam lata sit janua, si hæc admittantur?

Quid autem iniqui est in Decreto Synodali? Nempè, inquiunt, Honorius non erat Monothelita. Quid tùm postea? Quasi Hæretici tantum, ac non etiam Hæreticorum fautores defensoresque damnentur.

At Patres Honorium excusare potuissent: debuissent quærere bono animo, an malo Scripserit: denique an non hæc qualiacumque recantaret.

Quid autem? An ut illi parcerent, ejus epistolas intactas relinquerent, quarum auctoritate novas subinde fraudes Hæretici molirentur? Nempè Patres VI. Synodi tenebant epistolas toto Oriente vulgatas, quibus se Hæretici maximè tuerentur: videbant rectam fidem, una cum errore proscriptam; de palinodia autem quid cogitarent, de qua nihil audierant; nihil ad Provincias commeauerat: nihil Romani etiam memorabant; & erat quod adhuc de Honorio quæreretur.

Nem-

Conc. Nic.  
II. Gen. vii.  
act. III. T.  
vii. p. 167.  
Ib. act. vii.  
in defin. p.  
555. & Con.  
C. P. IV.  
Gen. viii.  
in defin. T.  
viii. p.  
1147.  
Ib. Conc.  
viii. act.  
vii. pag.  
1091.  
Ep. Anast.  
Bibliot. ad  
Jo. Diac.  
To. XII.  
Bibl. Pat.  
p. 833.  
Vid. Brev.  
Rom. ant.  
recog. Pii  
vi. & Clem.  
viii. die  
xxviii. Ju-  
nii.

Baron. an.  
681. Tom.  
VIII.

Ibid.

Ib. p. 550.



Nempè VI. Concilii Patres, Bellarmini, ac Baronii more, in Honorii epistolis reconditos sensus quærerent: faventem Sergio, ac veritati per Sophronium prædicatæ obstrepentem, exquisitis distinctiunculis excusarent, si infallibilem cogitassent.

Jam ut strictius de falsitate agamus, Græcos hujus auctores esse volunt; scilicet, ut tot inter à Synodo damnatos Patriarchas suos, vel unum Papam cernerent, id fuisse solatio; atque hujus rei gratia, non tantum eos, qui in Oriente erant, sed omnes quotquot per Orbem vulgati, libros corrumpere, atque Honorii insinere nomen. Hæc quidem probari, non autem jactari oportebat. Sed esto; admittamus fabulam. Leonis II. duas epistolas Latinè conscriptas, totoque Occidente vulgatas, quis confixit Græcus? Quis Honorii nomen inseruit? Quis ad hoc flagitulum perpetrandum, Italiam atque Hispaniam ex ultima Græcia penetravit? An Latini quoque ad eam falsitatem cum Græcis consensere? Ludibria quidem, non responsa ista sunt: prorsusque conclamata causa est, quam talibus figmentis defensam oporteat.

An fortè Leo II. ipse deceptus est, falsaque ad eum Synodi VI. acta perlata sunt; neque à Legatis didicit quid rerum in tanta Synodo super Honorii nomine gestum esset? Quis insulsa commenta, ac malè cohærentem fabulam ferre possit?

Jam rogo falsane omnia in VI. Synodo, quæ de Honorio memorantur; neque Macarius Antiochenus Monothelitarum Princeps, patrocinantem sibi jactavit Honorium actione VIII.; neque Honorii lectæ sunt epistolæ actione XII. & XIII.: neque de his quæsitum aut judicatum quidquam, actione XIII. & XVIII. Cui autem falsario adversus œcumenicam Synodum in totius Orbis conspectu tanta licuere? Si autem Honorii epistolæ, verè ab Hæreticis laudatæ, in sancta Synodo verè lectæ, verè examinatæ sunt, & in gesta relatæ, quid egisse finges Synodum? Tacuisse, neque quidquam decrevisse post tantos apparatus? Absurdum. Probavisse? Absurdus. Quis enim id unquam somniavit? Condemnavit ergò eas Synodus, neque ullum effugium est.

Ib.p. 551. si ei credimus, Theodorus ille Constantinopolitanus in VI. Synodo est  
552. condemnatus; cùm hujus in actis Synodi nulla sit mentio. Damnatione Honorii oppleta omnis pagina est: at Baronius eum condemnatum negat. Theodorus ille & contrà se gesta erasit, & contrà Honorium gesta inseruit: quidquid libuit, sustulit; quidquid libuit, insinavit. Leonis quoque II. credo corrupit epistolas: omnia successere; fraudis vestigium nullum. Et quidem Baronius tanquam scelere deprehenso, annum falsationis assignat eum, qui post Synodum consequatur: pertractum in sceleris consortium Imperatorem ipsum, Catholicum licet, ut Synodum, se auctore ac defensore gestam, ipse corruperit. Idem Baronius (mirum) de falsanda Synodo ad Imperatorem habitam artificis orationem refert integram, quæ duas impleat paginas: quasi Theodorus res in tantæ Synodi luce gestas, recente memoria, post annum vix expletum, obtupefactis Patribus & Legatis, atque emortuo Orbe, æterno silentio sepelire se posse confideret? Hæc Baronius: quo teste, quo indice? Nullo: nisi quòd non aliis suffulta machinis, concepta sententia stare possit.

Gra-



Grave quidem nobis est, hæc de Baronio, viro maximo, memorare; Christ. sed potior veritas: atque annales Ecclesiasticos, tantum opus, ab ipso Lup. diff. auctore, dum partium studiis abripitur, his figmentis dehonestatos esse, invr. Syn. nemo non doleat. Neque nos hæc primi memoramus: alii viri doctissi- c. VI. T. mi præverunt, ac nuperrimè Christianus Lupus, totam falsi suspicionem II. p. 853. tot argumentis elisit, ut nullus dubitationi superfit locus. Verùm alibi vid. diff. memorata hic prætermittimus. præv. n. LVI.

At enim ex Synodo VI. constat corruptam fuisse à Monothelitis Synodum V. & acta Vigilii & Patrum libros. Factum: at constat etiam Vid. Baro. an. 681. & falsitatem statim fuisse convictam; Patresque orthodoxos adversus impo- Conc. VI. aet. VIII. p. stores omninò vigilasse. At post tantam falsitatem, quantam communi- 753. & aet. ficeris novem sæcula dormierunt. XII. p. 917.

Quid autem Bellarmino prodest, Leonis Magni epistolas & alia mul- ta à Græcis quibusdam fuisse corrupta; cùm ea acta ad nos haud minùs Greg. integra pervenerint? Aliud enim est à Græcis quibusdam, codices ali- Mag. lib. quot; aliud omnes codices, quotquot per Orbem terrarum erant, com- VI. Ep. muni consensu fuisse corruptos. At enim, inquit ille, teste Gregorio, XIV. ad Latinorum codices veraciores sunt, quam Græcorum: quoniam Romani, sicut Narf. Com. non acumina, ita nec imposturas habent. Esto: quid tandem responde- T. II. pag. bunt, cùm ad Latinos codices provocabimus? Nempè in Latinis codici- 803. bus, Latinas Leonis II. epistolas legimus, quæ Græcis quoque codicibus fidem præstent. Tantine igitur est, non errasse Honorium, ut ea gratia Latinorum æquè ac Græcorum etiam fidem suspectam habeamus?

Cæterum vir doctissimus ac religiosissimus Franciscus Combefis, è Præ- Vid. Hist. dicatorum Ordine, Sacræ Theologiæ Professor, cùm omnia Baronii argu- Monoth. P. menta invictis argumentis confutavit, tùm verò ea gesta protulit, quæ Comb. ed. si Baronio videre contigisset, haud equidem puto hanc falsi actionem Pacif. 1643. tanta confidentia suscepturum fuisse. sub hoc tit. *Auctuarium*

Is igitur edidit Agathonis Diaconi orationem scriptam triginta ferè T. II, annis post VI. Synodum, Philippici Bardanis Tyranni temporibus: cu- Ib. p. 199. jus actionis hoc initium est: *Peccator ego, & omnium minimus Agatho, indignus Diaconus, ac sanctissimæ hujus magnæ Ecclesiæ scriniorum custos, venerabilisque Patriarchalis secreti Protonotarius, & secundus Cancellarius, antè duos & triginta plus minus annos juvenili adhuc ætate Lectorum Ordini accensus ac inutilis Notarius agens, sanctæ huic & universali VI. Synodo operam commodavi, universa in ea mota, quæsitæque ordine affectatus .... omnes porrò Tomos actorum præfatæ Synodi mundo codice propria ipse manu, Ecclesiasticis literis (p) consignavi, qui & sub signaculis, una cum fidei definitione, quam sancta eadem Synodus palam edidisset, Patrum subscriptione munita, in Imperatoris Palatio fuerunt repositi, ac tuto servati: quin & quinque Patriarchalibus Sedibus tradita, definitionis ejusdem, eadem Patrum subscriptione munita exemplaria, eodem conscripsi modo, jubente piæ recordationis Imperatore Constantino, ac sic fieri præcipiente; quo fidei orthodoxæ sinceritas, atque veritas nullis pateret insidiis.*

Cùm

(p) Ecclesiasticis literis.) Hic Agatho significare videtur scriptionis genus quoddam elegantius & nitidius illo, quo in actis vulgaribus uti solebant descriptores.



Cum postea memorasset, quid Philippicus Bardanes Tyrannus pro Monothelitis molitus esset, addit: nec voluisse eum ingredi Regiam, quoad VI. Synodi imago inde dejecta est; subditque: *Id, inquit: sua auctoritate decernens, ut Sergii, Honoriique ac ceterorum pariter ab eadem sancta œcumenica Synodo ejectorum, ac anathemati subsectorum nomina, in sacra sanctissimarum Ecclesiarum dyptica, præconio publico rursus referrentur, eorumque per loca imagines restituerentur.*

En pro Honorio quid hæretici faciant, quid Catholici attestentur: en qui acta conscripserit testis adducitur. Quid plura desideramus? An adhuc Græcos omnes, etiam pios & orthodoxos, & VI. Synodi studiosissimos, VI. Synodi falsatæ argui placet? Nimiùm profecto hæc prava sunt; sed tamen audiamus in quo Bellarminus & Baronius vim faciant.

## CAPUT XXVII.

*Potissimum argumentum falsitatis ex AGATHONIS epistola ductum: quam vanum illud sit: AGATHO & LEO II. inter se componuntur: etsi HONORIUS de fide prava docuerit, haud minus Ecclesie Romanæ permanere inconcussam fidem.*

**N**Empe ex Agathonis ad Constantinum Poganatum epistola, hæc profertur quæ palmaria esse putant: *Apostolica Petri Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est . . . . Nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata sine tenus permanet, secundum ipsius Domini salvatoris Divinam pollicitationem:*

Ep. Agat. ad Const. Imp. inact. IV. Conc. VI p. 63. Luc. XXII. 31. 32.

PETRE, inquit, ECCE SATANAS, &c. Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & salvator omnium, ejus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit: quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.

Hæc verò epistola, ut ait Bellarminus, à toto Concilio probata est, actione VIII. & XVIII. ubi dicunt Patres, non tam Agathonem quam Petrum per Agathonem locutum. Ergo ex ea epistola Honorius quoque confirmavit fratres in vera fide. Non ergo hæreticus, neque ei anathema dictum à sancta Synodo, quæ Agathonis epistolam recepisset; atque omnino Synodum falsatam esse oportet.

Tantam vim inesse putat in illis verbis, quibus Apostolici Pontifices semper fratres suos confirmasse memorantur. Omnesne ad unum? Atque ut hic alios omittamus, etiamne Liberius, quo tempore Nicænam infirmabat fidem, Athanasium fidei pugilem communionem repellebat, Arianos omnes habebat pro Orthodoxis, & cum Constantio persequebatur Ecclesiam? Profus nec illa tempora excipienda sunt, si semper illud strictè valeat. Sed ut in Honorio jam figamus gradum, rogo, tantisper VI. Synodum



modum omittamus , rem ipsam attendamus . Falsata sanè sit Synodus ; non credo , non sentio , non fero : falsata tamen sit , quàm maximè ea parte , qua literas Honorii damnat . Certè ipsæ literæ verè ab Honorio scriptæ , quas ut ab eo scriptas & Joannes IV. Honorii successor , & sanctus Maximus , & sancto Maximo teste , ipse Honorii secretarius \* defensabant : neque Baronius aut Bellarminus negant , imò ex earum fide maximè tuentur Honorium . Damnata ergò non fuerint , neque earum Auctor , non eò profectò meliores , si iudicium effugissent . At id ad extremos apices verum est , quod Agatho prædicat , à suis prædecessoribus , etiam ab Honorio , ut vis , *fratres Episcopos in vera fide semper fuisse confirmatos* ; ergò Honorius fratres in vera fide confirmabat , tùm cum duas voluntates & operationes à *prædicatione fidei* eximebat : confirmabat in fide Sergium Patriarcham , tùm cum scriberet , *ut unius vel duarum operationum novæ adinventiois vocabulum refutaret* , atque una cum hæresi orthodoxæ quoque fidei confessionem novitatibus accenseret : confirmabat in fide tùm cum *unam vel duas voluntates sentire vel promere ineptum* pronuntiabat : quasi vel utrumque adversari , vel saltem de utroque dubitare vera ratio cogeret : confirmabat in fide Sophronium Hierosolymitanum tùm cum duas operationes ex Patrum regula vel maximè asserentem , ita deterrebat , ut ab ea voce discessurum eum , illius quoque Legati *instantissimè pollicerentur* : aded rem urgebat Honorius . *Pacis causa* , inquires ; falsæ quidem pacis , & meritò à Patribus detestata , ut supra docuimus . An verò pax id quoque cogebat , ut *ineptum & novum* diceret , quod sapientissimum , quod antiquissimum , quod semper in Ecclesia prædicatum esse constaret ? Sed alio sensu , inquires , & ipsa questione nondùm intellecta ; & tamen interrogatus à tribus Patriarchis & utraque audita parte . Nam & Sergium ac Cyrum Hæreticos , & Sophronium maximè orthodoxum audiebat ; quos tamen interrogantes aded non confirmabat in vera fide , ut & à veræ fidei , quæ utique certa neque ambigua est , professione averteret . At nullo dato anathemate ; quasi in damnando solum , non etiam in probando , Ecclesiastica vigeat auctoritas . Quid autem juvat nullum anathema pronuntiatum ab eo esse , qui vel hinc maximè in culpa erat , & officio deerat , quod eo in discrimine positus , anathema suspendisset , remque certam ac firmam in dubio reliquisset ? At ut privatus homo ; verum utcumque est , quamcumque Honorius personam induerit , certè interrogatus à tribus Patriarchis , tot ac tantarum Ecclesiarum Patribus atque Doctoribus , in eo articulo versabatur , ut vel eos in fide confirmaret , vel officio deesse cogeretur : non autem confirmavit , quos in ruinam impulit , vel certè fluctuare fecit : ergò officio defuit .

At enim Agatho , cujus epistolam suscepit sacra Synodus , eum defendere voluisse videbatur . Obliquè certè , ut vidimus , non clarè & apertè . Suscepit autem sacra Synodus fidem Agathonis , non quæcumque de Honorio obliquè & occultè ingerebat . Ac ne quid Agathonis Patres derogasse viderentur , id etiam scripsere ex ejus sententia damnatum Honorium , quem in Sergio ac similibus proscripserat .

At qui tantum Agathonis deferri velit , Honorium obscurè & obliquè excusanti ; audiat Leonem II. clarè & apertè ex sacre Synodi præscripto con-

Joan. IV.  
Apol. ad  
Const. pro  
Honor. T.  
XII. Bibl.  
Pat. p. 835.  
& seq. disp.  
Max. cum  
Pyrr. T.  
V. Conc. p.  
1814. 1815.  
\* Joannes  
Abbas nuncupatus.  
Vid. sup.  
c. XXII.  
XXIII.



Epist. Leo demnantem : *Anathematizamus* , inquit , *etiam Honorium qui hanc Aposto-*  
 II. ad Imp. *licam Sedem , non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit , sed prophana*  
 T. VI. Con. *proditione immaculatam fidem subvertere conatus est* . Et ad Hispanos qui-  
 p. 1117. dem mitius , sed tamen tremenda voce : *Æterna damnatione mulctari sunt* ,  
 Eiusd. ep. *Sergius , Pyrrhus , &c. cum Honorio , qui flammam hæretici dogma-*  
 ad Hisp. ib. *tis , non ut decuit Apostolicam auctoritatem , incipientem extinxit , sed*  
 pag. 1246. *negligendo confovrit* .  
 1247.

Nempè his epistolis victus Baronius , optat falsas , non probat . Nunc Agatho & Leo stent simul : ille ante Synodum habitam Honorium utcumque purgare conatus : hic post Synodi sententiam , non modò abstinendum ratus ab-excusando eo , verum etiam arbitratus , debito anathemate percellendum . Ac si tantos Pontifices etiam super Honorii nomine conciliare nos oportet , Agathonem , quo Præsede Synodus inchoata est , & Leonem quo probante firmata ; tu sanè quisquis es , qui Bellarminum sequeris , conciliare non potes Agathonem dicentem , ut quidem interpretaris , ab Honorio quoque prædicatam esse & confirmatam fidem , cum Leone dicente , ab eodem Honorio non fuisse *lustratam* , sed fuisse *proditam* . Nos facile componimus omnia . Petro enim imperatum , ut confirmaret Fratres , & Agatho dicit , & Leo fatebitur : Id ergò ad Pontificium munus pertinere , uterque prædicabit ; & nos sanè cum iis maximè prædicamus . An verò certum sit eo semper officio functos , Agatho quidem id asseruisse videtur ; Leo verò Honorium vehementissimè officio defuisse . At illius generale , cum hujus peculiari dicto , facile cohærebit . Dictum enim Agathonis non ad strictos apices exigendum , sed civiliter intelligendum esse dicimus : Et *semper* idèò dictum , quod plerumque id factum sit ; quod unius culpa Pontificis , aliorum statim opera sarciatur , nihilque detrimenti patiatur fides . Solemus enim homines magna & illustria & consueta sectari , quod rarum fuerit & statim mutatum , nulla rerum conversione memorabili , nec factum cogitamus . Ita quidquid ab Honorio peccatum est ; id sanctus Severinus Honorio proximus ; id sanctus Joannes IV. sanctusque Theodorus , Martinus , Eugenius , Vitalianus , Adeodatus , Donus , Agatho , Honorii successores cumulativè rependerunt ; ut officio defuisse Honorium Ecclesia Romana vix senserit . Hinc *Ecclesiam Romanam non fuisse depravatam , neque errori succubuisse , sed in fide mansisse* Agatho prædicavit & nos confitemur ; neque in Petri sede viros esse Sergios , Pyrrhos , Paulos , Petros , Theodoros sibi mutuo errorem quasi hæreditarium cum sede tradentes , neque Romanos Pontifices sibi invicem succedentes , à fidei unitate abruptos fuisse . Quod si Honorius vel pejora ausus esset , non Romana propterea succubuisset fides , sed eum ut mortuum Ecclesia projecisset , & ex Ecclesia Romana Pontifex Catholicus surrexisset . Quæ si consideremus , & Agathonem cum Leone componamus , tum demùm intelligemus , quid sit illud immotum , quod in Sede Petri omnes Catholici veneremur . Quare ut hanc disputationem aliquando concludamus , hæc certa comperimus .

Honorium de fide à tribus Patriarchis ritè interrogatum pessima respondisse .

A sexta Synodo anathemate condemnatum .

A Romanis Pontificibus ante supremam Synodi sententiam excusatum , post eam sententiam eodem anathemate esse damnatum . Bel-



Bellarminum ac Baronium converfos ad fabulas, quod Honorium de-  
fenfuris nihil aliud auxilii fupperebat.

## C A P U T XXVIII.

*Questio de HONORIO concluditur, atque utcumque illius res se  
habent invictum manet ex his petitum argumentum.*

**A**Ddimus & id frustra esse, quod Bellarminus ac Baronius tanto moli-  
mine adstruere pergunt. Esto enim fallata sint omnia; tamen te  
fatente, à secutis Pontificibus, à septima deinde & octava Syno-  
do, vera sunt credita. Credita ergò à Pontificibus; credita à Conciliis;  
credita ab omnibus, credita, inquam, de Pontifice, quæ tanto molimi-  
ne ne credantur caves.

Sagacissimus Bellarminus id vidit, nec negavit: creditum, inquit, de  
Pontifice, ut homine privato. Quin tu igitur eo gradu consistebas? Quid  
actorum fidem tam inani opera sollicitatam oportebat? Nempè responsio  
de Papa, ut homine privato non satisfacerebat animo, cum certum illud  
maneret, à Synodo VI. generali fuisse judicatum: Papam ab Ecclesiis de  
fide interrogatum, Apostolico officio defuisse; neque confirmasse, sed im-  
pulisse Fratres, seseque cum eis in præcipitum coniecisse.

Hæc mente complexi Synodos ac Pontifices Bellarmino ac Baronio,  
summis licet viris, facile anteponemus. Quod verò Anastasius Bibliotecar-  
ius VI. Synodi decreta improbat, eaque pro Honorio audet, quæ nec  
Romani Pontifices ausi erant; contemnemus quidem; sed interim intel-  
ligemus, nullam aliam viam tuendo Honorio patuisse. Neque enim co-  
gitabat illud, aut Romanum Pontificem pro privato egisse, qui tot Pa-  
triarchis de fide quærentibus responderet; aut ejus epistolas non fuisse  
dogmaticas, qui sciret plerasque alias, non alio ritu modoque esse scrip-  
tas: neque levia illa aut minuta proferebat, in quæ nunc se conjiciunt,  
sed perfricta fronte Honorium tuebatur; quem si quis auctorem sequi ma-  
lit, nec sic effugiet; manetque semper illud: fuisse creditum Romanum  
Pontificem, ritè de fide interrogatum, docendo Patriarchas, responden-  
do Ecclesiis, pessima ac meritò damnanda respondisse, eamque senten-  
tiam ab œcumenica Synodo promulgatam; secutos Pontifices, secuta Con-  
cilia æquè œcumenica consensisse.

Jam si Anastasius, ac post eum Bellarminus, ne quid intentatum relin-  
querent de literis Honorii subdubitare voluisse visi sunt, quid nostra? Cum  
eas à Joanne IV. defensas, atque in VI. Synodo Græcè & Latinè lectas, &  
cum authentico diligenter collatas, ac pro veris agnitas, ac damnatas esse  
constet; idque præsentibus & nihil contradicentibus, imò consentientibus,  
ac subscriventibus Sedis Apostolicæ Legatis. Et ii quidem, cum Vigilio Papæ  
falsa decreta imputarentur, falsum arguerunt, calumniam propulsarunt;  
pro Honorio nihil hiscunt. Quin ipse Anastasius, ipse Bellarminus, non  
modò admittunt epistolas, verum etiam asserunt, vindicant, ex iis ma-  
ximè tuentur Honorium, quod item Baronius factitavit. Nec mirum varios  
fuisse, ac trepidos, qui tot undique coarctati argumentis, quo loco pedem

Bell. loc.  
jam læpe  
cit.

Anast.  
Bibl. ep.  
ad Joan.  
Diac. T.  
XII. Bib.  
Par. p. 833.

Anast. &  
Bell. loc.  
cit.  
Vid. Conc.  
vi. act. XII  
& XIII.  
Anast. &  
Bell. loc.  
cit. Bar. an.  
633. Tom.  
VIII. p. 317  
& alib. pass.



Epist. Leo demnantem : *Anathematizamus*, inquit, etiam Honorium qui hanc Apostolicam Sedem, non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed prophana prodicione immaculatam fidem subvertere conatus est. Et ad Hispanos quidem mitius, sed tamen tremenda voce : *Æterna damnatione mulctari sunt*, Ejusd. ep. *Sergius, Pyrrhus, &c. cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo conforvit.*

Nempè his epistolis victus Baronius, optat falsas, non probat. Nunc Agatho & Leo stent simul : ille ante Synodum habitam Honorium utcumque purgare conatus : hic post Synodi sententiam, non modò abstinendum ratus ab excusando eo, verum etiam arbitratus, debito anathemate percellendum. Ac si tantos Pontifices etiam super Honorii nomine conciliare nos oportet, Agathonem, quo Præsides Synodus inchoata est, & Leonem quo probante firmata ; tu sanè quisquis es, qui Bellarminum sequeris, conciliare non potes Agathonem dicentem, ut quidem interpretaris, ab Honorio quoque prædicatam esse & confirmatam fidem, cum Leone dicente, ab eodem Honorio non fuisse *lustratam*, sed fuisse *proditam*. Nos facile componimus omnia. Petro enim imperatum, ut confirmaret Fratres, & Agatho dicit, & Leo fatebitur : Id ergò ad Pontificium munus pertinere, uterque prædicabit ; & nos sanè cum iis maximè prædicamus. An verò certum sit eo semper officio functos, Agatho quidem id afferuisse videtur ; Leo verò Honorium vehementissimè officio defuisse. At illius generale, cum hujus peculiari dicto, facilè cohærebit. Dictum enim Agathonis non ad strictos apices exigendum, sed civiliter intelligendum esse dicimus : Et *semper* idè dictum, quod plerumque id factum sit ; quod unius culpa Pontificis, aliorum statim opera sarciantur, nihilque detrimenti patiatur fides. Solemus enim homines magna & illustria & consueta sectari, quod rarum fuerit & statim mutatum, nulla rerum conversione memorabili, nec factum cogitamus. Ita quidquid ab Honorio peccatum est ; id sanctus Severinus Honorio proximus ; id sanctus Joannes IV. sanctusque Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Donus, Agatho, Honorii successores cumulatissimè rependerunt ; ut officio defuisse Honorium Ecclesia Romana vix senserit. Hinc *Ecclesiam Romanam non fuisse depravatam, neque errori succubuisse, sed in fide mansisse* Agatho prædicavit & nos confitemur ; neque in Petri sede viros esse Sergios, Pyrrhos, Paulos, Petros, Theodoros sibi mutuo errorem quasi hæreditarium cum sede tradentes, neque Romanos Pontifices sibi invicem succedentes, à fidei unitate abruptos fuisse. Quod si Honorius vel pejora ausus esset, non Romana propterea succubisset fides, sed eum ut mortuum Ecclesia projecisset, & ex Ecclesia Romana Pontifex Catholicus surrexisset. Quæ si consideremus, & Agathonem cum Leone componamus, tum demum intelligemus, quid sit illud immotum, quod in Sede Petri omnes Catholici veneremur. Quare ut hanc disputationem aliquando concludamus, hæc certa comperimus.

Honorium de fide à tribus Patriarchis ritè interrogatum pessima respondisse.

A sexta Synodo anathemate condemnatum.

A Romanis Pontificibus ante supremam Synodi sententiam excusatum, post eam sententiam eodem anathemate esse damnatum.

Bel-



Bellarminum ac Baronium converfos ad fabulas, quod Honorium defenfurus nihil aliud auxilii fuppetebat.

## C A P U T XXVIII.

*Quæftio de HONORIO concluditur, atque utcumque illius res fe habent invictum manet ex his petitum argumentum.*

**A**ddimus & id fruftra effe, quod Bellarminus ac Baronius tanto molimine adftruere pergunt. Efto enim fallata fint omnia; tamen te fatente, à fecutis Pontificibus, à feptima deinde & oétava Synodo, vera funt credita. Credita ergò à Pontificibus; credita à Conciliis; credita ab omnibus, credita, inquam, de Pontifice, quæ tanto molimine ne credantur caves.

Sagaciffimus Bellarminus id vidit, nec negavit: creditum, inquit, de Pontifice, ut homine privato. Quin tu igitur eo gradu confitebas? Quid aétorum fidem tam inani opera follicitatam oportebat? Nempè refponfo de Papa, ut homine privato non fatisfaciebat animo, cùm certum illud maneret, à Synodo VI. generali fuiſſe judicatum: Papam ab Ecclefiis de fide interrogatum, Apoftolico officio defuiſſe; neque confirmaffe, fed impuliſſe Fratres, feſeque cum eis in præcipitium conjeciſſe.

Hæc mente complexi Synodos ac Pontifices Bellarmino ac Baronio, fummiſſis licèt viris, facilè anteponemus. Quod verò Anaſtaſius Bibliotecarius VI. Synodi decreta improbat, eaque pro Honorio audet, quæ nec Romani Pontifices auſi erant; contemnemus quidem; fed interim intelligemus, nullam aliam viam tuendo Honorio patuiſſe. Neque enim cogitabat illud, aut Romanum Pontificem pro privato egiffe, qui tot Patriarchis de fide quærentibus reſponderet; aut ejus epiftolas non fuiſſe dogmaticas, qui ſciret pleraſque alias, non alio ritu modoque effe ſcriptas: neque levia illa aut minuta proferebat, in quæ nunc ſe conjiciunt, fed perfriéta fronte Honorium tuebatur; quem ſi quis auctorem ſequi malit, nec ſic effugiet; manetque ſemper illud: fuiſſe creditum Romanum Pontificem, ritè de fide interrogatum, docendo Patriarchas, reſpondendo Eccleſiis, peſſima ac meritò damnanda reſpondiſſe, eamque ſententiam ab œcumenica Synodo promulgatam; ſecutos Pontifices, ſecuta Concilia æquè œcumenica conſenſiſſe.

Jam ſi Anaſtaſius, ac poſt eum Bellarminus, ne quid intentatum relinquerent de literis Honorii ſubdubitare voluiſſe viſi ſunt, quid noſtra? Cum eas à Joanne IV. deſenſas, atque in VI. Synodo Græcè & Latinè lectas, & cum authentico diligenter collatas, ac pro veris agnitas, ac damnatas effe conſtet; idque præſentibus & nihil contradicentibus, imò conſentientibus, ac ſubſcribentibus Sedis Apoftolicæ Legatis. Et ii quidem, cùm Vigilio Papæ falſa decreta imputarentur, falſum arguerunt, calumniam propulſarunt; pro Honorio nihil hiſcunt. Quin ipſe Anaſtaſius, ipſe Bellarminus, non modò admittunt epiftolas, verùm etiam aſſerunt, vindicant, ex iis maximè tuentur Honorium, quod item Baronius factitavit. Nec mirum varios fuiſſe, ac trepidos, qui tot undique coarctati argumentis, quo loco pedem

Bell. loc.  
jam ſæpe  
cit.

Anaſt.  
Bibl. ep.  
ad Joan.  
Diac. T.  
XII. Bib.  
Pat. p. 833.

Anaſt. &  
Bell. loc.  
cit.

Vid. Conc.  
vi. aét. XII  
& XIII.

Anaſt. &  
Bell. loc.  
cit. Bar. an.  
633. Tom.  
VIII. p. 317  
& alib. paſſ.



agerent, non haberent. Sed eorum commenta dudum nos plus æquo distinent.

## CAPUT XXIX.

*Patres TOLETANI Concilii XIV. Synodum VI. pro œcumenica non habent, eò quod Hispani ad eam vocati non essent, neque eam probant nisi facto examine, tametsi à Leone II. probatam constitisset.*

Vid. diff. præv. n. lvi. lvi. & sup. hoc lib. c. xxvi. Ep. II. Leo. II. T. VI. Conc. p. 1246. 1247. Conc. Tol. XIV. c. I. & II. T. VI. Conc. pag. 1279. 1280. Ib. c. IV. p. 1281.

U Num jam superest de VI. Synodo memorandum, imò memoratum & jam peritringendum paucis. Hispani Occidentali Concilio ab Agathone collecto, nulli interfuerant, neque Synodum VI. norant, neque etiam ad eam vocati erant. Itaque Leo II. ad eos scribit epistolam eam quæ sæpè memoravimus; simul definitionem sanctæ Synodi, & acclamationes mittit; acta quoque totius Concilii directurus, si ipsis delectarentur. Quæ cum omnia recepissent, sub Benedicto II. Leonis successore & Ervigio Rege, placuit Toleti congregari totius Hispaniæ generale concilium (q), ut ea gesta ab omnibus regni Conciliis & Provinciis probarentur. Decretum fit in hæc verba: *Gesta Synodalia, & cum gestis quoque Leonis antiquæ Romæ Pontificis invitoria epistolaris gratiæ consulta suscepimus, per quæ omnis ordo gestorum, gestaque ordinum dilucidè patuerant. Quæ epistola Præsules Hispaniæ invitati erant, ut prædicta Synodalia instituta, nostri vigoris manerent auctoritate suffulta.* En perspicuis verbis Hispaniensium Præsulum requisita auctoritas. Postea: *Placuit proinde satisfaciens Romano Pontifici, ea ipsa gesta firmare. Et paulò post: Ut utraque operum gesta (r), & Synodico dirigantur examine, & discretæ Conciliorum \* fulciantur auctoritate.* Idque fieri volunt, postquam, ut ajunt, *Synodica iterum examinatione decocta, vel communi Conciliorum omnium judicio fuerint comprobata.* Denique: *Dicta gesta cum antiquis Conciliis conferentes, ea ipsa gesta probavimus... & ideo supradicti acta Concilii in tantum à nobis veneranda sunt, & recipienda constabunt, in quantum à præmissis Conciliis (Nicæno & aliis) non discedunt.* En deliberatio; en examen exactum ad certam regulam, ad Patrum scilicet & antiquorum Conciliorum fidem; & post illud examen, neque aliter, gesta firmata. Quid amplius?

Nimis

(q) Hispaniæ generale Concilium. Non congregavit Ervigius generale Concilium, sed in unaquaque Provincia particulares Synodos. Placet hic exscribere ipsa verba Concilii Toletani XIV. cap. I. p. 1279. Princeps Ervigius... hoc dedit speciale editum, ut quia... sicut oportebat... generale Concilium fieri varia adversitatum incursio non sineret, saltem adunata per Provincias Concilia fierent; & si quidem hic primum à nobis in urbe Regia Synodus ageretur, deinde in singulis quibusque Provinciis singulare haberetur Concilium, quo, quidquid hic actum per Toletanam Synodum, reliqui primarum scilicet Præsules... per discretæ provinciarum suarum Concilia observarent.

(r) Ut utraque operum gesta Hispanis Pontifex primum miserat quintæ Synodi definitionem fidei & Prophoneticon, deinde acta integra; & hoc est, ut videret, quod dicunt Patres Toletani.

\* Hispanorum  
Ibid.  
Ib. c. V.  
Ib. c. VI.



Nimis probas, inquit, neque enim Pontificis tantum, sed Synodorum universalium decreta, particularibus Synodis examinanda subjicis. Facilis solutio. Universalium Conciliorum, quæ ut talia sint agnita, doctrinam, ac fidem, nemo unquam examini aut retractationi submitit: Hispani autem Patres minimè agnoscebant ut universalem hanc Synodum, quam nec audierant, ad quam nec vocati erant. Unde nunquam vocant universalem Synodum, sed ajunt: *Ad se perlata gesta Synodalia, quibus Constantinopoli Constantino pio principe mediante, magna & sublimis copia aggregata Pontificum: & consideranti, tota gestorum series indicabit, graviter tulisse Hispanos, quod vocati non essent. Quia etiam toties iterata examinis mentione, cavisse videntur, ne quis existimaret Concilii talis, quasi universalis auctoritate teneri Hispaniam, tantam Ecclesiæ partem, etiam non vocatam. Cum autem Synodum ut œcumenicam noller agnoscere, tamen de Sedis Apostolicæ sententia nulli dubitabant, quam & Agathonis & Leonis epistolis expressam legerent. Diserte enim Leo Concilium VI. uti alia quinque, universale vocabat, & lata in Synodo VI. anathemata iterabat, ut supra vidimus. Quare agnitum quoque Pontificis Romani de fide decretum examini subdunt, & legitima cognitione comprobant; nec verentur dicere, à se quoque firmari: tantum auctoritatis ipsi unitati, & communi consensioni inesse intelligebant.*

Ib. c. II.  
p. 280.

Eadem ratione Franci nostri, & Carolus Magnus ac Ludovicus verè Christianissimi Imperatores, septimam Synodum de sacris imaginibus, recipere ut œcumenicam diutissimè recusarunt; quod ad eam nullo modo vocati essent. Sed jam operæ pretium est, ut ejus Synodi acta referamus.

## CAPUT XXX.

*Synodus Nicæna II. seu generalis VII. more antecedentium Synodorum, de ADRIANI I. literis quæstionem habet: locus egregius, quo eadem Synodus docet vim illam ineluctabilem, in Ecclesiæ Catholice consensione esse positam.*

Cum Adrianus I. veram de colendis *νατὰ ἀνάσσειν*, seu relativo cultu, Christi & sanctorum imaginibus doctrinam, VII. Synodo per literas more priorum Pontificum exposuisset; Patres quoque more Majorum eas literas Synodicè examinarunt. Lectis enim epistolis duabus sancti Pontificis, altera ad Imperatorem, altera ad Synodum, \* quæsitum ita est per Legatos Apostolicæ Sedis: *Dicat nobis sanctissimus Patriarcha Tarasius Constantinopolitanæ urbis Episcopus, si consentiat literis sanctissimi Papæ senioris Romæ?* Rogatus in eam formam Tarasius, consentire se proficitur: *Nam & ipsi nos, inquit, scrutando Scripturas & syllogisticè approbando rimati sumus: sic quod confessi sumus, confitemur & constebimur; consonamus & vim litterarum literarum confirmamus.* Supplendum ex Græco post illud; *Scripturas rimati: hoc quoque; & patriis doctrinis docti, quod etiam vulgata & antiqua versio retinebat.*

\* Sive potius ad Tarasium C. P. Ep. Adr. I. ad Imp. & ad Taras. act. II. Conc. VII. Tom. VII. Conc. p. 99. & se. 121. & seq. Ib. 127. Ibid.

Patet



Ibid.

Ib. p. 130.

Ibid.

Vid. Diff.  
n. LXII.Act. VIII.  
p. 554.  
Ibid.

Patet ergò à Tarasio ita approbatas Adriani epistolas, quod rem ipse perpendens, eas Scripturis, traditioni, eique quam ipse ab antiquo hauserat, fidei conformes esse senserit, factaque inquisitione intellexerit: post quæ Tarasii verba, *sancta Synodus dixit: tota sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat*. Quibus verbis tota Synodus se Adriano auctori, ac Tarasio ex intellecta ac perpensa ratione approbanti, consentire declarat. Atque ut res constaret clarius, à Legatis Apostolicis Synodus interrogata est, in hanc formam: *Dicat nobis sancta Synodus, si admittat literas sanctissimi Papæ senioris Romæ an. non?* Quod de re explorata, deque irreformabili iudicio quæri, neque recta ratio, neque fides finit. Ad eam rogationem sancta Synodus dixit: *Sequimur & suscipimus, & admittimus*.

Unde rebus summa attentione perpensis, fit definitio Synodalis, non unius Romani Pontificis, sed totius Ecclesiæ Catholicæ consensu & auctoritate nixa: cujus definitionis initium (*alibi relatum hic retexere non est necesse; quo docet sancta Synodus in eo vim esse*) Ecclesiastici iudicii; ut nihil innovetur; ut quæ communi traditione perlata sint ad nos, communi consensione ac decreto firmentur: unde addunt: *Nihil adimimus; nihil addimus* (communi & universali traditioni scilicet) *Sed omnia quæ Catholicæ sunt Ecclesiæ immutata servamus*. Quibus positis sic concludunt: *Quæ cum ita sint, Regiæ viæ semitis inherentes, sequentesque divinitus inspiratorum sanctorum Patrum nostrorum Magisterium, & Ecclesiæ Catholicæ traditionem, quippe quam esse noverimus Spiritus Sancti, qui ipsam inhabitat; definimus in omni certitudine ac diligentia, &c.* Ut profectò appareat summam illam & ineluctabilem certitudinem in Ecclesiæ Catholicæ consensione, imò in Spiritus Sancti universam Ecclesiam docentis Magisterio esse positam, quod habebamus demonstrandum. Igitur sanctæ VII. Synodi post Romani Pontificis lectam definitionem, inquisitio, confirmatio, iudicium sic se habet.

## CAPUT XXXI.

*Galli Synodum VII. seu Nicenam II. ADRIANO præside habitam, pro œcumenica non habent, eò quod ad illam nec ipsi, nec alii Occidentales vocati essent: Egregius ea de re Jacobi SIRMUNDI locus: Romanorum Pontificum de Gallis sententia.*

**C**Ur autem Patres nostri Ecclesiæ Gallicanæ Præsules ejus Synodi decretis repugnarent, causa erat, non quòd de Synodi œcumenicæ auctoritate dubitarent; sed quòd Nicenam II. ad quam vocati non essent, pro œcumenica non agnoscebant; imò in Francofordienti Synodo, ex Galliæ ac Germaniæ Ecclesiis congregata, præsentibus etiam Romanæ VII. Can. Ecclesiæ Legatis, respuebant: quod, quia maximè ad rem nostram spectat diligentissimè considerare nos oportet.

Sanè quod ad rem ipsam spectat, hoc est imaginum cultum, non est ani-  
mus



mus Majorum nostrorum sententiam tueri ; quippè quos intelligamus , cum  
 ipsis Nicænis Patribus , facile convenire potuisse ; si , quod postea fa-  
 ctum est , sua ipsorum dogmata satis attendissent . De Synodi autem  
 Nicænæ auctoritate , quod hujus loci est , placet adscribere verba egregii  
 viri Jacobi Sirmundi , in admonitione ad Canonem II. Concilii Franco-  
 fordienfis . *Quod , inquit , ad Synodi nomen attinet , in promptu habent*  
*Galli quo invidiam depellant . Constat enim sic in hac quæstione versatos*  
*esse , tum Synodi Francofordienfis , tum Carolini voluminis Auctores , ut*  
*sibi , non cum œcumenico Concilio , sed cum peculiari Græcorum Synodo ,*  
*rem esse contenderent . Ita enim passim in libris illis profitentur , queruntur-*  
*que propterea , illam sibi aut universæ , aut VII. Synodi nomen arro-*  
*gare , cum œcumenicam dici posse nega- ut , ad quam soli Græci convenis-*  
*sent , reliquarumque Provinciarum Ecclesiæ convocata , aut sententiam per*  
*epistolas , more Ecclesiastico rogata non fuissent . Et quidem si rem suis mo-*  
*mentis expendamus , satis omnino causæ videbatur , cur Synodum , cui tot*  
*adhuc Provinciarum , ac totius penè Occidentis suffragia deessent , pro œcu-*  
*menica nondum haberent . Nec Adrianus ipse aliter se sentire ostendebat ,*  
*qui allatam è Græcia Synodum ( ut Hincmarus eodem loco docet ) in Gal-*  
*liam misit ; Conciliumque ejus causa convocari à Carolo jussit , & libris Ca-*  
*rolinis , quibus oppugnata est , ita respondit , ut œcumenicæ Synodi no-*  
*men illis auctoritatemque nusquam objiciat . Hæc Sirmundus vir maximus*  
 pro Gallis nostris , de Synodi Nicænæ II. auctoritate respondet .

Sirmund.  
adnot. ad  
Can. II.  
Conc.Fran.  
ib. p.1055.

Hincm:  
epist. ad  
Hincm.  
Laud.c.xx.

Neque tantum Concilii Francofordienfis tempore , Nicænam II. Sy-  
 nodum respuebant , cum ejus acta ignorarent ferè ; sed etiam toto Ca-  
 roli Magni Regno , ac diutissimè postea .

Constabat interim Romanos Pontifices in eandem cum Nicæna II. Sy-  
 nodo ivisse sententiam , atque ab Adriano editam ea de re , ac missam  
 ad Synodum epistolam decretalem , cui Synodus consensisset .

Agitata postea res est , missis ultrò citròque scriptis ; editique libri  
 adversus Nicænam Synodum , qui ex Caroli nomine , *Carolini* appellan-  
 tur . His responsum est ab ipso Adriano pro Nicænis dogmatibus : ne-  
 que eo fecius nostri cum Carolo Magno in sententia peristere .

Neque interea pro Hæreticis , aut Schismaticis habebantur , qui de re  
 maxima , nempe de interpretandis primæ tabulæ præceptis dissentirent ;  
 quia bono animo rem quærere , non pertinaci studio contendere videban-  
 tur . Et Carolus Magnus cum Adriano I. non tantum religionis obsequio ,  
 sed etiam singulari , atque intimo amicitiae vinculo conjunctissimus vixit ;  
 & interim à Leone III. sæpè ad auxilium invocatus , & Imperiali Coro-  
 na fuit insignitus : adèd quæ ad fidem spectare viderentur , non in unius  
 Romani Pontificis auctoritate , sed in Ecclesiæ universæ consensione posita  
 esse constabat .

Quin etiam imbibita nostrorum animis sub Carolo Magno Rege sen-  
 tentia , sub Ludovico Pio hæsit .

Nempe sub eo Principe de imaginibus Conventus habitus est Parisis , cu-  
 jus Conventus historiam ex gestis , vir diligentissimus Sirmundus sic exponit : Sirm.Præf.  
 Venisse ad Ludovicum Pium , Michaelis ac Theophili Græcorum Imperatorum Parif. an.  
 Legatos , atque inter cætera dissidium exposuisse , quod in Ecclesia Orien- 824. T.  
 tali



VII. Conc. p. 1548. tali propter imagines versabatur ; quas alii adorandas , alii non adorandas esse contenderent : eisdem Imperatorum Legatos significasse , se hac de causa Romam etiam ad Pontificem ituros : Ludovicum pacis componendæ studio à Pontifice poposcisse , ut ejus rei gratia Parisiis Episcopi convenirent .

Ib. & p. seq. Ex hujus Conventus sententia , Ludovicus Pius scripsit epistolam ad Eugenium II. & commonitorium ad Hieremiam Senonensem , ac Jonam Aurelianensem , suos ad Eugenium II. Legatos , ex quibus hæc habemus.

Ib. Common. Lud. Pii. p. 1549. Primo : ab Episcopis *Collectiones factas de libris sanctorum Patrum* , easque ad Ludovicum perlatas : sic enim scriptum est in ipso commonitorii initio .

Secundò : petitam fuisse licentiam ab Eugenio , hujus nominis II. ut Episcopi eas collectiones facerent , quæ Papæ ad Græcorum consulta responsuro adjumento futuræ viderentur . Qua de re sic scribit Ludovicus ad Eugenium II. *A vestra Sanctitate petivimus , ut Sacerdotibus nostris liceret , de Libris Sanctorum Patrum sententias querere , atque colligere quæ ad eandem rem , pro quâ iidem Legati ( Græci scilicet ) vos consulturi erant , veraciter definiendam convenire potuissent .*

Tertio : res igitur ita tractabatur , etiam Eugenii II. consensu , ut quæ nondum ultimo , atque irretactabili judicio definita esset .

Quartò : hæc quidem ad Papam scripta sunt . At in commonitorio Episcopi jubebantur , ut rem quam minima Pontificii animi offensione tractarent . Verba commonitorii sic habent : *Ut summopere caveatis , ne nimis resistendo Domnum Apostolicum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis : sed obsequendo magis quam aperte resistendo , ad mensuram deducere valeatis .* Sic & Sedis Apostolicæ dignitatem colebant , & cum Pontifice reverenter tractabant , & ab eo interim in questione fidei , *irrevocabilem pertinaciam* metuebant .

Atque hæc acta sunt anno 824. post triginta annos quam secunda Nicæna Synodus habita esset . Ac postea Franci diutissime suam sententiam tuebantur . Interim cum à tot Romanorum Pontificum decretis recederent , haud minus se in Ecclesiæ Romanæ communione ac fide permanere gloriabantur ; adeò dubia , nec dum recepta communi consensu dogmata , à certis exploratisque secernebant , Neque Romanam Ecclesiam , suis licet Pontificibus cohærentem , errasse jactabant ; quod abesse putarent eam , quam ad extremum ab Eugenio metuebant , *irrevocabilem pertinaciam* . Nec illis palam dissentientibus , Concilii Nicæni II. aut Romanorum Pontificum , qui idem decrevissent , aut etiam Concilium Nicænum comprobassent , tanquam indeclinabilis objecta est auctoritas : quòd satis constaret , nec vocatos eos , & pro lege esset illud , à Nicæna quoque Synodo positum fundamentum : *Communem fidem , communi consensu stabilendam* . Quare Concilii VII. apud Orientales , re penitus inquisita , inter se consentientes statim auctoritas valuit : apud nostros , rebus paulatim patefactis , & consentientibus Ecclesiis obtinuit : adeò & nostrorum animis inhærebat , & ipsi Romani Pontifices fatebantur , illud à Majoribus acceptum : fidei definitiones Ecclesiæ Catholicæ consensu valere .

Common.  
loc. sup. cit.

VII. Conc.  
VII. act.  
VIII. defin.



## CAPUT XXXII.

*Synodus VIII. generalis, Constantinopolitana IV. aequè ac cætera, de Romanorum Pontificum judiciis judicat: traditam sibi à Christo, ut & Romanæ Ecclesiæ ligandi ac solvendi potestatem agnoscit & exercet: post Synodi judicium, nulla jam appellatio, nulla alia spes est.*

**N**on est hic prætermittenda generalis Synodus VIII. Constantinopolitana IV. sub Adriano II. Summo Pontifice, & Orientis Imperatore Basilio. Etsi enim non de fide propriè, tamen agit de re maxima, quæ fidem proximè attineat; de initio scilicet Photiani schismatis, totam conturbantis Ecclesiam & in ingens incendium erupturi.

Quis Photius fuerit, qua violentia Ignatium Constantinopolitanum Episcopum, virum sanctissimum oppresserit, & ejus locum invaserit, ut deinde à Romanis Pontificibus compressus, condemnatus, anathematizatus fuerit: qua audacia adversus Ecclesiam Romanam caput erexerit, omnes sciunt. De eo ejusque sectatoribus penitus amovendis quæritio habebatur, totaque aded Synodus in commendanda Sedis Apostolicæ auctoritate versatur.

Post lectam actione III. & approbatam Adriani II. epistolam, actione IV. & V. leguntur Nicolai Papæ, Adriani antecessoris epistolæ duæ, & Legati meritò contendebant, rem ex multò tempore esse judicatam; neque à Paternis definitionibus posse discedi. Cæterum ad tollendam dubitationem omnem, lectis epistolis, Synodum rogant: *Placetne vobis sensus iste, an non? Et si quidem placet, talia sunt nostra & nostræ Sedis: quod si apud vos non fuerint acceptabilia, nos tamen super montem excelsum Synodi ascendemus, & exaltabimus in fortitudine vocem nostram, evangelizantes vobis, & consequentiam quæ facta est, (id est, rei gestæ seriem, processumque juridicum) & ore promulgata est sanctorum Patrum nostrorum à gratia Spiritus Sancti. . . . Ad hæc quid dicit Sancta Synodus? Sancta & universalis Synodus exclamavit: recipimus omnia; valde quippè sunt discreta & congrua, & consona Ecclesiasticis regulis. Ita sanctæ Synodi accipiunt, & Sanctæ Sedis decreta, & monita Legatorum, facto examine, ratione perfecta.*

Aderat sacro cœtui Basilius Imperator, ad quem Romani Vicarii, memoratis Nicolai I. & Adriani II. judiciis Canonicis, hæc loquuntur: *Sanctissimus Adrianus nos famulos suos direxit in hanc urbem, ad manifestationem veri & justii judicii, in conspectu Imperii vestri, & sanctæ universalis Synodi: ita ut non habeant vocem repeditionis vel appellationis; sed quemadmodum jam judicati sunt, & dejecti in sæculum maneat.*

En tantum per Synodum universalem appellationis sublata spes omnis; neque à decreto resilire datur, sed fixa & æterna manet sententia. Quid amplius? Sic se habet Ecclesiasticorum judiciorum ratio, non tantum in

Conc.  
VIII. T.  
VIII. act.  
III. p. 1011.  
act. IV. p.  
1011. & act.  
V. p. 109.  
malè. 1019.  
ib. act. V.  
p. 1042.  
Ib. pag.  
1043. vid.  
Diff. præv.  
n. LXIII.

Ib. pag.  
1056.



fidei quæstionibus, sed etiam in iis, quæ statum & pacem omnium Ecclesiarum spectant.

## CAPUT XXXIII.

*Concluditur argumentum ab VIII. primorum Conciliorum auctoritate repetitum: eorum acta adversarii nec considerasse videntur: Sancti GELASII & Sancti GREGORII locus de irretractabili Ecclesiasticorum judiciorum auctoritate.*

**E**Am traditionem deductam ab Apostolis ad octo prima generalia Concilia manasse vidimus. Quæ quidem octo generalia Concilia totius Christianæ doctrinæ ac disciplinæ fundamenta sunt; quorum prima quatuor, haud secus ac quatuor Evangelia, post Sanctum Gregorium Ecclesia Catholica venerata est. Neque minor cæteris cultus, cum eodem spiritu acta, parem auctoritatem obtineant. Quæ octo Concilia, magno unanimique consensu, definiendi vim irrefragabilem, non alia in re, quam in Patrum consensione posuerunt. Inter quæ sex ultima, Romani Pontificis prolatam etiam de fide sententiam, ad examen legitimum, Sede Apostolica probante, revocarunt, quæstione constituta in hanc formulam: *Eane decreta rectè habeant, necne?* ut in actis legimus.

Conticescant igitur Stapletonus, & Auctores in libello Doctrinæ Lovaniensium relati, atque eos secutus Auctor anonymus de Libertatibus Gallicanis, qui hæc pronunciant contra gestorum fidem: *In istis Conciliis omnibus, præjudicatam Romani Pontificis sententiam, pro norma & regula fidei habitam: quodque idem est; Apostolicæ Sedis dogmaticam ad Synodum epistolam locum habuisse plenæ atque irretractabilis definitionis.* Quo uno testantur Synodalia gesta nunquam à se attento animo, sanove judicio esse perlecta: quippè quæ dogmaticarum epistolarum legitimam retractationem examenque contineant.

Non ita unquam Synodi generalis judicium retractatum vidimus, sed omnes statim in obedientiam pronos: neque unquam cuiquam, post illud examen, inquisitionem novam fuisse concessam, sed intentatam pœnam. Sic Constantinus; sic Marcianus; sic Cælestinus; sic Leo; sic alii omnes, quos in gestis vidimus. Hæc certa & inconcussa Orbis Christianus agnovit.

Huc accedit illud sancti Gelasii egregii Pontificis: *Bona Synodus neque Christiana semel acta, nulla nec potest, nec debet novæ Synodi iteratione convelli.* Atque iterum: *Bona Synodus, nulla causa est, cur alia debeat Synodo retractari, ne ipsa retractatio ejus constitutis detrahat firmitatem.* Sic stant irretractabilia, quæ ultimo & certo Ecclesiæ judicio constant. Convellitur enim illud Spiritus Sancti judicium, quoties iterato judicio retractatur. Tale autem est judicium à Romano Pontifice prolatum, ut novo judicio retractatum fuerit. Non ergo est illud ultimum & certum Ecclesiæ judicium.

Ne-



Neque verò obscurior est illa sententia Gregorii Magni, quatuor <sup>Greg.</sup> Synodos generales Evangeliiis quatuor comparantis; additaque ratio. *Quia* <sup>Mag. Lib.</sup> *cum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit quisquis* <sup>1.ep.XXV.</sup> *præsumit, aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt.* <sup>al. XXIV.</sup>

Jam igitur nostra quæstio antiquorum Conciliorum, ac Patrum traditione finita est. Placere debet omnibus Romani Pontificis secundum Concilii Florentini decretum explicata potestas, ex Conciliorum generalium praxi. Patet discrimen ingens inter Conciliare & Pontificium judicium, cum post Conciliare nulla quæstio, sed sola supersit captivati intellectus obedientia; Pontificium verò ita comprobetur facto examine, ut si detur locus, improbari possit; quod erat demonstrandum.

## CAPUT XXXIV.

*Alia Concilia generalia memorantur: in iis perstitit antiqua Traditio, ut summæ quæstiones ad Concilia generalia referrentur, nec Pontifex decerneret, nisi SACRO APPROBANTE CONCILIO: referuntur quatuor prima Lateranensia œcumenica Concilia sub CALIXTO II. sub INNOCENTIO II. ALEXANDRO III. INNOCENTIO III. & Lugdunense primum sub INNOCENTIO IV.*

**P**ost primas octo Synodos generales summa diligentia pervolutas, in promptu est judicare de aliis ex earum sententia, quas & actis luculentioribus notas esse, & Apostolorum ævo propiores, faciem cæteris prætulisse constat. Et tamen ex ipsis posterioris ævi secutis Conciliis demonstramus perstitisse in Ecclesia Catholica antiquam traditionem, ut summæ quæstiones, summisque animorum dissensionibus agitatae, ad Concilia generalia referrentur.

Id singulare habent pleræque ex his posterioribus Synodis, ut eas Romanus Pontifex præsens habuerit, ejusque nomine dicta sententia sit; non aliter tamen, quam *sacro approbante Concilio*. Qua formula declaratur, definitiones editas & canones conditos, non nisi consentiente & approbante Concilio, pro pleno Ecclesiæ Catholicæ judicio valituras.

Jam ergo illas Synodos ordine recensemus, enarramusque gesta, quantum quæstioni nostræ erit necessarium, quod erit facillimum, cum pauca habeamus.

Quæstio de investituris ingens toto Orbe incendium concitaverat, multisque ad fidem pertinere videbatur; quod aliquatenus verum est. De pace sæpè actum inter Calixtum II. & Henricum V. Imperatorem, eamque summus Pontifex in Concilio Rhemeni, plus trecentis Episcopis congregatis, eorum *judicio atque sententia confirmare* voluerat, ut ipse in eadem Synodo profiteretur. Verba notanda sunt, *ex eorum sententia atque judicio*; prorsus ex antiquæ disciplinæ ratione. Sed quod Rhemis inchoatum, in Lateranensi I. generali Concilio consummavit anno 1122.

Conc.  
Rhem. sub.  
Calix. II.  
Tom. X.



Sub Innocentio II. non solum infando Petri Leonis schismate Ecclesia laborabat, sed etiam Auctore Petro de Brueis hæreses ubique pullulabant ex, quæ postea per Albigenſes in majus incendium eruperunt. Arnaldus Brixiensis in ipsa Urbe, non solum seditiones agitabat, sed etiam hæreses seminabat. Igitur ad schismatis reliquias extinguendas torque hæresum nascentium dira initia comprimenda, atque instaurandam tot turbis collapsam disciplinam, summus Pontifex Concilium generale Lateranense II. habuit anno 1139.

Conc. Lat. II. sub Innoc. II. ib. p. 999. & seq.

Octaviani apostatici Pontificis schismate diu agitato, eam quæ schismatibus occurreret, Romani Pontificis eligendi formam, Concilii generalis approbatione sancivit: damnavit hæreses quæ ab Albigenſi tractu inauditis fraudibus diffundere se cœperant; ac labentem magis magisque disciplinam munire voluit. Harum rerum gratia, Concilium generale Lateranense III. convocavit anno 1180.

Conc. Later. III. sub Alex. III. ib. p. 1503. & seq. ib. p. 1506.

In convocationis literis hæc habentur: in Ecclesia pullulare germina vitiorum, zizania crescere, quæ germen bonum suffocare nituntur, horum evellendorum curam Episcopis quidem omnibus; multò tamen fortius imminere Romanæ urbis antistiti, qui à Domino JESU CHRISTO, ut caput esset Ecclesiæ in beato Petro accepit, & de pascendis Dominicis ovibus & fratribus confirmandis expressum & speciale noscitur habuisse mandatum. Unde ipse de diversis partibus personas Ecclesiasticas evocavit, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria statuatur, & quod bonum secundum consuetudinem antiquorum Patrum provideatur & firmetur à multis: quod si particulariter fieret, non facile posset PLENUM ROBUR habere. Sic ad officium confirmandi fratres id pertinere intelligit, ut Concilio generali habito decreta firmentur à multis, ac facile plenum robur habeant, cum statim elucescat illa consensio, in qua firmitudinem Christus collocavit.

Conc. Later. IV. sub Innoc. III. can. 1. T. XI. p. 142. vid. etiam can. II. & IV. Serm. 1. Innoc. III. ib. p. 131. & seq.

In Concilio generali Lateranensi IV. sub Innocentio III. primum explicatur Catholica fides, de unitate sanctissimæ Trinitatis, adversus Joachimum Abbatem (f) Almarici (t) etiam doctrina condemnatur, non tam hæretica quam infana: Eucharistiæ mysterium ac mira illa ab omni ævo credita panis vinique conversio, significantissimo transubstantiationis vocabulo explicatur: conduntur canones quibus Ecclesiastica disciplina reformetur: Christiani denique omnes ad sacrum bellum & ad Hierosolymam recuperandam incenduntur: quas duas postremas Concilii convocandi causas Innocentius commemorat, nullique Canones labentibus sæculis magis invaluere, quam ii, quos tanta Synodus constituit anno 1215.

In-

(f) Joachimum Abbatem ) Hic suis Prophetiis, seu mavis, conjecturis sæpe probabilibus celeberrimus, in quodam suo libro, qui nunc non extat, adversus Petrum Lombardum stylum acuerat, eumque ut hæreticum & insanientem redarguerat; ipse de Mysterio Sanctæ Trinitatis parum accuratè fuerat locutus. Synodus Librum damnavit, Joachimo pepercit, eò quod omnia sua scripta Sedis Apostolicæ judicio submiserat.

(t) Almarici ) Qui scholas de arte Logica diu rexerat in Universitate Parisiensi, varias hæreses Rigordus refert an. 22. Philippi Augusti. Post ejus mortem, inquit, surrexerunt quidam venenosa ejus doctrina infecti, qui novos & inauditos errores, & inventiones Diabolicas confixerunt. Vid. etiam alios hujus ævi historicos.



Innocentius IV. ad Fridericum Imperatorem deponendum Concilium generale Lugdunense I. convocavit, quo in negotio quam nullam personam Episcopi egerint, suo loco retulimus. Cætera verò, quæ verè & liquidò Ecclesiastica essent, Synodo approbante facta, anno 1245.

Conc.  
Lugd.I. sub  
Innoc.IV.  
ib. p. 633.  
& seq.

## CAPUT XXXV.

*Concilium generale Lugdunense II. sub GREGORIO X. de reconciliandis Græcis: hujus acta præcipua referuntur.*

**A**Nno 1274 Gregorius X. cum Græcos in Ecclesiæ Romanæ unitatem reducturus esset, Concilium generale Lugdunense II. convocavit.

Huc accedebat terræ sanctæ vastitas, ac morum subversio in Clero & in populo tanta, ut non cerni, sed palpari videretur. His convocationis causis expositis, hæc addit: *Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, generale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque observationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum, ut in eo tam circa præmissa, quam circa cætera, quæ salutem respiciunt animarum, illa Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio & ejusdem Concilii APPROBATIONE ROBORETUR: & hoc ex antiquâ disciplina, ut quod interest omnium, id est, causæ generales, omnium consilio procuretur, auctoritate & approbatione roboretur; tantaque interdum necessitas, ut non alio remedio succurratur.*

Epist.  
Greg. X.  
ante Conc.  
Lugd.II.T.  
XI. Conc.  
p. 940.

Jam quod erat maximum, quid in reconciliandis Græcis actum sit, compendio memoramus. Ac primum allatæ sunt literæ Michaelis Palæologi Imperatoris totius Ecclesiæ Orientalis scriptæ nomine: his repetitur symbolum, cum additione *Filioque*; cætera Latinos inter & Græcos controversa, eo modo finiuntur, quod docet & prædicat sacro-sancta Romana Ecclesia.

Ep. Mich.  
Imp. ib.p.  
961. & seq.

Rogat deinde Imperator, ut Orientalis Ecclesia dicat Symbolum eo more, quo ante schisma dicebat; non addita scilicet particula *Filioque*; permaneatque in ritibus, quibus antè schisma uteretur, qui non sunt contra fidem.

Ibi. p. 967.

Hac fide Græci recipiuntur: fit Canon, quo, sacro approbante Concilio, reprobantur, qui Spiritum Sanctum à Patre *Filioque*, tanquam ex uno principio æternaliter procedere negaverint.

Ib. Conſ.  
1. p. 975.

Hæc igitur erant, quæ Concilii generalis auctoritatem requirebant; fides nondum hætenus ab Ecclesia declarata de Spiritu Sancto, qui à Patre *Filioque* præcederet, tanquam ab uno principio: utque nihilominus Græci Symbolum recitarent quo more solebant, atque in suis ritibus permanerent: quæ Græci sine Concilii generalis assensu & auctoritate satis firma esse futura non crederent.



## CAPUT XXXVI.

*Decretum Concilii Lugdunensis II. de Papæ auctoritate producitur : ostenditur nihil favere adversariis .*

**P**aulò diutius immorandum in eo loco quo Græci Romani Pontificis Primatum confitentur : quo loco adversarii nostram sententiam confutari vehementissimè asserunt . Quare locum integrum producimus .

Epist. De hoc ergò Primatu hæc Imperator, hæc Episcopi Græci per speciales Nuntios (u) profitentur : *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit, & sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & de fide, si quæ subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri.* Addunt de appellationibus in quibuscumque causis atque negotiis . Subdunt : *Ad hanc autem (Romanam scilicet Ecclesiam) sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit : quarum multas, & Patriarchales præcipuè diversis privilegiis honoravit ; sua tamen observata prærogativa, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva : His Prælati*

Episc. Græci, data speciali epistola consentiunt .  
ib. p. 968.  
& seq. Hæc fusè retulimus, quibus adversarii maximè gloriantur : quam im-  
Sup. Lib. merito, vidimus, cum de Florentino Concilio ageremus, in quo eadem,  
VI. c. XI. quod ad rerum summam attinet, repetuntur .

vid. Decr. Sanè docebimus à nostris in summo Pontifice agnosci plenitudinem  
Un. Conc. potestatis, neque id prohibere quominus ea potestas ab universali Conci-  
Flor. Tom. lio dirigatur, & secundum Canones exerceatur, quod etiam ex Conci-  
XIII. Conc. lio Florentino sæpè probavimus .

p. 510. & seq. Quam vero aptoque sensu Romanus Pontifex super universam Eccle-  
Vid. inf. siam Primatum ac Principatum obtineat ex Concilii Constantiensis certo  
Lib. X. atque à Martino V. expresse approbato dogmate, & ex Concilii Floren-  
Sup. Lib. tini doctrina & ex adversariorum consensu ostendimus .

VI. Quod autem ad Pontificiam infallibilitatem trahant illud : *Subortæ quæstio-*  
Sup. Lib. *nes suo debent iudicio definiri ; nec id quidem advertunt, quod antecesserit,*  
V. & VI. *nempè id ; sicut PRÆ CÆTERIS tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ*  
pass. *de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri.* Ergò ut non so-  
lus, sed præ cæteris tenetur defendere fidei veritates, sic profectò non solus,  
sed præ cæteris quæstiones definire debet : sic scilicet, ut præcipua illius auc-  
toritas sit, ut habita Synodo ipse præeat, communemque sententiam, suo

quo -  
(u) Speciales nuntios ) Miserant Græcus Imperator & Græci Episcopi, qui seorsim  
suas literas juramento confirmarent ; simul pollicerentur se earum observantiam servaturos.  
Vid. Sacr. Imper. p. 967. 968. & Episc. 971.



quoque nomine edat, pronuntiet, exequatur: quod Clerus Gallicanus cum omnibus Catholicis confitetur.

Sed fortè vim facient in illo verbo, *definire*, quod est in Concilio Lugdunensi positum: cùm profectò *definire* nihil aliud sit, quam definitivam, ut ajunt, ferre sententiam: quod non modò supremo atque ultimo Judici, sed etiam aliis competit, Superioris auctoritate salva. Certè *definire* ac *determinare* pro eodem habentur. Quis autem Theologus non audit determinationes sacræ Facultatis, aut quis eas propterea infallibiles cogitavit? *Definit*, *determinat*, qui tota sua qualiscumque est auctoritate judicat: quantum ea definitio ac determinatio valeat, non ex iis præcisè verbis, sed ex aliis rebus, quas sæpè memoravimus repetendum.

Quem ergò his Concilii Lugdunensis verbis sensum affingunt, ut Pontifex *solus*, ut *infallibili judicio* definiat; primum id de suo addunt: tum ab ipso Gregorio, ab ipso Lugdunensi Concilio, ipsaque Græcorum sententia refelluntur.

Et Gregorius quidem non id sibi tribuit, ut solus definiat fidei quæstiones, qui ad eas definiendas Concilium generale congregavit, fidemque non nisi *sacro approbante Concilio* exposuit; statimque professus est in ipsa convocatione Concilii, quæ essent decernenda, etiam circa fidem & schisma Græcorum, ejusmodi fore, ut *approbatione Concilii roborentur*. Cur verò tantus in ciendis toto Orbe Patribus labor, si unius Pontificis auctoritate hæc robur obtineant? Id ergò voluit à se quidem, *præ cæteris*; sed etiam, *approbante Concilio* quæstiones definiri.

Tum nec Græci tulissent, ut pro certo fidei articulo fingeretur, Papam vel solum esse infallibilem, quod hæctenus nullo in Symbolo, nulla in definitione fidei scriptum haberetur.

Et quidem mens Græcorum fuit, ut ea omnia Papæ tribuerent, quæ Ep. Episc. ante schisma tribuissent. Difertè enim scriptum legimus in epistola Episcoporum ad Gregorium X. *Nihil denegamus eorum quæ ante schisma præstabant Patres nostri*. Neque quidquam aliud Latini, aut ipse Pontifex postulabat; neque profectò promoverent, sed disturbarent concordiam, si Græcis concordie maxime oblectantibus, eum articulum proponerent, qui & ante schisma inauditus fuisset, & gravissimus omnium videretur.

Habemus apud Georgium Pachymerem graves sub Michaele Palæologo, Patriarchæ & antistitum Græcorum contentiones de pacis conditionibus: habemus sub Andronico graviores pacis jam factæ criminationes Patriarchæ. Qui paci obstitenter, sub Michaele (x) depositi: depositus sub Andronico Patriarcha Joannes Vecchus, qui pacem approbasset: sub Michaele non

(x) Sub Michaele depositus est Patriarcha C. primus Josephus qui paci obstitit. Michael pacem fieri peroptabat, non tam fidei studio, quam armorum metu Caroli Andegavensis. Græci autem ægrè consenserant suo Imperatori, qui consilia sua perficere non potuit, nisi multorum exilio, carceribus & tormentis. Eo mortuo, filius ejus Andronicus, ut Patria obsequeretur, pacem suo chirographo firmaverat, hanc statim fregit, & ejus exemplo, cæteri Græci sua quoque chirographa vi extorta resciderunt, ac Joannem Vecchum Patriarcham, qui pacem eo studiosius provexerat, quod causam habebat magis cognitam & exploratam, de sua sede dejecerunt. Ad Pachimeri historiam. Vid. etiam D. FLEURY Tom. XVIII. & in eo multa præclara ex Pachimeri historia excerpta.

Ep. Episc.  
Græc. Con.  
Lugd. II. T.  
XI. p. 971.



non ferebant Papæ nomen inter sacra recitandum : gravissimi flagitii loco objectabant fuisse recitatum , quoddam Hæresis auctor Papa videretur . Quantum gravius vociferarentur in pacis conciliatores , & Michaelis affectas , si quod inauditum erat , Papam infallibilem prædicassent ? Non id autem querunt , non id in Palæologo , non id in Andronico Pachymeres harum rerum scriptor diligentissimus attigit ; non id habent tam multa per eam ætatem pro pace & contra pacem divulgata scripta , ab eodem Pachymere aliisque recitata : non ergo id quisquam in animum induxerat .

## CAPUT XXXVII.

*Idem ex Græcorum in Basileensi & Florentina Synodis doctrina ,  
EUGENII quæ Papæ ac Latinorum consensu ostenditur .*

Sup. Lib. VI. cap. V. & seq. Concil. Basil. T. XII. Sess. XXIV. n. II. pag. 567. & seq. Conc. Flor. Sess. XXV. T. XIII. p. 382. & seq. Aug. Patr. hist. ib. c. LIV. & seq. p. 1542. & seq.

**L**ibet hic reminisci ea , quæ de Græcorum sententia ex actis Basileensibus & Florentinis ostendimus : *Non posse unionem fieri , nisi in Synodo universali , in qua Occidentalis Orientalisque Ecclesia conveniant , Ecclesiam in unum congregatam de rebus dubiis judicare , communi consensu sententiam ferre , communiter hæc agi , & quæ communis sunt , communi consensu terminari oportere , plurimorum sententiam prævalere , sanctam Ecclesiam in sacris dogmatibus nullo modo posse errare communi quidem ac Synodica consideratione utentem .*

Hæc Græci profitentur , quæ usque ad eum ipsi Eugenio IV. probata erant ; ut hæc ad Græcos loqueretur : *Proferatur libere veritas per sacramentum , & quod pluribus videbitur , hoc amplectamur & nos & vos .* Quæ neque Græci , neque Eugenius dicerent , si Papam vel solum infallibili judicio quæstiones definiri , jam inde à Lugdunensis Concilii tempore constitisset .

Sup. Lib. VI. c. XI. Conc. Flor. Sess. XXV. p. 387. Sup. ib. c. IX. & X.

Quid hic adversarii respondebunt ? An Græcos fidem Lugduni proffessos , tribuisse Papæ , vel soli infallibile judicium : Florentiæ congregatos ab ea sententia recessisse : aut ab eis plura Lugduni quàm Florentiæ fuisse postulata ? Quo quid absurdius ?

Quid quoddam Constantiensia decreta , quæ tuemur , in Concilio Florentino confirmata fuisse ostendimus . Revolvantur ea quæ de Decretali *Moyse* , in eo Concilio comprobata , deque decreto unionis ibidem condito , suo loco dicta sunt , & quandoquidem Florentini Concilii mentio semel incidit , attexamus ea quæ ad illud spectant . Etli enim nondum huc nos temporum ferries , rerum tamen ratio nexusque deducit . In ea ergo Synodo Georgius Scholarius vir doctissimus , atque unus Græcorum omnium ad pacem propensissimus , ad eam affectandam , suos ita adhortatur : *Si effeceritis ut verè œcumenica Synodus habeatur , ex quo etiam fiet , ut firma sint quæ à vobis fuerint decreta , nemo quidquam de rebus definitis in dubium vocans , fieri unquam auctor schismatis voluerit , & Ecclesiam sciens id animadversuram , & pœnas ab œcumenica Synodo constitutas reformidans , toto terrarum Orbe idem sentiente .* Et alia oratione ad eosdem habita , dum adhuc de pace ageretur ,

ait



ait, peracta œcumenica Synodo, fore omnino ut qui sapiant hæc dicant <sup>Ib. Or. II. p. 614. 615.</sup> dissidentibus: Omnibus Christianorum Ecclesia de rebus antea controversis consentit, & præter vos, hujus œcumenicæ Synodi decreta omnes honorant, existimantes impossibile illam errasse: ac paulo post: Universam verò simul errare Ecclesiam & veritatis lumine defici impossibile est. En in quo rerum robur & invictam firmitudinem collocarent; in Ecclesia nempe Catholica, & ejus Concilio œcumenico; non profecto in solo Romano Pontifice: quos talia sentientes Eugenius IV. & Latini suscipiunt.

At enim obijciunt duos viros præstantissimos in eadem Synodo dissidentes, Rhodium Archiepiscopum \* & Julianum Cardinalem. Et Rhodius quidem pro additamento, *Filioque*, certans ait: *Latinorum Patres id multa cum reverentia suscepisse, quod explanavit Romana Ecclesia . . . . . ab hac ipsa Ecclesia cujus est explicare omnes fidei veritates, susceptam esse hanc* (de Spiritus Sancti processione) *veritatem*. Quæ omnia eo pertinent, ut Sedi Apostolicæ id incumbat officii, neque sine ejus auctoritates fidei veritates definiri possint. Quod tamen officium, si sola præstare posset, seclusa Ecclesiæ Catholicæ consensione & auctoritate, non erat cur Eugenius Florentinam Synodum convocaret, in eaque testaretur valituram eam fidem, ipso etiam præsentē, quæ frequentis Synodi sententia ac testimonio vinceret.

Quod autem etiam Julianum Cardinalem obijciunt, hinc factum, quod Binianæ editionis interpretationem secuti pessimam, (y) Græca non consuluerint. At si sequamur eam, quam in editione Romana, ex Græcis expressam habemus interpretationem, quid erit quod obijciant? Nempe hæc Juliani verba sunt: *Suborta fidei questione, Romanum Pontificem debere ac teneri eam declarare*. Quis enim hoc nesciat? Si error emergerit, Papæ necessitatem incumbere docendi Populos Catholicam veritatem. Quis non amplectatur? Illo docente, omnes Synodos & Ecclesiam universam debere hujusmodi veritatem sequi: veritatem certè, quam in ejus definitionibus recognoscant, ut in Leonis Magni epistola factum vidimus. Quo quid est certius? Summa ergo doctrinæ, quam Julianus tradidit, hæc est: officium esse Romani Pontificis docere veritatem; Conciliorum officium, eo maxime præeunte, veritatem sequi, eumque in Ecclesia consuetum esse ordinem docendæ veritatis, quod & Parisienses ubique & Ecclesia Gallicana maxime prædicant.

Nihil agit, inquires, si id tantum velit. Imò verò id agit, ut constet Latinos nihil novi molitos, qui Romanum Pontificem ritè officio functum, ac de Spiritus Sancti processione vera & antiquitus tradita prædicantem, pro Ecclesiastico more, auctorem secuti sint. Quid si officio non fungatur, nec veritatem doceat? Etiamne aberrantem sequi tenerentur? Id fieri nequit, inquires? Jam id tu quidem dicis, non ipse Julianus.

At

(y) Binianæ editionis interpretationem pessimam. ) Hunc locum, quanta potui diligentia contuli in utraque editione, neque apicem unum immutatum vidi. Sed cum mea Biniana editio sit an. 1636. credo D. Bossuet alia usum fuisse. Interea observandum est Cardinalem Julianum allata verba ed dixisse, ut ea corrigeret & explicaret quæ non satis diligenter à Rhodio Archiepiscopo dicta fuisse mox vidimus.

Tom. II.

I

\*Andream.  
Conc. Fl.  
Sess. VII.  
ib. p. 128.  
129.

Ib. Sess.  
VII. in ed.  
Rom. T. IV  
pag. 372.  
373. in ed.  
Bin. Paris.  
1636. T.  
VIII. p.  
622. 623.  
in ed. Lab.  
T. XIII.  
pag. 130.



At enim Julianus, inquis, sancti Agathonis verba refert asserentis, *omnes Synodos ( Romanorum Pontificum ) doctrinam secutas*. Indiscussamne, an examinatam, & facta demum discussione firmatam? Examinatam certe, ut vidimus; atque hinc in ipsa sexta Synodo, susceptum Agathonem, damnatum Honorium. Quæ si ab Juliano contempta aut ignorata finis, id sanè efficit, ut ne audiendus quidem esse videatur.

Meminerimus sanè Julianum Cardinalem esse eum, quo Præsides, Constantiensis Canones, Basileæ toties innoventur; qui eorum auctoritate Eugenium perpulerit ad revocandam Basileensis Synodi dissolutionem; qui proinde crederet ac vehementissimè assereret. Papam etiam in fidei causis subesse Concilio: non ergò per se infallibilem. Atque à posterioribus quidem Basileensibus gestis post translationem, ab anterioribus vero, ipso Auctore, gestis recessisse unquam, non ipse, non ullus alius testis memoravit.

Atque ut jam omittamus doctissimum quidem, sed tamen unum hominem Julianum; non aliter sensit Græcorum ac Latinorum Patrum multitudo, à quibus quippè vidimus, definiendæ Catholicæ veritatis auctoritatem & vim, in communi deliberatione & consensione collocatam.

Et Marcus quidem Ephesius, alique in Synodo Florentina ineundæ inîtæque pacis inimici, de Papa quidem multa, illud verò nunquam objecerunt; quod eum infallibilem Conciliisque omnibus superiorem fecissent; aut in ipso solo vim omnem reponerent; adeo hæc nemo cogitabat.

Ergò fixum illud, Græcorum Latinorumque, simulque Lugdunensis, atque Florentini Concilii collatis sententiis, à Papa veritatem defendi, & quæstiones definiri oportere, præ cæteris quidem, ut est in Lugdunensi Concilio positum; ita ut ipse præeat etiam in Conciliis æcumenicis: cæterum stare omnia invicto robore, si Patrum condecernentium & judicantium consensus accesserit. Quo & Gallicana Ecclesia & omnis nostra disputatio collimavit.

## CAPUT XXXVIII.

*Viennense Concilium sub Clemente V. ejus ævi scriptor nobilis GUILLELMUS MIMATENSIS Episcopus, Speculator dictus, à Papa jussus de habendo Concilio scribere, quid senserit.*

Vid. diff.  
præv. n. L.

**A** Nno 1311. à Clemente V. Viennense generale Concilium celebratum est: anno verò 1307. in tanti operis apparatu Guillelmus Durandus (2) Episcopus Mimatensis, juris Pontificii interpret nobilis, ab eodem Pon-

(2) *Guillelmus Durandus.* Labitur hic lævi errore D. BOSSUET. Non enim *Speculator*, qui an. 1296. è vivis excesserat, hunc tractatum scripsit, sed fratris ejus filius alter Guillelmus Durandus, vir quoque plurimæ doctrinæ, qui proximè post *Speculatorum* in Mimatensi Cathedra sedit. Cæterum in eo errore multi versati sunt, & ille etiam qui an. 1571. hunc tractatum edidit, in vita *Speculatoris* operi præfixa, Vid. Gall. Christ. de Episc. Mimat.



Pontifice jussus , tractatum edidit alio loco memoratum de celebrando Concilio ; cujus hæc summa est : in Concilio œcumenico , tractandum imprimis , de reformanda & corrigenda Ecclesia , tam in capite quam in membris : quod Episcopi potestatem & honorem receperunt à Deo , à quo Episcopi , loco Apostolorum constituti sunt , in singulis civitatibus : quod regenda sit Ecclesia secundum generalem ordinationem universalis Ecclesiæ à Deo procedentem & ab ejus Apostolis , Sanctis Patribus , generalibus & specialibus Conciliis & Romanis Pontificibus approbatam : ut Ecclesia Romana nulla jura generalia deinceps conderet , nisi vocato Concilio generali , quod de decennio in decennium vocaretur ; cum illud quod omnes tangat ab omnibus approbari debeat : itaque vocandum esse Concilium , quandocumque aliquid ordinandum esset de tangentibus communem statum Ecclesiæ , vel jus novum condendum ; sic fore ut Ecclesia Romana floreat vigeatque : si omnia sibi vindicet , omnia perdituram : Quæ fusius alibi recensita , nunc in pauca concludimus , ut fixum maneat in iis quæ universam Ecclesiam spectant , quorum numero prima est fides , summam auctoritatem ipsa consensione constare , neque aliter per ea tempora fuisse creditum .

Ex his patet sensus Clementinæ unicæ , in Concilio Viennensi editæ , de summa Trinitate ac fide Catholica , quæ incipit : *Fidei Catholica* : ubi Pontifex de Christi latere post mortem percusso quæstionem tractans , sic docet : Nos igitur ad tam præclarum testimonium , \* ac sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam , Apostolicæ considerationis , ( ad quam duntaxat hæc declarare pertinet ) aciem convertentes , sacro approbante Concilio declaramus , &c.

Hanc igitur auctoritatem nobis obijciunt , cum clarum sit , per illud duntaxat , intelligi , hæc sine Sede Apostolica tractari non posse : alioquin excluderetur etiam Concilium , quo approbante ita definiuntur atque roborantur . Nec valerent ea quæ semper , atque illo præsertim tempore valebant , ut quæ universalem Ecclesiam tangerent ab universali Ecclesia communi consensu decernerentur ; quibus vel maximè contineri fidem consentiunt omnes . Nam & in hujus Concilii , ut etiam in Lugdunensis convocatione , scriptum erat circa ea quæ tangerent statum fidei Catholicæ , faciendam provisionem , quæ approbatione Concilii roboretur . Horum ergo declaratio etiam ad Concilium pertinet , cujus est eam roborare & approbare ; adeoque in omnibus sacri Concilii auctoritas , cum auctoritate Pontificia conjungitur , atque in eadem convocatione , à Clemente V. decernitur : *Omnia quæ correctionis & reformationis limam exposcunt , ad ipsius Concilii notitiam deferenda , UT IN EXAMEN DEDUCTA , Concilii correctionem & directionem recipiant opportunam .* Et alio diplomate prorogat Concilium , quia quæ in eo tractanda sint , non sunt præparata satis , quod in examen Concilii valeant introduci . Certum igitur etiam ea , quæ ad fidem pertinent , eoque nomine Sedis Apostolicæ considerationem poscerent , Romano Pontifice Auctore , vel Concilii quoque non tantum in considerationem ; verum etiam in examen deduci oportere .

Durand.  
Tract. de  
cel. Conc.  
passim .

Lib. I.  
Clem. tit.  
I. c. unic.  
\* Scilicet Joann.  
XIX. 34. 35

Bull.  
Convoc.  
Con. Vien  
per Clem  
V. Regnans  
in Cælis .  
T. XI. p.  
1543.  
Ib. pag.  
1544.  
Ib. ep.  
Arch. Ni-  
cof. Alma  
Mater. p.  
1550.



## CAPUT XXXIX.

*Lateranensis Synodus sub JULIO II. ex ea Conciliorum necessitas  
& auctoritas.*

**S**equuntur Concilia quatuor, Pisanum, Constantiense, Basileense, Florentinum; in quibus eam quam tuemur sententiam, non modo ex antiqua traditione susceptam, sed etiam expresse judicatam fuisse satis ostendimus, ut jam ne verbum quidem hic addere libeat.

Sup. Lib.

V. & VI.

Sup. lib. VI.

c. XVIII.

33.

De Concilio Lateranensi sub Julio II. & Leone X. multa jam diximus, quibus hoc etiam addi placet.

Primum quidem ad reformandam Ecclesiasticam disciplinam, adeò visam esse necessariam Concilii generalis auctoritatem, ut Cardinales (aa) Julium II. ad illud, post biennium à creatione sua, celebrandum, juramento adigerent.

Bull. Jul.

II. convoc.

Conc. Later.

Sess. I.

T. XIV. p.

33.

Et ille quidem quominus id faceret, legitimo impedimento teneri se cansabatur. At Maximilianus Imperator & Ludovicus XII. Francorum rex, qui cum eo bellum gererent, quosdam Cardinales instigarunt, qui quidem foedis ludificationibus irrideri Christianum Orbem questi, Concilium indirexerunt; Pisis inchoarunt; paucissimis cum Episcopis pulsi, fatigatique omnibus locis, ac Maximiliano ad Pontificias partes transeunte, laceram ac miserabilem Synodum Lugdunum transtulerunt; atque improspere eventu agitarunt; quo tempore Julius II. Concilium Lateranense convocavit, ad Ecclesiae exaltationem, unitatem & reformationem, schismatum verò & haeresum totalem extirpationem: invitavitque omnes ut ad tam laudabile ac necessarium opus accederent. Itaque Concilio convocato, viri tota Italia celeberrimi coram ipso Julio orationes habuere, quibus Conciliorum generalium utilitatem ac necessitatem mirifice commendarent.

Ib. p. 38.

Ib. p. 20.

21.

Ibid.

Aegidius Viterbiensis Augustiniani Ordinis Generalis, in ipsis Concilii initiis dicturum se proficitur de Synodo, & quam Ecclesiae commoda semper sit, & quam nostris temporibus necessaria: tum mirâ eloquentiâ prædicat: SANCTI SPIRITUS LUCEM Synodis omnis EXTINGUI, habitis ACCENDI ET RECUPERARI. MOX: absque fide Deo placere non possumus, atqui SINE SYNODIS stare non potest fides, absque Synodis igitur salvi esse non possumus. Falsum & nimium, si, absque Synodis & consensione Ecclesiae, fides valeat. Addit exempla, cum tribus maximis coortis Hæresibus\*, quæ tres rerum credendarum radices evellere conarentur; nulla, inquit, effugiendi, nulla evadendi inventa est via, nisi Nicæna Synodus. Deinde: Jam de fide dixi, quæ utique nulla esset, si Synodi institutio non fuisset. Tum illud: Per Synodos, inquit, reddit ad mortales Deus. Nam si dixerat, ubi duo vel tres meo nomine

\* Arii,

Sebellii,

Photini.

Ib. p. 22.

23. 24.

(aa) Cardinales) in eo Conclavi in quo electus fuit Julius II. adhibito juramento promiserant, eum qui crearetur Pontifex, post biennium Concilium generale celebraturum; atque ea causa fuit cur Cardinales, qui cum Pisis Concilium indixerant Imperator, Rex Galliarum & Julium de violata religione juramenti accusarent.



mine convenerint, ad eos venio interque eos sum: quando huc Iulentius se conferet, quò non duo tantum vel tres, sed tot Ecclesiæ capita proficiscuntur! Denique moribus in deterrima quæque prolapsis, tot infantos eventus, ipsamque Ravennatem cladem voces esse, monentis Dei, ac præcipientis, ut, inquit, ad Pontificem sermone converso, Synodum habeas, ut Ecclesiam emendes &c. ut denique post tot mala, tot incommoda, totque calamitates, Principem CHRISTUM audias, Petro posterisque Synodum ostendentem, ut UNICAM omnium malorum medicinam, singularem periclitantis naviculæ portum, solam Reipublicæ confirmandæ rationem.

Ib. 26.

Cæteri qui in eadem Synodo peroraverunt, dispari eloquentia, eodem ferè sensu, Concilia necessaria demonstrarunt. Alexius Episcopus Melphitanus: De rebus ponderosis & dubiis summum Caput (Romanus scilicet Pontifex) ut communis omnium Magister & Doctor consulebatur: quo fiebat, ut si quando Hæresis, vel alia res gravis & perniciosi exempli alicubi oriretur, præsertim quæ religionem & publicè leges offenderet, ad illam è vestigio reprimendam Patres undique, præcipuè tamen probatissimi, eruditissimi, ac integerrimi quique accersebantur, & ad locum tempusque aptum à capite delectum, & ab ipsis approbatum conveniebant: adeò etiam in loco designando Patrum approbationem requirebat. In quo autem vis esset exponit his verbis: Omnia simul prospicientes, & singula sedulo scrutantes, & ponderantes, ut quæ ad omnes pertinerent, ab omnibus reciperentur vel eliminarentur. Hac igitur ratione, hac consentientis Ecclesiæ auctoritate extinctas hæreses, Canones conditos, quibus non minor fides & auctoritas, quam ipsis Evangeliiis attributa est; & quorum si quæ à nobis ratio curare haberetur, ad has sordes scditatemque morum, ad quas per eorum contemptum, & Conciliorum intermissionem devenimus, non utique devenitum fuisset.

Ibid. Sess. III. p. 87<sup>2</sup>

Ibid.

Ibid.

Vid. orat. Caj. ib. Sess. II. p. 68. &amp; seq.

Unus Cajetanus ita peroravit ut nihil de Conciliorum necessitate diceret; quippè qui unus, ut videtur, in una Romani Pontificis potestate, & fidem & mores & omnia collocaret.

## CAPUT XL.

Post Lutheranam pestem, Concilii generalis habendi necessitas ab omnibus adeoque à Romanis Pontificibus agnoscitur: ea re Concilium Tridentinum convocatur.

Cæterum, postquam Lateranensis Synodus reformationem tam diu expetitam vix attigit, exorta est illa per Lutheranam pestem misera necessitas, quæ ab invitis quoque Synodum extorqueret.

Inclamabant omnes ubique Nationes, ad tot errores excindendos, atque ad reformandos, errorum omnium fontem, mores pessimos, Concilii opem esse necessariam.

Quid Gallia, quid Germania egerint, quamque professæ sint uno Concilii generalis remedio tot Ecclesiæ vulnera curari posse, neminem latet. Sed quo-



quoniam eandem in rem concors cum cæteris Hungarici Regni sententia haud æquè omnibus nota est, placet referre Acta Posonii 1548 art. XIII. *Supplicant ordines & status Regiæ Majestati, Domino eorum clementissimo; Decret. ut tam sua, quam sacre Majestatis Cæsareæ auctoritate agat, apud san-*  
 Ferd. Reg. *ctissimum Dominum nostrum, quo Sanctitas sua generale Concilium, pro*  
 mox. Im- *complanandis omnibus differentiis, variisque opinionibus de religione, sine*  
 per. ed Po- *diuturniori mora celebrare dignetur. Quod si Sanctitas sua id differet,*  
 fon. ann. *Majestas Cæsarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius*  
 1548. art. *protrahatur. Perstant in eadem sententia anno 1550. quo hæc ordinant:*  
 XIII. *Si quid deliberatione egere, aut in disputationem vocari posse ipsis, vel*  
 Decr. ed. *eorum alicui fortè videretur, relinquunt id totum generali Concilio di-*  
 Poson. an. *rimendum.*  
 1550. art. *XVI.*

Viderint jam Hungari, viderit Orbis universus, postremus Strigonien-  
 \* Georg ius *sis Archiepiscopus* \*, quantum ab antecessorum suorum sententia deflexe-  
 Zelepechi- *rit, qui nova hæc euderit: Ad solam Sedem Apostolicam, Divino immu-*  
 mi. *tabili privilegio, spectat de controversiis fidei judicare.*

Neque tantum omnes Ecclesiæ, Concilii generalis adversus errores in-  
 Cenf. *Neque tantum omnes Ecclesiæ, Concilii generalis adversus errores in-*  
 Archiepisc. *valescentes remedium, tanquam necessarium votis omnibus flagitabant; sed*  
 Strig. vid. *ipsi etiam Romani Pontifices fatebantur: unde Clemens VII. ad Franciscum I. hæc scribit: Superiore biennio, sicut tua Majestas recordari po-*  
 Vindic. ma- *test, cum Serenissimum Cæsarem, quanquam pro sua inolyta pietate omnia*  
 jor. Schol. *conatum, in conventu Augustano nihil remedi ad hæresin Lutheranam in*  
 Paris. *Germania tollendam, præ illorum obstinatione, afferre potuisse audiremus,*  
 Mém. *solumque Concilii generalis remedium à nostris prædecessoribus, in casu si-*  
 pour le *mili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum superisse videretur: habita*  
 Conc. de *super hoc cum venerabilibus Fratribus nostris, sacre Romanæ Ecclesiæ Car-*  
 Trente. *dinalibus, matura deliberatione, ad ipsius Concilii generalis indicationem*  
 1533-P. 3. *in Italia & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, id tuæ*  
*Majestati, sicut Cæsari, & cæteris Principibus significandum esse duximus,*  
*eamque nostris literis fuimus hortati, ut tam sancto & necessario operi*  
*favere velles. Aded post Lutherum quoque à Leone X. antecessore dam-*  
*natum, Synodus necessaria videbatur, ut majore luce ac certiore auctori-*  
*tate firmaretur fides. Consonat Paulus III. in ipsa convocatione Triden-*

tini Concilii anno 1544. Pontificatus XI. ubi hæ tres Concilii habendi  
 Indict. *causæ memorantur: nempe ad tollenda in religione dissidia, ad reforman-*  
 Conc. Trid. *dos mores, ad suscipiendam contra Infideles expeditionem. Quorum, inquit,*  
 per Paul. *trium Capitum causa, Concilium maximè esse necessarium semper duximus.*  
 III. Tom. *His devenitum est ad sanctam Tridentinam Synodum, qua sine non puta-*  
 XIV. p. 725. *tiam. Onup. mus unquam futurum fuisse, ut doctrinæ Catholicæ tot ac tanti articuli*  
 & seq. vid. *copiosa expositione explicari, intricatissimæ quæstiones, tantisque Hære-*  
 vit. Paul. *ticorum fraudibus involutæ, dissolvi & expediri; vera certaque Patrum*  
 III. & hist. *fides, atque traditio tot inter scholasticorum inter se dissidentium sen-*  
 Conc. Trid. *tentias internosci, totque anathematismis fœdorum errorum vulnera ad vi-*  
 Fra-Paol. & *vum perfecari; occultumque virus tanta rerum luce, tanto delectu ver-*  
 Palav. an. *borum, tanta auctoritate, tamque temperato firmoque decreto, regei ac*  
 1544. *propulsari posset. Hæc perpendant, qui Concilia nec necessaria asserunt,*  
*omnemque Ecclesiæ vim in decretis Pontificiis collocant.*

*Finis Libri VII.*

DE-



# DEFENSIO

## CLERI GALLICANI,

### DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

## LIBER OCTAVUS

Solvuntur objectiones quædam, ac præsertim illa quæ ex Conciliorum confirmatione petitur: *ad idem caput quartum* GALLICANÆ PROPOSITIONIS.

### CAPUT PRIMUM.

*Obiectio de confirmatis à Romano Pontifice Synodis generalibus proponitur: hujus dissolvendæ ratio atque ordo explicatur.*



Am verò evolutis omnium Conciliorum generalium gestis, certaque ex his traditione constituta, quæ inde repetuntur objecta solvenda sunt: atque illud imprimis de confirmatione generalium Synodorum, primis etiam illis sæculis usitata. Et quidem adversarii illud longè validissimum, pro Romani Pontificis potiore potestate esse constituunt, quod non tantum posteriores Synodi, sed etiam primæ illæ, quas memoravimus, confirmationem à Papa & peterent, & acciperent, tanta quidem auctoritate Apostolicæ Sedis, ut ex tantum Synodi universales legitimæ habeantur, quas illa comprobarit atque confirmarit. Hinc Arminensem Synodum; hinc Ephesinam II. sub Dioscoro fuisse repudiatas, quod eas Sedes Apostolica irritas pronuntiasset. Neque tantum repudiatas illegitimas Synodos, sed etiam legitimas tantum auctoritatis habuisse quantum Sedes Apostolica judicavit: quo factum sit ut Chalcedonenses Canones, maxime ille XXVIII. de Constantinopolitani Præfulis augenda dignitate, unanimi Patrum consensu factus, sola Sedis Apostolicæ & Leonis Papæ repugnantia atque sententia irritus habeatur. Ex quibus constare volunt Romanum Pontificem vel maxime infallibilem esse, cum ejus auctoritate generalium Conciliorum decreta, etiam de fide, content; & omnibus Synodis etiam generalibus superiorem esse, qui & de illis judicet, & ipsis tribuat firmitatem. Nec mirum, cum omnis Episcoporum, adeoque etiam Conciliorum auctoritas à Petro ac Petri successoribus, tanquam à fonte



proflua : quo fit ut Episcopi quantumvis adunati , non modò adversus auctoritatis suæ radicem ac fontem nihil possint ; verùm etiam ut tantum habeant roboris , quantum ab ipsa radice mutantur . Atque id demonstratum putant multis Sancti Leonis , multis Sancti Gelasii , aliorumque Sanctorum Pontificum decretis atque sententiis , summâ omnium Ecclesiarum veneratione susceptis .

Hæc ut ordine dissolvamus , primum omnium , exponimus , ex Ecclesiastico stylo , ipsam confirmandi vocem : tum verò referimus , peractis Conciliis , quid gestum sit , circa confirmationem Conciliarium decretorum ; Quæ cum perfecerimus , omnium consensu facile evincemus , ut ea confirmatio nihil omnino ad Pontificiam infallibilitatem aut superioritatem pertineat ; eoque responso ; illud ab ipsa Episcopalis auctoritatis origine petitum argumentum ultro corruat .

## CAPUT I I.

*Quid sit CONFIRMARE Ecclesiastico stylo , & quid auctoritatis invehat : CONFIRMARI decreta non modò ab æqualibus ; sed etiam ab inferioribus passim : tum speciatim explicatum non modò à Romanis Pontificibus Conciliaria decreta , sed & à Conciliis etiam particularibus Romanorum Pontificum decreta CONFIRMARI .*

Socrat.  
ed. Vales.  
Lib. II. c.  
XX. XXIV.  
Lib. IV. c.  
XII. Conc.  
Eph. Chal.  
& al. pass.

**M**iror autem imprimis in confirmandi voce tantam reponi vim , cum à Romanis Pontificibus , non modò Conciliorum , sed etiam antecessorum decreta passim confirmentur . Quæ confirmatione Romano- rum Pontificum summæ auctoritati detractum esse quidquam , nec ipsi adversarii dicent .

Quid quidd passim legimus ea decreta , quæ omnium consensu valeant , confirmari tamen ; idque interdum etiam ab inferioribus . Sic enim apud Socratem ; sic in actis Chalcedonensibus ; sic in aliis innumerabilibus Ecclesiasticis monumentis legimus à Siciliensi & Tarsensi ( a ) , à Sardicensi , ab Hierosolymitana , à Constantinopolitana , ab Ephesina , ab ipsa Chalcedonensi Synodis Nicænam fidem , Nicæna decreta confirmata fuisse ; hoc est , proculdubio , inculcata , asserta , defensa , pro firmis , suæque auctoritate constantibus habita , atque adversus Hæreticos magis magisque vindicata ; non tanquam à superiore dijudicata & expensa , quò firmitudinem obtinerent ; ut profectò nihil sit vanius , quam confirmationis vocem ad argumentum superioris potestatis trahere voluisse .

Hæc quidem sufficerent , nisi nobis constitutum esset opere non parcere , ut tanta res in manifestissimam lucem veniat . Placet ergò referre non modò Europ. ib. c. Synodorum decreta per Sedem Apostolicam , sed etiam Sedis Apostolicæ xxvii. 907. decreta confirmata per Synodos . Cujus rei exempla vel nunc nova proferimus ; vel supra jam aliis de causis annotata paucis recolimus .

Medio  
Socrat.  
ed. Vales.  
Lib. II. c.  
XX. XXIV.  
Lib. IV. c.  
XII. Conc.  
Eph. Chal.  
& al. pass.

( a ) *Tarsensi* Nisi nobis statutum esset textum D. Bossuet , ne immutato quidem apice integrum proferre , hoc vocabulum , *Tarsensi* deleceremus . Nam nusquam reperimus in tomis Conciliorum neque in historicis , fuisse Tarfi ullam Synodum . Socrates quidem dicit , Synodum ibi convocatam fuisse , celebratam verò nullibi dicit ; quinimò quid causæ fuerit ne celebraretur , narrat his verbis : *Legatos miserunt hortantes ut Tarsum convenirent .... atque id perfectum fuisset , nisi Eudoxius Arianae religionis Episcopus , qui tunc apud imperatorem plurimum poterat ; obstitisset .* Lib. IV. c. X:1.



Medio ferè quarto sæculo \*, Meletius Antiochenus, alique CXLVI. \* anno  
Orientales Episcopi, facta Antiochiæ Synodo, in fidem à Sancto Damaso 373.  
Papa, eique conjuncta Romana Synodo \*\* expositam consenserunt : eam \*\* IV. ha-  
consentionem ex vetere Romanæ Ecclesiæ Archivio authentico Lucas Hol-  
stenius depromit, atque hæc adscripta refert : *Omnes ita consentientes ei-*  
*dem superexpositæ fidei*, à Sancto Damaso & Synodo Romana missæ, sin-  
guli sua subscriptione confirmant. Collect.  
Holt. I.  
part. p. 176.

In Conciliorum Africanorum collectione, sub Cælestino facta, refer-  
tur illud anno CHRISTI 401. decretum ab Africanis : *Recitata sunt li-*  
*teræ Innocentii Papæ, ut Episcopi ad transmarina pergere faciliè non debeant,*  
*quod hoc ipsum Episcoporum sententiis confirmatur* ; id est, recipitur, ipla  
consensione roboratur. Conc. Afric.  
sub Cæst.  
Can. LXI. T.  
II. Conc. p.  
1660. VII.  
Bar. T. V.  
an. 401.

Actiōe V. Chalcedonensi, postquam lecta est consonans Sancti Leo-  
nis epistolæ fidei definitio à Synodo facta : *Episcopi clamaverunt, epistolam*  
*definitio firmavit : Archiepiscopus Leo, ut credimus, sic credit*, Unde il-  
lud Sancti Leonis supra memoratum : \* *Quæ nostro prius ministerio definie-*  
*rat, irretractabili totius fraternitatis firmavit assensu*. Et postea : *Quæ fides*  
*prius docuerat, hæc postea examinatio confirmavit*. Conc.  
Chal. act.  
V. vid. sup.  
Lib. VII.  
c. XVII.

Legimus in encyclicarum epistolarum volumine, post Chalcedonen-  
sem Synodum, Theotimi Scythicæ regionis Episcopi, ejusque Synodi,  
hoc de confirmanda Chalcedonensi Synodo responsum \* : *Ego & Ecclesia*  
*Dei sic sapimus, & in consensu nostro Sanctorum Patrum definitiones fide*  
*& devota confessione firmamus (b)*. \*Epist. Leo  
Magn. ad  
Theod. int.  
Leo. Epist.  
XCIII. ali.  
LXIII. vid.  
diff. n. LXI.  
\*Ad Leon.

Sub Sancto Hilario Leonis Papæ discipulo & successore anno 465. ha-  
bita est Romana Synodus, in qua præunte Papa ac decreta recitante ; *ab*  
*universis Episcopis & Presbyteris acclamatum est : hæc & confirmamus, hæc*  
*& docemus*. Imp.  
Ep. Theot.  
Ep. Scyth.  
ad Leo. Imp.

In Concilio Romano III. sub Gregorio Magno, eidem præloquente  
universi Episcopi responderunt : \* *Libertati Monachorum congaudemus, &*  
*quæ nunc statuit Beatitudo vestra firmamus (c)*. part. III.  
Con. Chal.  
c. XXXI.  
p. 911.

Sub eodem Papa aliud Concilium Romanum habitum est, quo post  
decreta scriptum : (†) *Confirmarunt Episcopi & Presbyteri*, numero LVIII. \* Conc.  
Rom. sub  
Hilar. T.

Habemus Martini Papæ post Monothelitas in Concilio Lateranensi con-  
dem- IV. Conc. p.  
1063. 1064.

(†) Conc. Rom. III. sub Greg. Mag. Tom. V. p. 1608.

(b) Firmamus ) Jussit Leo Imperator, ut Episcopi quid in commune scirent de  
Timotheo Eluro Alexandrino Patriarcha intruso, & de Chalcedonensi Synodo, suis literis  
significarent. Schismatici vociferabantur novam Synodum œcumenicam esse convocan-  
dam, quæ, nullâ habitâ ratione Concilii Chalcedonensis, ab eo definitas quæstiones  
denud retractaret. At Episcopi unanimis hujus Concilii decreta firmarunt. Quia ten-  
tare retractare aliquid eorum quæ ab eo definita erant, hominum esset insidantium Catho-  
licæ concordie, congaudentium turbis atque tumultui. Vid. ep. Imp. & Episc. T. IV.  
Conc. à p. 902. ad 979.

(c) Firmamus ) Monachos olim regebant Episcopi. Sed, ut sæpe fit, quæ opti-  
mè à Majoribus constituta sunt, ea mala consuetudine à nepotibus dissolvuntur. Gre-  
gorius enim cum videret Monachos, multorum Episcoporum exemplo à solitudine &  
abstinentia retractos, ad frequentiora colloquia & mundanas voluptates reduci, jussit  
in eo Concilio solos Abbates Monasteriorum curam suscipere, & vetuit ne deinceps E-  
piscopi illorum negotiis se immiscerent.



Ep. Mart. demnatos, epistolam ad Amandum Episcopum Trajectensem, ut Episcopi Gallicani scripta ad se destinarent; *confirmantes*, inquit, atque *consentientes eis, quæ pro fide orthodoxa & destructione Hereticorum vesania nuper exortæ, statuta sunt.*

An igitur non tantum Synodi universales, sed etiam particulares ea auctoritate pollent, ut Sedis Apostolicæ Synodica decreta confirmant? Certè: cum Ecclesiarum etiam particularium assensus pars sit illius consensus universalis, quo summam & invictam firmitudinem constare diximus.

Sup. Lib. VII. c. xxix. Eodem sensu vidimus Hispanos Episcopos, qui VI. Synodum sine se vid. etiam actam, atque à se ignoratam, à Leone licet II. probatam, iterato examine *firmant, comprobant, sua auctoritate suffulcunt*; adeò innatus erat omnibus CHRISTI Ecclesiis is sensus, quo firmari constabat Ecclesiastica judicia, addito eo consensu qui desideraretur.

In Synodo VII. audivimus Tarasium, qui Adriano Papæ *concordaret & vim literarum ejus confirmaret*: Quo etiam ritu cæteri Episcopi ac tota Synodus à Sede Apostolica prolatam sententiam comprobavit.

Hæc ad posteriorem ætatem traditio permanavit. In actis Tricassinæ Synodi, sub Joanne VIII. Papa, actione IV. §. *Post hæc lecta sunt capitula statuta à Domino Joanne summo Pontifice Romano, quæ sancta Synodus amplectenda recepit & confirmavit.*

Anno 904. in Concilio Ravennate præloquente Pontifice Joanne IX. ac petente, ut *quæ capitulatim annotata sunt, si omnibus placent, in conspectu omnium legantur, examinentur & examinata manibus omnium pro futura memoria roborentur*; eadem deinde capitula, † auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ & sanctione sanctæ Synodi comprobantur.

Ipse Papa Calixtus II. ad Synodum Rhemensem hæc ait: *Sicut conventionem pacis, si fiat, nobiscum & per vos confirmare optamus, sic in commentorem fraudis si infidelis evaserit, iudicio Spiritus Sancti & vestro, gladium Petri vibrare tentabimus.* Sic gladius Petri, licet Apostolicæ Sedi à CHRISTO traditus, vibratur tamen non solius lumini Pontificis, sed etiam totius Concilii iudicio, quod Spiritus Sancti sit iudicium.

Petrus Damiani: *Synodalis decreti pagina, quam cum Concilii totius assensu beatus Papa constituit, cui quippè propriæ manus articulum indidit, quam tot Episcoporum venerandus celebrisque Conventus subscriptione firmavit &c.*

§ Bertholdus ad annum 1096. de Urbano II. hæc habet: *Suorum statuta Conciliorum generalis Synodi assensione roboravit.* Generalem Synodum vocat Claromontanam ex magna Episcoporum copia congregatam, non verò œcumenicam, qualem Urbanus II. nullam habuit.

Alia innumerabilia legenti passim occurrent; nihil ut sit vulgatius, quam confirmationem Pontificiorum etiam decretorum, ipsa Episcoporum & Ecclesiarum consensione constare.

Unum addimus ex Lateranensi postrema Synodo repetitum. Sanè Julius II. postquam adversus Summos Pontifices per simoniam in Petri Sedem intrusos multa decrevit, novisque ac meritis pœnis tam sanctæ dignitatis emptores & venditores obstrinxit; ut diploma tam necessarium, omni quæ poterat auctoritate muniret, in Synodo Lateranensi confirmari voluit.

Et quidem intelligebat ac profitebatur Apostolicas literas, quæ tantam



pestem excinderent, ad sui subsistentiam & validitatem alia probatione non indigere, quod facile constemur. Est enim illud insitum Apostolicæ Sedis, ut sibi ipsi consulat, sibi que à simonia caveat, quam Canones toties condemnarint; sed tamen quid de Synodo dixerit audiamus: *Decens & salutare reputamus ..... ut quæ per nos statuta & ordinata fuerunt, pro rei magnitudine & gravitate, per sacrum generale Concilium approbentur & innoventur, & approbata & innovata communiantur; ut eò firmitus perdurent & defendantur, quò fuerint dicta auctoritate sæpius circumfulta.* Hinc repetito diplomate sic concludit: *Ut literæ prædictæ eò magis observentur, quò clariùs constiterit eas matura & salubri deliberatione dicti Concilii approbatas & innovatas.* Ac paulò post: *Ad abundantiorē cautelam, & ad tollendam omnem doli & malitiæ causam ..... ut eò tenacius observentur & difficilius tollantur, quò tantorum Patrum fuerint approbatione munitæ, literas prædictas approbamus &c. sacro approbante Concilio.* Ecce in ea Synodo, qua nulla existimetur Sedis Apostolicæ potestati magis consulere voluisse, diploma Pontificium tota potestatis plenitudine stabilitum, auctoritate Synodi approbatum, innovatum, communitum, circumfultum; quò firmitus, quò tenacius maneat, quòd est validissimè roboratum atque confirmatum. Ergò est in Papa unà cùm Concilio aliquid auctoritate firmitus, quàm in Papa solo. Dicant ut voluerint; suum illud intensivè, extensivè ingeminant: certè utcumque est vicinus. Vel enim Concilium est superius Papa; quo concessio, vicinus: vel non est superius; & adhuc vicinus, reportamusque id quod hic quærebamus: nempe ex approbatione, confirmatione, corroboratione etiam validissimâ, quantaque verbis exprimi potest, inferri non posse superiorem potestatem, ut adversarii contendebant.

Ib. Bull.  
Si summus.  
p. 119.  
Ib. p. 115.

Ib. p. 119.

Ibid.

### C A P U T III.

*Quid in confirmandis Conciliis gestum sit, Nicæna Constantinopolitana, Ephesina Synodus; nihil in his de illa, quam quærimus, confirmatione actum: de Ariminensi Synodo; de epistolis Eutherii & Helladii ad Sixtum III. adversus Ephesina decreta: Christiani Lupi vanæ notæ:*

**I**Am ne quis existimet Concilia œcumenica à Romanis Pontificibus alio sensu confirmari, aggredimur id quod secundo loco tractandum recepimus; nempe ut exponamus quid circa Concilia à Romanis Pontificibus firmata vel rejecta facta factum sit.

Incipimus à Nicæna Synodo ut omnium prima, non tantum tempore, verum etiam auctoritate; in qua quidem de Romani Pontificis confirmatione nihil actum esse constat.

Sanè adversarii post recentiores quosdam Lovanienses, in *Doctrina Lovaniensium* relatos, jactant illi quidem eas, quæ sacræ Synodi ac Sancti Sylvestri nomine circumferuntur de confirmando Concilio literas. Verum



Not. mar-  
gin Labb.  
T. II. Conc.  
p. 4.

Sup. Lib.  
VII. c. VII.

Sozom.  
Lib. VI. c.  
XXIII.

Theo. Lib.  
II. c. XXII.  
Conc. Rom.  
sub Dam.  
part. I. col.  
lect. Holst.

Athan.  
ep. de Syn.  
Arimi. &  
Seleu. n.  
VI. T. I.  
ed. Bened.  
p. 719.

Ep. Conc.  
Arimi. ad  
Const. ap.  
Athan. Ib.  
n. X. p.  
723. & ap.  
Socra. Lib.  
II. cap.  
XXXVII.

Vid. loc.  
ja. cit. Soc.  
Soz. Theod.

† Conc.  
Rom. sub  
Dam. coll.  
Holst. loc.  
jam. cit.

\* Basil. ep.  
LXIX. al.  
LX. ad Ath.  
n. I. T. III.  
ed. Bened.  
p. 162.

has, non modo Sanctorum omnium altum ea de re ubique silentium, quin etiam & stylus & temporum notæ, & alia multa, falsas esse demonstrant perspicuitate tanta, nulla ut ea de re inter doctos quæstio superesse possit. Quæ de re vide Labbæum, brevī ac marginali, sed exquisitissima & exquisitissima nota. (d).

Sanè memoravimus Ecclesiasticæ Historiæ certa monumenta, quibus constat prolatam à Patribus sententiam, nullo alio expectato decreto, statim apud omnes, cælestis instar oraculi valuisse. Sic finitæ tres maximæ quæstiones Consubstantialitatis, Paschatis, Rebaptisationis; paruitque in Concilio primo generali, eas Synodos, quibus Sedis Apostolicæ Legatio interesset, nullius specialis confirmationis indigere ut robur obtineant.

Objiciunt Ariminensem Synodum, optimis initiis, foedo exitu, ac propterea à Sede Apostolica reprobata ac rescissam. Factum id quidem, sed omninò nihil ad rem. Primum enim non fuit œcumenica, ex solo scilicet Occidente convocata; cui præterea Occidentis totiusque Ecclesiæ caput, Romanus Pontifex, alique permulti magni nominis Occidentales Episcopi, Arianorum fraude, defuerint. Deinde malum factum &

ipso jure nullum, quod rem œcumenico Concilio, Nicæno scilicet, totâ consentiente Ecclesia definitam, iterum in quætionem vocabant. Quod spectat illud Athanasii. *Quæ nova hæresis? Cur nova Synodus?* Quia ipsa Synodus Ariminensis, quandiu liberè & canonicè egit, id profecta est, editaque sententia declaravit, post Nicænam Synodum, fidei jam expositæ nihil addi, nihil demi oportere; denique his omnibus circa ultimas actiones addita vis ac fraus. Quo factum, Liberio in Synodo Romana teste, ut omnes *Ariminensis Concilii blasphemiam ab iis ipsis qui tunc*

*decepti per fraudem fuisse videntur, anathemate damnatæ sint.* † Idem n. X. p. 723. & ap. Socra. Lib. II. cap. XXXVII. Cum ergo Ariani hæreticorum more, sua quamvis inania, magnis clamoribus venditarent, facile fuit Liberio ac deinde Damaso, postremam Synodi partem, per se nullam, nulloque ordine Canonico fultam, postulante \* Basilio, omnibusque Orthodoxis Orientalibus, consentiente Occidente, ipsis Ariminensis etiam

Concilii Episcopis ultro petentibus, nullam & irritam declarare.

† In II. Synodo generali, Constantinopolitana scilicet, certum est nullum esse locum ei, de qua quærimus, confirmationi, post Synodum gestam; cum sanctus Damasus Papa ipse adfuerit Occidentalium Romæ habitæ Synodo, cujus consensu Constantinopolitana œcumenica facta est.

\* Basil. ep. Ephesina verò Synodus III. § generalis, de fide, deque Nestorio Cælestini Papæ sententiam executæ erat; ut ea decreta à nova, post absolutam Synodum, confirmatione pendere, ne ipsi quidam adversarii dicturi sint. Accesserat expressa per Sedis Apostolicæ Legatos, actionis primæ confirmatio, quam

(d) *Exquisitissima nota:* ) Labbæi nota ad epistolam quæ sub nomine Synodi circumferebatur ea est: *stylus arguit suppositionem cum temporis notæ; & ad rescriptum Sylvestri: nec sincerius est hoc responsum, quod commentissimum & mendosissimum verè dixeris, & non tantum ferè ut Binius.*



quam vidimus ex ipsius Synodi gestis ac verbis , nihil aliud fuisse , quam consensione .

Itaque Ephesini Patres rei gestæ mittunt relationem ad Cælestinum , nulla unquam confirmationis petitiæ mentione . Ita verò responderet Cælestinus , ut a se nihil amplius de eo negotio desiderari significet ; cum id tantum agat ut de plena rei executione Patribus gratuletur .

De Charisio Presbytero ac Messalianis condemnatis (e) nulla mentio in sacra Synodi , ac Cælestini mutuis epistolis ; eorum hæreses , nulla confirmatione speciali , pro damnatis sunt habitæ ; nihilque omnino occurrat , quo Synodalibus decretis , postquam sunt condita , aliquid roboris defuisse videretur . Atque ita in tribus primis generalibus Synodis , nihil habent quod objiciant , de ea confirmatione quam quærimus .

Christianus quidem Lupus nuper edidit epistolam *Eutherii Thyanensis & Helladii Tharsensis scriptam ad magni nominis Romæ Episcopum Sixtum* \* : in qua petunt ab eo qui à Deo productus est gubernator , retractari ac rescindi Ephesinæ Synodi acta adversus Nestorium ; ac terrarum Orbem Synodo adhærentem , & cum Synodo errantem adjuvari ; quod est , inquit Lupus , *authenticum instrumentum appellationis , non ad generalem , sed adversus generalem Synodum , interposita apud Sixtum III. Pontificem* : quo deinde concludit , quod Orientalis Ecclesia crediderit , Papam esse superiorem generali Synodo . Addere debuisset , generali Synodo , auctore ac præsidente per Legatos Pontifice , gesta , quam cum toto Orbe terrarum Sedes etiam Apostolica recepisset : hujus decreta , hujus etiam fidem à Romano Pontifice retractari , etiam & rescindi posse . Sic agit vir doctus ; sed ubique nimius : antiquitatis indagator strenuus , parum exactus iudex . Hæc enim quam nimia sint & inconcessa & irridenda potius quàm refutanda nemo non videt .

† Sup.Lib.  
VII. cap.  
VIII.  
§ Conc.  
Eph. act. II.  
vid. sup.  
Lib. VII. c.  
XIII.  
Conc.  
Eph. act.  
VI. VII. p.  
671. 801.  
Christ.  
Lup. Var.  
Par. epist.  
c. CXVII.  
\* III.  
Ib. not.  
Chr. Lup.

## CA-

(e) *De Charisio Presbytero & Messalianis condemnatis .* ] Videtur hic asserere D. Bossuet Charisium Synodi sententia fuisse damnatum . Tamen utrum damnatus fuerit meritò dubitari potest . Charisius in Synodo questus est à Sacrorum ministerio se prohibutum , eò quod oppugnasset illud Theodori Mopsuesteni fidei Symbolum , quod Nestoriani sub nomine Nicænæ Synodi circumferebant , cuique jubebant reverbos ab hæresi subscribere . Sacra Synodus de Theodori nomine reticuit , Symbolum ejus damnavit . Quid autem factum fuerit de Charisio ex actis non liquet ; nec videmus eum in pristinum Sacerdotii gradum restitutum fuisse ; sive non potuerit probare se injustè dejectum , sive qualibet alia de causa . Vid. Sess. VI. & D. de Till. vit. Cyrill. Alex. art. LXXII. Tom. XIV. p. 442. Messaliani pravè interpretantes illud Christi præceptum *semper orate* , opus manuum averfabantur & externa quæque pietatis opera , eò ut *semper orarent* . Verum , ut sæpe fit , eorum præter solitum longæ orationes in delirationem citò versæ sunt , & ex ea ortæ plurimæ hæreses partim impiæ , partim insanæ . Porro Joannes Antiochenus & cæteri Orientales , qui famam Ephesinæ Synodi labefactari cupiebant , dicere erant soliti XII. Messalianos Episcopos in ea sedere iudices ; quam calumniam Synodus melius confutare non potuit , quam cum edito decreto , Messalianos condemnavit . Vid. Theod. Lib. IV. cap. XI. Till. T. VIII. p. 527. & seq. & T. XIV. p. 449.



## CAPUT IV.

*De Ephesino Latrocinio : quid Leo egerit : ut ultimam sententiam futuræ universali Synodo reservavit .*

**M**Ajore postea verisimilitudine obijciunt Ephesinam Synodum pro œcumenicā à Theodosio Augusto sancti Leonis consensu convocatam, quam tamen idem Leo irritam declaravit .

Vid. act. Sed eam Synodum, licet legitimè congregatam, ab ipsis initiis legitimæ Synodi titulo caruisse, duo præsertim demonstrant : alterum quod Conc. Eph. II. in Conc. Chalc. act. I. T. IV. p. 115. & seq. Dioscorus Alexandrinus, Præses ab Imperatore, præter morem, dictus, omnia per vim egit ; Episcopos quos voluit expulit, quos voluit admisit, quo nihil est ab œcumenica Synodo magis alienum ; admissos in pura charta subscribere coegit, facta, infecta, in acta referri jussit ; nulla ut jam legitimi cœtus, nedum œcumenicæ Synodi species superesset, alterum quod idem Dioscorus Leonis epistolam oblatam licet à Legatis Apostolicæ Sedis, legi non est passus ; ac nemo ibi suscepit nomen Leonis, ut acta testantur ; quo sine nomine, nulla est legitima Synodus .

Ib. p. 122. Ibid. & p. seq. vid. etiam act. III. ep. Con. ad Val. & Marc. Imp. p. 463. & Relat. ad Pulch. ib. p. 464. Quem fontem nullitatis in Chalcedonensi Synodo Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus exposuit : quod nempe Dioscorus cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum facere ausus est, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est : quam nullitatis causam Patres omnes dictis sententiis comprobant, & ad Imperatores perscripserunt .

His causis omnes agnoscunt Ephesinam secundam Synodum, non modò iniquam, verum etiam per se nullam & irritam fuisse ; neque tantum propter vim, sed etiam vel maxime ex defectu potestatis, quo defectu nullus est major . Itaque violentam, pioque Flaviani sanguine commaculatam Synodum omnes Catholici horruerunt : atque ipse Flavianus, statim non à Synodo, quæ jam nulla esset, sed à Dioscoro ; neque ut à Synodi Præside, sed ut à nefarii Latrocinii duce appellavit . Appello, inquit, a te, ut habetur in gestis .

Vid. var. Epist. Leo. Mag. ad Imp. & Augustas. r. p. Conc. Chal. c. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. p. 38. & seq. & int. Leo. ed. Quæsn. ep. XXXIX. Jam verò nemo negat ad Papæ officium pertinere, ut his provideat, detque operam, ne fideles Concilii œcumenici nomine in fraudem inducantur : quo quidem officio Leo continuò functus est . Verum ita sententiam temperavit suam, ut judicium daret non peremptorium, sed provisorium . Itaque Ephesinam Synodum ratam esse non est passus : Flavianum in communione habuit, omniaque interim in suspensio esse voluit, quoad œcumenica Synodus haberetur : Synodo congregandæ ultimam sententiam reservavit .

XL. XLI. Id Leo ubique testatur, præsertim epistola ad Juvenalem † : *Christus & detestandum illud Ephesinæ Synodi judicium, sancta Chalcedonensis Concilii auctoritate destruxit*, Idem repetit epistola ad Leonem Imperatorem ; neque quidquam potuisse fieri convenientius docet, quàm ut Dio-

Dio-



Dioscori in Ephesina Synodo, facinus, \* sancta Synodus Chalcedonensis aboleret. His congruit illud beati Gelasii Papæ de Ephesino Larrocinio ad Juven. dictum: † Male gestam Synodum & injustam, justa & bene gesta Synodo submovendam. Tale remedium, talem auctoritatem œcumenicæ Synodi ritè convocatæ nomen postulare visum.

Quid ergò hic consequuntur superioritatis Pontificiæ defensores? Nempè ut Pontifex Synodum per se ab ipsis initiis nullam & irritam. non admittat ille quidem; ultimum tamen judicium futuræ Synodi relinquat arbitrio. Quodnam hic ejus quam quærunt superioritatis indicium est?

§ Leon. ep. ad Juven. CX. alias LXXII.  
\* Eusd. ep. ad Leon. Imp. cxxv.  
† Gelas. ep. XIII. ad Episc. Dard. T. IV. Con. p. 1204.

## CAPUT V.

*A Chalcedonensi Synodo nullam in fidei negotiis confirmationem petitam: ejusmodi sit ea, quam Sanctus Leo ultrò dederit.*

**A**T in Chalcedonensi legitimo sanctoque Concilio œcumenico plus habere se putant, cùm ipsa Synodus rerum à se gestarum confirmationem à Leone petat, ut in relationem Synodi ad ipsum Leonem est positum. Tum illud vel maximum, quod Canonem XXVIII. de Constantinopolitani Præfulis aucta dignitate, unanimi licet Patrum decreto factum, idem Leo Apostolica auctoritate rescidit.

Nunc quidem de fide agimus, de canonibus postea videbimus. Et quidem quod ad fidem, fideique causa depositum Dioscorum attinet, Patres Chalcedonenses in relatione ad Leonem, § nullam confirmationem petunt, satis esse rati, quòd Leonis Epistolam prælucentem, ipsumque sibi, ut membris caput præsentem ac Spiritu præsentem, ac penè in Legatis visum habuissent.

Itaque quoad hæc, nihil amplius desiderabatur. Ac revera Imperatores, absoluto Concilio, statim ut re explorata atque confecta contentionem omnem de fide prohibent: Clerus ac plebs in ea fide ac Dioscori condemnatione ubique acquiescit.

Et res quidem Synodi circa fidei negotium sic se habent; ut de suis decretis à Leone confirmandis, ne quidem cogitasse constet, & tamen sanctus Leo etiam non petitam confirmationem misit: qua occasione ipse idoneus testis exponet.

Quippè cùm occasione improbatì à Leone XXVIII. canonis, maligni homines in vulgus sparsissent; Chalcedonensem Synodum ab ipso improbatam, ad Episcopos, qui in ea congregati fuerant, hæc scribit: Ne ergò per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimi-  
tatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres, & Cœpiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi ..... ut omnium fidelium corda cognoscant; me non solum per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorū Synodaliū, propriam vobiscum iniisse sententiam in sola videlicet fidei causa. Quod ad-

Relat. Syn. Chal. ad Leon. part. III. C. II. p. 33. & seq.  
Ep ad Pul. LXXIX ad Anatol. C. P. LXXX. ad Max. Antioch. XCII. al. LIII. LXII.  
§ Relat. loc. jam. cit. Vid. Conc. Chal. par. II. c. III. p. 840.

Ep. Leo. ad Episc. Con. Chal. ib. c. XVI. p. 821. 832. & int. Leo. ep. lxxxvii. al. lxi.



adversus malignos interpretes factum, fatebuntur omnes non eò spectare, ut incerta firmentur, sed ut certa, summaque & indeclinabili auctoritate facta, magis, magisque asserantur & inculcentur.

Ib.c.XLV.  
ep.Agap.ad  
Leo. Imp.  
P. 942.  
Cujus generis est id quod in encyclicarum epistolarum tomo, post Synodum Chalcedonensem edito, legimus: *Penè omnes Occidentalium partium Episcopi consentientes sibi, & pariter decernente sanctissimo atque beatissimo Romanæ urbis Archiepiscopo, literis propriis & oris sui confessione, ea quæ ab ipsis Sanctis Patribus Chalcedone collectis interpretata sunt, confirmaverunt & consignaverunt.* En quid sit confirmatio; nemò consensus ipse. En ut, non modò Leo, sed etiam cæteri Occidentales Episcopi concedentes Chalcedonensem Synodum confirmarunt.

## CAPUT VI.

*Quintum, sextum, septimum, octavum Concilium.*

**E**X octo primis generalibus Synodis, supersunt adhuc quatuor, de quibus uno verbo facillè decernamus.

Quintam Synodum Constantinopolitanam II. à solis Orientalibus, nulla cum Occidentalibus communicatione, nulla Sedis Apostolicæ Legatione transactam, non nisi consensione Occidentalis Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ approbatione, pro Synodo œcumenica valuisse constat.

Conc.C.P.  
III. gener.  
VI. act.  
XVIII. T.  
VI.p.1072.  
Ibid.ep.  
adAgatho.  
P. 1276.  
Sexta Synodus de fide tantum, fideique condemnandis inimicis egit. Statim atque fidei definitionem edidit; eam, ab Episcopis & Imperatore subscriptam, ad quinque Patriarchales Ecclesias dimitti voluit, ut quæ certissima auctoritate constaret, actione VIII. Eadem actione Patres ad Agathonem Papam relationem mittunt, qua se *Spiritu Sancto illustratos & Agathonis doctrina institutos, infesta dogmata depulisse* testantur. Tum subdunt: *& corde nos, & lingua, & manu convenientes, omnis erroris expertem, certamque nec fallentem definitionem, vivifici Spiritus ope edidimus.* Quo perspicuè demonstrant, nihil expectari à se ut certam Spiritus Sancti præsentiam, sibi ac sanctæ Synodo vindicent, cum præsertim se ab ipso Agathone, lectis ejus Apostolicis literis, doctos esse fateantur. Neque eò secius ab eodem Agathone petunt ut orthodoxam fidem, quam cum ipso prædicarint, iterum per sua rescripta confirmet. Satis ergò existimabant illustratam, roboratam, confirmatam fidem, quam ipsi tradidissent, & ad inculcationem majorem pertinere eam, quam postulabant, confirmationem novam.

Edict.  
Const. Imp.  
ib p. 1084.  
& seq.  
Epist. Leo.  
II. ad Imp.  
Quare nec expectato Sedis Apostolicæ responso, pius Imperator Synodi decreta edictis exequitur. Interim Agathone mortuo, ad Imperatorem Leonis II. pervenit epistola, qua decreta Synodi *Apostolica auctoritate* confirmat, *eisque consentit, sicut supra solidam petram, qui Christus est ab ipso Domino adeptis firmitatem:* adeò certum est eam confirmationem ni-



hil aliud esse quam consensionem eam quam diximus , ac recognitionem authenticam jam à Domino prælitæ invictissimæ firmitatis .

Const. II.  
p. 1116.

Sanè omittendum non est Macarium Antiochenum Episcopum hæreseos defensorem a Synodo depositum , ad Sedem Apostolicam missum , non , quemadmodum nescio qui cavillantur , ut ejus causam tanquam superior retractaret , sed ut errantem instrueret , poenitenti , si fortè , indulgeret , quod adeo clarum est ex Imperatoris & Leonis literis , ut his immorari pudeat . Alia prosequamur .

Ep. Imp.  
ad Leo. II.  
ib. p. 1101.  
1103. &  
Leo. II. ad  
Imp. pag.  
1117. 1120.

Septima Synodus Nicæna II. nullam ab Adriano , rebus gestis , specialem confirmationem petiisse , nullam accepisse legitur ; neque eò infirmior visa est aut Græcis aut aliis : neque nostri , cum eam non suscepissent , confirmationem defuisse causati sunt . Adeo ista ex abundanti esse constat .

Octava Synodus , Constantinopolitana IV. Nicolai I. & Adriani II. judicium executum adversus Photium , ut firmitatem obtineret , nulla procul dubio Sedis Apostolicæ nova confirmatione indigebat ; & tamen petiit his verbis : *Itaque Sanctitate vestra omnium nostrum & universalis Synodi consensum & consonantiam recipiente ; prædica eam magis , ac veluti propriam , ac sollicitius confirma coangelicis præceptionibus vestris ; ut per sapientissimum magisterium vestrum , etiam aliis universis Ecclesiis personet & suscipiatur veritatis verbum & justitiæ decretum .* Quæ verba satis demonstrant , confirmationis nomine , expectari ab Apostolica Sede , Conciliarium decretorum promulgationem atque executionem ; quod ultro amplectimur .

Conc. C.  
P. IV. gener. VIII.  
ad. X. T.  
VIII. pag.  
1169.

Atque his profectò claret , quàm nihil faciat ad vindicandam Papæ superiorem potestatem ea confirmatio , quam in actis primorum Conciliorum generalium invenimus . Certè sic scribit ad Adrianum II. Synodus VIII. : *Sicut beatissimus Papa Nicolaus definivit & promulgavit , necnon & summa paternitas tua firmavit & synodice roboravit ; ita & ipsi* ( Legati scilicet Apostolicæ Sedis ) *annunciaverunt & egerunt ; ut si necesse sit superiorem esse qui confirmet & roboret , Adrianum Nicolao antecessore suo superiorem fuisse inficiari nemo possit .*

Ibid. p.  
1168.

Esto igitur fixum id , quod probandum suscepimus ; primorum Conciliorum generalium confirmationes à Romanis Pontificibus , post gesta ea Concilia editas , non ejus fuisse roboris , ut decretis de fide latis robor , quod deesset , adderent ; sed ut quod inesset uberius declararent .



## CAPUT VII.

*Reliquæ Synodi usque ad Tridentinam.*

**E**X primarum Synodorum confirmationibus, de reliquis judicare in promptu est. Post octo illas primas, quatuor omnino sunt, quibus Romanus Pontifex non ipse adfuerit: Pisana, Constantiensis, Basileensis, Tridentina. Cæteras per se ipse gessit.

Pisanam per sese valuisse ante Alexandri V. confirmationem editam, vel ex eo demonstravimus, quod nec Alexandri confirmatio valuisset, nisi prius Pisani Concilii, cujus ex decretis Alexander electus est, valeret auctoritas.

Constantiensis Concilii iudicium de Joanne XXIII. quod ab eo summa religione susceptum est, erat profectò, vel eo repugnante, valiturum, ut suo loco diximus.

Eiusdem Synodi decretum adversus Joannem Hussum & Hieronymum de Praga, statim atque prolatum est, plenam executionem habuisse nemo negat. Illis etiam brachio sæculari traditis & extremo supplicio addictis, necdum creato Pontifice; nedum ejus confirmatione expectata.

Cætera decreta quæ adversus Wiclefsum, Hussumque facta sunt, satis demonstravimus Martinum V. non ut incerta ac nutantia confirmasse, sed ut certa & valida, auctoritate Concilii totam representantis Ecclesiam, executum esse.

Quod autem idem Pontifex in fine Concilii declaravit, confirmari à se omnia circa fidem, quæ conciliatim gesta essent; usque aded ex abundanti erat, ut illud non scripto decreto, ut cætera, neque à Synodo requisitus, sed dimissis Patribus, Polonica controversiæ occasione dixerit.

Basileensis priora gesta, quæ sola tuenda suscepimus, adeo suam per sese sine expressa confirmatione, auctoritatem & executionem habuere; ut iis victus Eugenius IV. pristina sua de dissoluto Concilio decreta revocaret.

Tridentina Synodus, quæ ultimo decreto suo, Romani Pontificis confirmationem peri juberet eorum, quæ à se decreta & definita essent, eo usque intellexit eas definitiones vel tum valuisse, ut statim post eam confirmationem petitam, acclamarit Cardinalis à Lotharingia: *Sacro-sancta œcumenica Tridentina Synodus, ejus fidem confiteamur; ejus decreta semper servemus. Resp. Semper confiteamur, semper servemus*: Cardinalis. *Omnes ita credimus; omnes idipsum sentimus, omnes consentientes & amplectentes subscribimus: hæc est fides Beati Petri & Apostolorum; hæc est fides orthodoxorum*: Resp. *Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus*: Cardinalis. *His decretis inhærentes digni reddamur misericordiis* ... Resp. *Fiat, fiat; amen, amen*: Cardinalis: *Anathema cunctis Hæreticis*: Resp. *Anathema, anathema*. Talia sentientes, dum confirmationem petunt, quid aliud quam certa & valida magis magisque firmari & inculcari petunt?

Quare confirmatio statim æque ab Alexandro Cardinale Legato ac Præsidente



fide Farnesio (f) petita est , statim à Pio IV. in eodem Consistorio est VII. ib.  
data die Mercurii 26. Januarii anno 1563. , ut subjuncta Tridentinæ Syno- p. 939.  
do acta testantur ,

Et quidem in iisdem actis legimus audita vota Cardinalium , confir-  
mataque *omnia & singula* quæcumque in Synodo acta essent , *matura cum*  
*illis deliberatione præhabita* : quæ matura deliberatio , si in rem ipsam ca-  
deret , ac de ipsis Concilii tot ac tantis decretis esset inquisitum , profecto  
tanta res , tam brevi tempore transacta non esset . Ibid.

## CAPUT VIII.

*De Canonibus Conciliorum generalium à Sede Apostolica confirmatis vel*  
*infirmatis : Constantinopolitani Canones , præsertim III. Chalcedo-*  
*nenses , ac præsertim XXVIII.*

**D**E fide egimus , causisque cum fide conjunctis ; nunc de Canonibus  
paucis rem transigemus . Et quidem Nicænos Canones , statim atque Conc.  
à Nicænis Patribus per Provincias delati sunt , toto orbe terrarum obtinuisse Eph.  
constat . De Ephesinis in actis Synodalibus disertè legimus ; statim atque sunt VII. T. III.  
editi , una cum epistola Synodi ea de re scripta , dimissos fuisse per Eccle- p. 804.  
fias continuò exequendos , ut quæ pleno & suo pollerent robore . Itaque in  
Ecclesiæ Catholicæ codicem statim inserti sunt , tenuitque Episcopis in Cy-  
pro & Europa Provincia concessa libertas (g) , nulla unquam confirmatio-  
ne speciali . De VII. & VIII. Synodorum Canonibus , nihil , quod sciam ,  
objicitur , quod ad hunc pertineat locum ; constatque legi nusquam ab ulla  
Sy- Ibid. p.  
783. 210.

(f) *Cardinale Legato ac Præside Farnesio.* ) Hic labitur errore Ievi D. BOSSUET .  
Non enim Farnesius sedit unquam Legatus & Præses in Concilio Tridentino , neque  
etiam ille , sed Moronus & Simoneta , qui Sedis Apostolicæ Legati Concilio præfue-  
rant , ejus confirmationem à Pio IV. postularunt ; qua concessa , Alexander Farnesius  
Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius confirmationis instrumentum sigillo Cancellariæ  
munitum , eis tradidit . vid. loc. in text. citat .

(g) *Episcopis in Cypro & Europa Provincia concessa libertas .* ) Cyprii querebantur  
Antiochenum Patriarcham subicere insulam suam , & ordinandi jus ad se rapere attentasse ,  
licet semper antea Synodus Provincia congregata constitisset Metropolitanam . Tunc Syno-  
dus dixit : memor sit Sancta Synodus Canonis Sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum ;  
qui conservant unicuique Ecclesiæ priscam dignitatem . Deinde sic statuit : Si non est vetus  
mos , quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro , sicut libellis dixerunt ( Cyprii Episco-  
pi ) habebunt jus suum intactum qui in Cypro Ecclesiis præsumt , secundum Canones & ve-  
terem consuetudinem per seipsos ordinationes Episcoporum facientes . Act. VII. p. 787.  
& seq. Cæterum D. ELEURY mala fide egisse Cyprios Episcopos affirmat . Si , inquit ,  
Jean d'Antioche avoit été présent , il auroit montré que son droit étoit bien fondé , & que  
sa possession d'ordonner les Evêques en Chypre n'avoit été interrompue qu'à l'occasion des Ariens ,  
comme il paroît par une lettre du Pape Saint Innocent , écrite environ 20. ans auparavant .  
Lib. XXV. n. 57. De Episcopis Europæ breviter annotamus , duos ex Thracia Epi-  
scopos in libello suo supplici ostendisse , verendum esse ne Heracleæ Episcopus , qui  
Nestor se addixerat , ordinaret Episcopos in quibusdam Ecclesiis , quæ juxta veterem &  
relocatam consuetudinem , plurimæ ab uno Episcopo regebantur . Respondit Synodus :  
Sanctis Canonibus .... nihil innovandum in Europæ civitatibus . Ib. p. 810.



Synodo generali petitam Canonum confirmationem, præterquàm à Chalcedonensibus XXVIII. illius, quo & Constantinopolitanus Canon III. firmabatur, & Constantinopolitanus Episcopus non modò dignitate, sed diæt. XV. etiam jurisdictione ac ditione auctus. In his igitur tota est difficultas.

Greg. Mag. Lib. VII. in diæt. XV. etiam jurisdictione ac ditione auctus. In his igitur tota est difficultas.

ep. ad Eugl. xxxiv. Ac de Canonibus quidem Constantinopolitanis sic obijciunt: quod eos, al. lib. VI. teste Gregorio, Romana Ecclesia non habet nec accipit: Leo verò Mag. ep. xxxi. T. gnus Canonem III. caducum, sponte collapsum, & Sedi Apostolicæ igno- II. p. 881. ratum, sibi quoque displicere significat.

Leo. Mag. Interim id constat in codicem Canonum cum aliis Constantinopolita- ep. lxxix. nis insertum, toto statim Oriente valuisse. Quin etiam, in Chalcedonensi lxxx. al. Synodo, Legati Apostolicæ Sedis, Anatolium Constantinopolitanum Epi- LIII. LV. scopum secundum habuerunt. Qua de re usque aded non questi sunt, ad Pulch. & Anat. C. P. ut econtrà quererentur in quintum gradum à Dioscuro Flaviano relegatum. Quo loco laudantur à Diogene Cyzicensi, quod regulas scirent, Conc. quas nempe Dioscorus contempsisset. Ergò intelligebant omnes Episcopi, Chalc. aët. et ipseque aded Legati Leonis deberi Episcopo Constantinopolitano I. T. IV. p. 115. primum post se locum: non alio Canone, quam Constantinopolitano il- Ib. aët. lo, quem Romana Ecclesia ignorare ac minimè probare voluisse videba- XV. p. 769. tur; visumque est satis, quod nondum apertè improbasset.

De canonibus Chalcedonensibus gravior difficultas, ac præsertim de Ib. aët. xvi. p. 796. 709. XXVIII. Is actione XV. Legatis absentibus conditus, aët. XVI. iisdem querentibus relegitur: Legati contradicunt; Leonis mandata proferant, Ib. p. 813. & seq. Nicænos Canones legant; quibus hæc nova adversentur; Constantinopo- Ib. p. 817. litanos rejiciunt, coactos Episcopos conqueruntur.

Hic Episcopi clamaverunt: Nemo coactus est; dictisque sententiis ca- Con. Chal. non confirmatur. Hic Legati postulant, ut sua contradictio gestis inhæ- c. II. Relat. ad Leon. p. 837. int. reat; contestanturque se ad Papam relatu- ros.

De hoc ergò uno Canone, qui controversus esset, Patres ad Leonem Leon. ep. referunt, submissò animo petunt ut probare dignetur; & quemadmodum post lxxvii. Patres in bonis capitè consonarent, ita Pontificalis apex, id quod decens Ep. Leo. ad Pulch. Ib. erat filiis indulgeret; placitum id Principibus; & Legatos quidem con- c. VII. pag. tradidisse, sed ut res ipsi Papæ reservata videretur.

Hac rerum summa patet nihil Patres ambigere, præterquam de iis Leon. ep. quæ nova, quæ contra Nicænos Canones, quæ repugnantibus Legatis lxxix. IV. decrevissent: cætera vi sua atque integro robore firma reputasse. Id. ep. ad Anat. Ib. c. Quid hic Leo sanxerit nemo ignorat; nempe sic: Consensiones Epi- v. p. 244. scoporum, sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum, regulis repugnan- 846. & int. tes in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri generali pror- Leon. ep. LXIII. al. sus definitione cassamus. Alibi decernebat Canones Nicænos nulla in par- LIII. vid. te esse solubiles; infirmum atque irritum quidquid à prædictorum Patrum etiam ep. Canonibus discreparit; denique Anatolium, si Canonem urgeat, universa- ad Synod. lis Ecclesiæ pace privandum.

Hæc de Canone XXVIII. Sanctus Pontifex, cujus auctoritate victus ipse Chalc. Ib. c. XVI. p. 881. int. Leo. ep. Anatolius (si Lucæ Holsténio colligenti & edenti credimus, ut profecto, LXXXVII. mea quidem sententia, credi par est), data epistola Leoni præcipienti, ut à al. LXI. Coll. Holst. Cano-



Canone tuendo abstinere, respondit; *se illa obediendo complere, quæ ejus perfectissimis sensibus placita videbantur. Nam penitus, inquit, absit, ut eis ego, quæcumque mihi fuissent mandata per literas, adversarer.* Acquievit Imperator, eodem teste Anatolio in eadem epistola, atque ex numero Canonum Chalcedonensium, Canon ille XXVIII. expunctus est.

Hic ergo objiciunt Romanum Pontificem Conciliis œcumenicis longè superiorem, quorum Canones absque ejus approbatione non valeant; imò ab eo ex *Beati Petri auctoritate cassentur*, ipsis Orientalibus, ipsis Constantinopolitanis Episcopis, ipsis Imperatoribus consentientibus.

At hæc qui objiciunt, primò, ne statum quidem quæstionis intelligunt. Defendimus enim Constantiense Concilium, quo nempe Concilii potior auctoritas agnoscat, in fide, in schismate, in reformatione generali promovenda. At Orientales Episcopi isto Canone, Episcopo Constantinopolitano consulebant, Imperatori gratificabantur, non fidei, non schismati, non reformationi generali providebant; imò verò rectum ordinem ac primarum sedium honorem ab antiquo institutum evertabant, qui rei universæ Ecclesiasticæ conducere videretur. Non ergo adversus effrænam aut extraordinariam potestatem, Canones ac jura, libertatemque Ecclesiasticam tuebantur, quod Patres Constantienses volebant; sed Papæ, Canones rectumque ac probum & canonicum ordinem defendenti repugnabant; ac proinde ad nostram quæstionem non pertinet quidquid hic actum ab illis fuit.

II. Orientales Patres, hoc Canone constituto, id sibi tribuebant ut Patrum limites, & Canones Nicænos ab universali Ecclesia conditos & receptos, inconsulto, imò verò repugnante toto Occidente convellerent: quod non illis licebat.

III. In eo Canone statuendo nequaquam Concilii generalis auctoritate gaudebant, à quorum decretis in ea actione cum Sede Apostolica univèrsus Occidens recedebat.

Hinc etiam factum est ut Chalcedonenses Patres à Leonis arbitrio id pendere vellent, quod relationis quidem verba demonstrant, ut vidimus: sed apertè convincit illud Anatolii in epistola ad Leonem: *Cum & sic gestorum vis omnis & confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata.* Unde nec mirum, de iis Leonem statuisse, quæ in ipsas potestate, ipsa Synodus reliquisset.

Cæterum Bellarminus Canones Chalcedonenses omnes à Leone rejectos esse putat, propter quosdam Leonis aliorumque Pontificum locos: quem vir illustrissimus Petrus de Marca egregiè confutavit. Nunc neminem esse jam puto, qui neget Chalcedonenses Canones XXVII. antiquissimis Canonum intertos collectionibus, statim in auctoritatem admissos; quos si quis obstinatè contenderit à Leone improbatos; nempe Parisienses nostri non alio firmiore argumento probaverint Conciliorum generalium supremam potestatem, quam quod tot Canones, etiam improbante Romano Pontifice valuisse, ipsi adversarii fateantur.

Ep. Anat.  
C. P. ad  
Leo. Mag. in  
coll. Holst.  
ibid.

Bell. de  
R. P. lib. II.  
c. XXII.  
Marc. de  
Conc. Sa-  
cer. & Imp.  
Lib. III. c.  
III. n. 5.



## CAPUT IX.

*Recapitulatio eorum, quæ de confirmatione ex Conciliorum actis dicta sunt : hic confutantur allati à quibusdam recentioribus Pontificiæ confirmationis effectus : Ecclesiæ consensus, quatenus ultima Synodus benè gestæ testificatio : Sancti Gelasii locus .*

**E**X his facile confutantur ea, quæ recentiores quidam Theologi, de Pontificia confirmatione dixerunt .

Et primum quidem pauci sunt, qui ad hæc extrema decurrant, vim omnem Ecclesiæ ac Synodorum in solo Pontifice esse positam; decreta quæ non ipse firmaverit, præidentibus licet; imò consentientibus ejus Legatis edita, incerta pendere, quoad approbaverit; neque aliam Synodis generalibus constare infallibilitatem, quam ab ipso promptam .

Hæc igitur confutantur; universim quidem ex actis Conciliaribus, quibus vidimus decreta Conciliaria, statim atque sunt edita, cælestis oraculi vice habita, executionique mandata: speciatim verò ex his locis, quibus ipsa Concilia, ante omnem confirmationem asserunt, *se omnis erroris expertem, certamque nec fallentem definitionem, vivifici spiritus ope, edidisse*; Quod Synodus VI. ad Agathonem Papam scribit .

Eodem pertinet illud, quod est à Nicæna II. Synodo pronunciatum; vim quæ fidei definitionem certam edidissent, in eo esse positam, quod Divino numine congregati, ea repromissione gauderent, qua CHRISTUS cum Apostolis usque ad finem sæculi futurum se esse promittit .

Neque minus illustre est illud Cælestini ad Ephesinam Synodum: *Spiritus Sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum* . Quo loco Sanctus Pontifex in Ephesina Synodo, Synodum illam Apostolicam Hierosolymis congregatam aspiciendam esse testatur .

Huc accedit Leonis II. Synodi VI. defensionem confirmantis verba, quibus declarat iis se consentire, *sicut supra solidam petram, qui CHRISTUS est, ab ipso Domino adeptis firmitatem*: ut confirmatio Synodi universalis, nihil sit aliud quam testificatio jam à Domino traditæ firmitatis .

His igitur victi, qui sunt paulò cordatiores, ab his insulsis & nimis abhorreere solent; sed multum desudant in vero explicando confirmationis effectu . Ac Joannes quidem Bagotius \* sic exponit, *confirmationem Pontificis omnibus Fidelibus solummodo fidem facere, Synodum œcumenicam & legitimam fuisse; &, cum leges servaverit, in Spiritu Sancto definisse quod definiverit: qua ultima certificatio credendi necessitatem imponat Fidelibus, cum antea nemo propriè teneatur Synodi definitiones accipere* .

Postremum hoc æquè concidit actis Conciliaribus, quibus demonstravimus Conciliorum generalium definitiones statim atque prolatae sunt, nullo alio decreto edito valuisse .

Illud haud absurdum, confirmatione declarari Synodum, & legitime fuisse convocata, & legitimo ordine processisse, neque quidquam intervenisse quo nulla

Sup. hoc  
Lib. c. III.  
& seq.

Relat.

Conc. VI.  
ad Agath.

T. VI. p.  
1076. vid.

sup. c. VI.  
Definit.

Conc. VII.  
act. VII. T.

VII. p. 551.  
vid. sup.

lib. VII. c.  
XXX. diff.

præv. n.  
LXIII.

Sup. ib.  
c. XIV. vid.

Conc. Eph.  
act. II. T.

III. p. 614.  
Ep. Leon.

II. ad Imp.  
T. VI. Conc.

p. 1126.  
\* E Socie-

tate Jesu.  
Bag. A.

pol. fid. de  
loc. Theol.

disp. V. c.  
IV. sect. 1.



nulla fit ; qualia multa in Ariminensi, atque Ephesina II. Synodis evenisse legimus : quæ causa fuisse videtur, cur Leo Synodi Chalcedonenfis definitionem, ipso etiam auctore, ac per Legatos presidente factam, speciali epistola confirmandam duxerit, *propter malignos interpretes*, ut vidimus.

Sanctus Gelafius approbationi Leonis universalis Ecclesiæ consensio- nem adjungit ; eoque internosci docet, *malè gestam Synodum à benè gestâ Synodo* ; quod *malè gestam Synodum*, putâ Ephesinam II. *tota meritò Ecclesia non recepit & præcipuè Sedes Apostolica non probavit* : at *benè gestam Synodum cuncta recepit Ecclesia, ac maximè Sedes Apostolica comprobavit* : ut profectò inter cæteras Ecclesias, eminere oporteat Ecclesiæ principa- lis assensum ; at illud interim requiratur, ut Ecclesiæ totius consensus accedat.

Hæc ergò est ultima adversus *malignos interpretes* Synodi bene gestæ testificatio : Sedis Apostolicæ conjunctus cum totius Ecclesiæ approbatione consensus, quam confirmationem dicimus.

Ea verò universalis ac plena consensio, non tantum adversus *malignos interpretes*, sed etiam interdum bonis quoque ac probis viris est necessaria.

Etsi enim boni viri non dubitant, quin œcumenica Synodus sit infal- libilis, quandoque haud immeritò ac bona fide dubitatur, utrum aliqua Synodus sit verè œcumenica. Quale dubium contigisse vidimus Hispanicæ & Gallicæ Ecclesiæ, circa Synodum VI. & VII. ad quas vocati non es- sent. Quare haud immeritò affirmamus ultimum, quo Synodi œcumenicæ asserantur, esse Ecclesiæ universalis consensum cum Apostolicæ Sedis con- firmatione conjunctum.

Sup. hoc  
Lib. c. v.  
Gelaf. ep.  
XIII. ad E-  
pisc. Dard.  
Tom. IV.  
Conc. pag.  
1100. &  
pass.

Sup. Lib.  
VII. cap.  
XXIX. XXXI.

## CAPUT X.

*Andree Duvallii de confirmatione sententia confutatur ; nempe quod ante- eam, Conciliorum anathemata valeant, tantum sub spe ratihabi- tionis futura : Concilii VIII. locus egregius.*

**A**ndreas Duvallius Concilia quidem generalia, quibus Pontifex per Legatos præest, eâ infallibilitate gaudere contendit, quam ipsa Tract. de Spiritus Sancti præsentia tribuat. Horum ergò decretis, quod ad fidem attinet, teneri Pontificem ; neque posse negare confirmationem, si legiti- mo ordine processerint : vim porrò confirmationis in eo collocat, ut anathemata prolata à Conciliis, absque Pontificia confirmatione non va- leant. Nempè Concilia illustrant, non feriunt ; tanquam Ecclesiæ Docto- res non habeant simul concessam divinitus & cathedram docendi, & ca- stigandi virgam.

Hæc Duvallii sententia omnium, quascumque viderim, longè absurdif- sima videtur esse. Primum enim procul dubio valet statim vel ab uno Epif- copo prolatum anathema ; ac licet solvi possit legitimo ordine, ac superio- ris judicio ; non tamen superioris confirmationem expectat ut ratum ha- beatur : non valebit verò ab œcumenicis Synodis prolata sententia, omnem Ecclesiæ complexa potestatem ? Videbis ad quam vana & absurda co- gan-

Duval  
Tract. de  
sup. Rom.  
Pont. potest  
Part. IV.  
quæst. VI.  
p. 525. &  
seq. edit.  
1614. id.  
dissert. præ  
n. XXII.



gantur, qui ab avitâ traditione degeneres, Ecclesiasticæ potestatis formam, cæcis ratiociniis ad arbitrium fingunt. Deinde etiam si id placeat, quod est falsissimum, quæ jurisdictionis sint, ad Papam omnia redigenda esse: an non ille intelligitur mandare Legatis, ut exponendæ doctrinæ ita exercendæ Ecclesiasticæ ultionis officium; cum sexcenta Concilia Provincialia, sive Regionaria habeamus, in quibus Legati Apostolici unâ cum Synodis anathemata pronunciant & exequantur? Quam auctoritatem Conciliis œcumenicis denegari, longè absurdissimum est. 3. Libenter quæterem, ludantne nos Synodi, cum absolute ac decretorie pronunciant: *Si quis non ita senserit, anathema sit?* Ac nimis profecto ineptiunt qui hæc anathemata intentari respondent à Synodis sub rati habitatione & confirmatione futura ipsius Pontificis. At saltem audiant has formulas ab omnibus Synodis frequentatas, quæ effectum ipsum denotant: *Ab Ecclesia projecimus, privavimus, nudavimus omni dignitate.* Ac rursus alio modo; *Nudatus est, privatus est, projectus est:* tanquam perfecta re, quam ipsi pendere volunt. Postremò si adhuc hæsitant, esto illud ab VIII. Synodo decretum peremptorium, haud minùs adversus eorum sententiam, quam adversus Photium: *Nos eum inobedientem & resistentem sanctæ huic & universali Synodo repulimus & anathematizavimus atque à totâ Catholica & Apostolica Ecclesia fecimus alienum*, PER DATAM NOBIS POTESTATEM IN SPIRITU SANCTO A PRIMO ET MAGNO PONTIFICE NOSTRO LIBERATORE AC SALVATORE CUNCTORUM. Quid enim expectant qui sic pronunciant? Sed nos in tam clavis plus æquò immoramur.

Conc. C.  
P. IV. ge-  
ner. VIII.  
p 1166.

Atque hæc de objectione, quæ à Synodorum confirmatione petitur, dicenda habebamus. Sanè & Imperatores Synodos confirmarunt, diversissima ratione, ut vim legis ac civilis executionis obtinerent. Confirmatio autem Ecclesiastica, quid sit, plenissimè explicatum esse credimus; nempe sic: vel ut insit ex communi consensione firmitas, vel ut innata jam, ac certa, magis magisque inculcetur.

## C A P U T X I.

*Ex antedictis resolvitur illud, duodecim sæculis inauditum; quodd Episcopi jurisdictionem omnem à Papa mutuuntur; quodque Papæ assistant, ut consilarii tantum, non ut judices.*

JAM illud superest explicandum quod objiciunt: Episcopos à Romano Pontifice potestatem suam ac jurisdictionem mutuari; adeoque conjunctos quamlibet in Synodum œcumenicam, nihil posse adversus auctoritatis suæ radicem ac fontem; sed tantum adesse ut consiliarios; ac decreti robur, tam in rebus fidei, quam in aliis, in Romani Pontificis potestate esse possum.

Quod commentum, sponte vel ex eo concidit, quod priscis sæculis inauditum, XIII. sæculo inveni cœpit in Theologiam; postquam scilicet Philosophicis ratiocinationibus, iisque pessimis, agere, quam Patres consulere plerumque maluerunt.

Huic



Huic verò novitati repugnat imprimis id, quod est ex actis Apostolorum relatum de illa Synodo Apostolica, quam cæteris velut iterari & repræsentari Conciliis, Sancti Cælestini ad Synodum Ephesinam epistola & Concilii V. œcumenici interlocutio demonstravit: quâ in Synodo, si quis Apostolos non veros iudices à CHRISTO constitutos, sed Petri consiliarios dixerit, nimis ineptus est.

Repugnant item ea quibus constitit Romanorum Pontificum decreta atque judicia, etiam de fide, œcumenici Concilii convocatione suspensa, auctoritate retractata, nec nisi examine facto, ac dato iudicio comprobata & confirmata fuisse: quæ profectò probant, eos non Papæ consiliarios, sed Papalium decretorum sedere iudices.

Et eos quidem legitimè convocari oportet, ne tumultu coeant: cæterum convocati auctoritate Spiritus Sancti, non Papæ, iudicant; pronuntiant anathemata, non Papæ auctoritate, sed CHRISTI; totiesque in actis id inculcatum vidimus, ut repetere jam pigeat.

Huc accedat illud Concilii I. Arelatenis ad Sanctum Sylvestrum: *Te pariter nobiscum iudicante, cætus noster majore lætitia exultasset; atque in ipso Concilii capite ad eundem Sylvestrum: Quid decreverimus communi consilio, Charitati tuæ significamus.* Hac igitur sacerdotii sui auctoritate freti, de summis rebus, de observatione scilicet Paschæ Dominicæ, ut uno die per omnem Orbem observetur; de Baptismo non iterando; deque Ecclesiarum disciplina iudicant. Cujus generis exempla ubique occurrunt. Quin etiam à Synodis, etiam particularibus, quibus Papa præsedit, ejus etiam præsentis decreta examinari & firmari consensione; Patres pariter iudicare, decernere, definire constitit; ac millies in actis adscriptum vidimus.

Sup. Lib. VII. c. VI. & XIV.  
Ib. c. IX. & seq.  
Conc. A. relat. 1. an. 314. epist. ad Sylv. T. 1. Conc. p. 1425. 1427. Vid. can. Conc. 1. Arelat. ib. Vid. sup. lib. VII. pass. & etiam hoc Libro.

## C A P U T XII.

*Quo sensu dictum sit ab antiquis, à Petro & per Petrum esse Episcopatum: S. Augustini locus.*

Cæterum in re tam clara unum illud ex antiquitate depromptum obijciunt, à Sancto Innocentio dictum, Petrum *Episcopalis nominis & honoris auctorem*; & iterum: *Unde ipse Episcopatus & omnis auctoritas nominis ejus emensit*; & à Sancto Leone: *\* Si quid, cum eo (Petro scilicet) commune cæteris voluit esse Principibus, (scilicet Apostolis) nunquam nisi per Petrum dedit, quidquid cæteris non negavit*; atque alibi item, CHRISTUM ita concessisse cæteris Apostolis prædicandi ministerium, ut in eos à Petro, *\* tanquam à quodam capite, dona sua velit in corpus omne diffundere.* Unde etiam navigit illud Oprati Milevitani: *\* Bono unitatis Beatus Petrus præferri Apostolis omnibus meruit, & claves Regni Cælorum communicandas cæteris solus accipit*; & illud Gregorii Nysseni: *Per Petrum Episcopis dedit claves Cælestium*

Refer. Inn. ad Conc. Milev. T. II. Conc. p. 127. int. Aug. epist. clxxxii. al. xciii. n. 2. Tom. II. p. 639. Ejusd. Refcrip. ad Conc. Carthag. ib. p. 1284. int. \* Id ep. X. ed. Dup.

August. ep. CLXXXI. al. XCI. n. 1. p. 635. \* Leo. Mag. serm. III. in ann. Assum. ejusd. c. II. LXXX. adal. Episc. Prov. Vien. c. 1. \* Opt. Mil. de schism. Donat. adv. Parm. lib. VII. pag. 104. Greg. Niss. in eos qui castigari agrè ferunt. T. III. p. 314. edit. Paris.



Cæs. Are- *honorum. & illud denique Sancti Cæsarii Arelatenfis ad Symmachum Pa-*  
lat. Exemp. *pam : Sicut à persona Beati Petri Apostoli , Episcopatus sumit initium ,*  
Libel. ad *ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis Ecclesiis*  
Sym. Tom. *quid observare debeant evidenter ostendat .*

IV. Conc. *Hæc & alia ejusmodi ad extremum si urgeant, nempe asserent à Pe-*  
P. 1294. *tro non à Christo , aut à Christo per Petrum , non autem immediate &*  
*proximè Apostolos constitutos : tanquam alius quàm Christus Apostolos*  
*vocaverit , miserit , atque infuso spiritu cælesti potestate donaverit ; ac*  
Matt. xviii. *Petrus non Christus dixerit : Ite : docete : prædicate : baptizate : accipite ,*  
19. 20 *&c. sicut misit me pater , & ego mitto vos .*

Marc. xvi. *Neque me fugit Joannem de Turre cremata , aliosque paucos , dum*  
14. *à se non putant sancti Leonis & aliorum jam allata dicta satis defendi*  
Joan. XX. *posse , nisi Apostoli quoque à Petro suam jurisdictionem acceperint ; in*  
21. 22. *hoc etiam deliramentum abreptos contra manifestissimam Evangelii verita-*  
*tem : quod quidem commentum ipse Bellarminus confutavit .*

Bell. de *Id ergò cum sit omnium absurdissimum ; constabit adductis Patrum*  
R. P. Lib. *sententiis hæc tantum doceri .*

IV. C. XXXII. *Primò , auctoritatem Episcopalem ac jurisdictionem clavibus ac li-*  
*gandi solvendi que potestate contineri ; quod per se est perspicuum .*

*Secundò , Petrum fuisse primum , in quo ea potestas ostenderetur &*  
*constitueretur , patet ex Evangelica historica . Etsi enim Christus omnibus*  
Joan. XX. *Apostolis dixit : Accipite Spiritum Sanctum , Joan. XX. 22. & , quæcumque*  
24. Matt. *alligaveritis ; & , quæcumque solveritis , Matt. XVIII. 18. tamen præcesse-*  
xviii. 18. *rat illud Petro dictum : Tibi dabo claves , & , quodcumque ligaveris , &*  
1b. XVI. *quodcumque solveris , Matt. XVI. 19.*

19. *Tertiò , utrumque , id est , & quod est Petro , & quod est Apostolis*  
*dictum , æquè à Christo manare . Qui enim dixit Petro : Tibi dabo ;*  
*& , quæcumque ligaveris , idem Apostolis dixit : accipite , & , quæcum-*  
*que alligaveritis .*

*Quartò , verum igitur esse quod ait Optatus de Petro : Bono unitatis*  
*claves Regni cælorum , communicandas cæteris solus accepit . Revera enim*  
*quæ Petro datæ sunt , Matt. XVI communicandæ erant postea Aposto-*  
*lis , Matt. XVIII. & Joan XX. communicandæ autem , non à Petro , sed*  
*à Christo , ut patet .*

*Quintò , verum etiam id esse quod ait Cæsarius : A Petro Episcopatus*  
*sumit initium : cum Petrus primus fuerit in quo per ligandi ac solvendi*  
*ministerium ostensa , inchoata , commendata fuerit Episcopalis potestas .*

*Sextò , hinc etiam verum quod ait Innocentius : A Petro Episcopatum*  
*& omnem auctoritatem ejus nominis emeruisse , quod ille primus omnium sit*  
*Episcopus constitutus , sive designatus .*

*Septimò , ea causa vocari Petrum ab eodem Innocentio Episcopatus*  
*auctorem ; non quodd ejus institutor fuerit ; non quod ab eo Apostoli li-*  
*gandi ac solvendi potestatem acceperint : reclamant enim ubique Scrip-*  
*turæ ; sed quod ab eo factum sit ejus potestatis inter homines collocandæ ,*  
*& constituendi sive designandi Episcopatus initium .*

*Octavò , Apostolos per Orbem terrarum non Petri auctoritate , sed Chri-*  
*sti , constituisse , ordinasse , consecrasse Episcopos ac Presbyteros qui Eccle-*  
*fias*



fias gubernarent; atque hunc esse communicati Episcopatus una cum ordinaria jurisdictione fontem.

Nondò, hæc ut clariùs elucescant, ac faciliè intelligatur quid sit illud, *per Petrum*, quod apud Leonem legimus, recolenda est antiqua Ecclesiæ ab ipsis Scripturis ducta traditio.

Constat ergò Domino interrogante Apostolos: *Quem dicunt homines esse filium hominis*: Petrum omnium Principem, omnium induta persona respondisse: *Tu es Christus*: ac postea Christum Petro talem gerenti personam dixisse: *Tibi dabo*, &c. *Quodcumque ligaveris*, &c. Quo patet, his verbis, non modò Petrum; sed in Petro suo Principe ac pro omnibus respondente, omnes Apostolos eorumque successores, Episcopali potestate ac jurisdictione esse donatos.

Quæ omnia complexus Augustinus hæc scribit: *Cum omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: TU ES CHRISTUS: & ei dicitur; TIBI DABO*, &c. *tanquam ligandi ac solvendi solus acceperit potestatem: cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens unitatis, acceperit*. Quo nihil est clarius.

## CAPUT XIII.

*Patres ante Augustinum: alii Augustini loci: traditio sequentis ætatis.*

**A**ugustino præluxit Cyprianus passim. Brevis ac præclara ad lapsos epistola sic incipit: *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur, & dicit Petro: EGO TIBI DICO, &c. & TIBI DABO CLAVES, &c. & QUÆ LIGAVERIS, &c. inde per temporum & successionum vicis Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur*.

In uno igitur Petro omnes Episcopos institutos Cyprianus agnoscit; neque immeritò Episcopatus, eodem Cypriano passim attestante, unus toto Orbe terrarum, in uno est institutus: idque factum est ad stabiliendam unitatis originem ab uno incipientem, ut idem Cyprianus docet.

Consentit Optatus, qui *claves communicandas cæteris Apostolis, utique à Christo, ut rerum series demonstravit, soli Petro primùm agnoscit traditas, ut unitatis negotium formaretur*.

Sed omnium maximè communem traditionem exponit & inculcat Augustinus. Neque enim semel id dixisse contentus loco suprâ memorato, in hujus doctrinæ exponenda ratione totus est. Hinc illud: *In Petro esse Ecclesiæ sacramentum*; ergò ea, de quibus agimus, Christi verba dicta esse Petro Ecclesiæ formam gerenti: *quædam dici de Petro quæ non habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur gisse personam, propter Primatum, quem in discipulis habuit*.

Hinc autem sequi docet omnes Apostolos & Episcopos à Christo pote-

Matt. XVI.  
13. 16. 19.

Aug. tract.  
LXVIII.  
in Jo. III.  
part. II. T.  
III. p. 800.  
801.

Cypr. Ep.  
XXXIII.  
ed. Pear.  
XXVII.  
Pamel.

Id. Tract.  
de unit. Ec.  
cles. & lib.  
passim.

Op. lib.  
VII. p. 104.  
Vid. c.  
præced.

Aug. ep.  
LIII. alias  
CLXV. n.  
2. p. 170.  
Id. Tract.  
in Psal.  
CVIII. n.  
1. T. IV.  
part.  
ita- p. 1215.



Id de A. statem in Petro accepisse : Petro enim figuram Ecclesiæ sustinenti datas elation. Christ. ves, atque hinc Ecclesiæ datas. Petrum, Paulum, Joannem, ceteros Apostolos claves accepisse, easque adhuc in Ecclesia esse : sed omnes in Petro accepisse, ut Ecclesiæ figura : quod inculcat his verbis : Beatus Petrus primus Apostolorum ; in illo uno omnes claves acceperunt.

Id. serm. exlix. de Id verò factum commendandæ unitatis gratia post Cyprianum & Op- verb. Apost. tatum docet : Quando enim Christus ad unum ( Petrum scilicet ) loquitur, al. xxvi. de unitas commendatur : unde passim in libris contra Donatistas ait, claves divers. c. unitati datas.

VI. n. 7. Summa ergò hæc est. Cum Apostoli & Pastores Ecclesiarum & unum T. v. p. 706. sint, & multi ; unum Ecclesiastica communione, qui unum pascant gregem ; multi per orbem terrarum distributi, ac suam quique unici gregis fortiti partem, ideò potestatem ipsi duplici Christi concessione datam ; primùm ut unum sunt, idque factum in Petro Principe, unitatis figuram ac personam gerente, quod pertineat illa vox singulari prolata numero ; Vid. pass. Tibi dabo, &, Quodcumque ligaveris, &c. Secundo, ut multi sunt, plurali numero, quod pertineat illud ; Accipite, &, Quodcumque ligaveritis ; natist. T. IX. utrumque autem proximè & immediatè à Christo ; cum ille qui dixit : Tibi dabo ut uni ; dixerit idem : accipite, ut multis : præcessisse tamen eam vocem, qua datur potestas omnibus, ut sunt unum ; quia Christus unitatem in Ecclesia sua maximè commendatam esse voluerit.

Hinc omnia elucescunt. Neque tantum Episcopi, sed etiam Apostoli à Christo claves potestatemque acceperunt in Petro, ac suo modo per Petrum, qui eam pro omnibus, ut omnium figuram ac personam gerens, communi nomine acceperit.

\* Corbe- Manavit traditio ad posteros. Hanc universam paucis complexus est jensis Monachus. Christianus Drutmarus \* noni sæculi scriptor nobilis, expositione in Matt. ad hunc quippè locum ; QUODCUMQUE LIGAVERIS, &c. hoc tam Christ. Petro quam omnibus Apostolis & successoribus eorum, qui in Ecclesia eundem locum tenent, rectè credimus concessum. Id postquam Evangelicis Drut. exp. in Matt. c. xxxv. t. xv. citis comprobavit, infert : Quod autem quasi soli Petro, hæc legatio dici Bibl. Patr. videtur, ideò fit, quia ipse locutus est pro omnibus, & in ipso omnibus p. 136. responsum est.

Conc. Hanc traditionem secuti, labente eodem sæculo, anno videlicet 875. Cabill. T. Patres Cabillonenses, privilegium Monasterii Tornutiensis, sic statuunt : IX. p. 275. vid. suppl. Auctoritate, quam à Christo Jesu Domino nostro summo sacerdote, in Petro Conc. Gall. accepimus, &c. Quod totidem verbis repetitum legimus anno 878. in ejusdem privilegii confirmatione, subscribentibus Hincmaro Rhemenfi & Land. pag. aliis.

294. Ibid. Idem legimus in Caroli Magni capitularibus ab Ansegiso collectis : Præ- pag. 277. cipimus, ne fortè, quod absit, aliquis contra Episcopos leviter, hoc est, irre- vid. Conc. verenter ; aut graviter, hoc est, contumeliosè, agat : quod ad periculum Rhem. an. totius Imperii nostri pertinet ; & ut omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem & dignitatem Sacerdotalem ; quod ex verbis Domini facile intelligi potest, 481.

Capitul. quibus beato Petro, cujus vicem Episcopi gerunt, ait : QUODCUMQUE LIGAVERIS, &c. vicem Petri dicuntur Episcopi gerere, quod accepta in Car. Mag. Petro potestate, vice ac loco Petri habeantur : quemadmodum & ipsi Romani



mani Pontifices , vice ac loco Petri se gerunt , ac Petri vicarios se passim appellant ; majore potestate quàm alii , sed profectò non magis à Christo deducta .

Unde Episcopi qui se vice Petri esse dicunt , iidem se Christi vicarios passim nominant ; non pari amplitudine , quàm Romani Pontifices ; sed auctoritate pariter à Christo derivata .

Hinc excommunicant , *virtute Spiritus Sancti & ex auctoritate beati Petri Apostoli* ; quippè qui intelligant , ad se quoque dicta , quæ Petro dicta sint .

Piget commemorare ejusmodi innumerabilia , quæ passim legentibus occurrunt : ex quibus profectò constat Episcopos omnes , in Petro omnium , personam gerente , accepisse à Christo quam habent potestatem .

Neque propterea dixeris , nihil præ cæteris accepisse Petrum , qui tantum cæteros figuraret : meminisse enim oportet , quid Augustinus dixerit : *Petrum Ecclesiæ gestasse personam , propter Primatum quem in discipulis habuit* . Et alibi : *Petrus Ecclesiæ figuram portans , Apostolatus principatum tenens* , &c. quod assidue inculcat , & cæteri Patres uno ore prædicant . Hoc enim habuit præ cæteris , ut , cùm esset omnium Princeps , illud potestatis à Christo proximè & immediatè manantis commune depositum , principali jure & ipse acciperet , & ad successores transmitteret , ut cæteros Episcopos meminisse oporteat , se primum in Petro ut unitatis capite designatos , formatos , constitutos , in Petri successore colendo & observando , unitatem & pacem servare debere .

Lib.V.cap.  
CLXIII.

Præf.

Con.Meld

T. VII.

Conc. p.

1816. &

seq.

Conc.

Vicen.can.

1.T.IX. p.

453.

Aug. E-

narr.in Pf.

CVIII. n.

1.T.IV.p.

1215.

Id. Serm.

LXXXVI.al.

XIII. de

verb. Do-

mini.c. II.

n. 1. T.V.

p. 416.

### ADMONITIO EDITORIS .

**I**n eo loco codicis quem diligentiori curâ recognovit D. BOSSUET , hæc ad marginem ipsius scripta manu , legimus : *Caput XIV. Ecclesiæ Hispaniensis traditio in Conciliis Toletanis & in Concilio Tridentino* ; ed in schedâ hîc insertâ : *Notanda est traditio Ecclesiæ Hispaniensis ante Caput XIV.* Quapropter deletò numero Capituli sequentis , pro XIV. profuerat XV. Cùm autem solitus fuerit D. BOSSUET in schedis ea scribere quæ suo operi addebat , & ea sola nobis supersint hujus Capituli indicia ; an ab auctore illud Caput confectum fuerit , an schedæ amissæ fuerint , prorsus ignoramus . Nos quidem primum deliberabamus de explendo illo Capite ; sed postea mentem mutavimus , rati non nostrum esse viri maximi opus opella nostra interpolare . Igitur hîc tantum breviter docebimus , de origine Potestatis Ecclesiasticæ , qualis fuerit Ecclesiæ Hispaniensis traditio .

1. Observandum est Hispanos Patres in Conciliis Toletanis , de disciplinæ Capitibus plurimis & maximis sæpe decrevisse , hæreses quoque Arii , Prisciliani & aliorum anathematizasse , nullâ petita à Romanis Pontificibus suorum Synodaliū gestorum confirmatione ; adeò aberant ab eo ut crederent à Papa se habere , non à Christo decernendi & anathematizandi auctoritatem .

2. Passim legimus in illis Conciliis : Episcopos summos Pontifices primum habere Sacerdotiū gradum : ipsis commissam à Deo curam , ut tueantur defendant ac regant : eos in Ecclesia officia peragere oculorum adunationem Sacerdotum ad venerabiliorem cerni , quod in medio cætus eorum , præsentia individua Trinitatis adesset : adunatos Episcopos illustrari Spiritus Sancti lumine , quemadmodum Apostoli : eos Episcopos à Divina potentia constitutos esse : eorum decreta communi deliberatione facta habere plenam , integram , indissolubilem auctoritatem : ipsis jus esse ligandi ac solvendi , cùm Petro Christus dixerit : VI. Quodcumque ligaveris , &c. Quo etiam argumento usos fuisse antiquiores Ecclesiæ Doctores mox vidimus ; atque ea omnia luculenter probant Hispanos Præsules acceptam referre Christo suam auctoritatem .

Vid. post

Conc. To-

let. Tom.

Conc. II.

III. IV. V.



Sup. Diff.  
præv. num.  
lvii. lviii.  
8 lib. VII.  
c. XXIX.

An. 400.

Tom. II.

Conc. pag.

29.

Ep. Of.

ad Const.

ap. Athan.

Hist. Arian.

T. I. p. 371.

Vid. Pa-

lav. & Fra-

Paolo.

3. Jam supra annotavit D. Bossuet Patres Concilii Toletani XIV. Synodum VI. non approbasse, nisi facto examine, temetipsum à Leone II. probatam constitisset. Quid si auctoritatis suæ fontem esse Papam credebant, quid causæ esse poterat cur in Synodi VI. acta iterum inquirerent, cum ea acta non nescirent à Leone II. ad liquidum jam examinata & confirmata?

Optimi Sacerdotes, inquit Dictinius Episcopus, in Concilio Toletano I. corrigite omnia, quia vobis correctio data est. A quo autem data est? Num à Petro? Nequaquam, sed à Christo: scriptum est enim, pergit Dictinius, VOBIS DATÆ SUNT CLAVES REGNI CÆLORUM.

Meminerant illi Episcopi magni illius Cordubensis Osi, qui sic scribebat ad Constantium: Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concedidit. Atqui ut Deus Imperatoribus IMMEDIATE Imperium tradidit, sic profectò IMMEDIATE Episcopis Ecclesiastica concedidit.

4. Hispani Episcopi hanc à Patribus suis acceptam doctrinam Tridentum autulerunt. Nam cum multum contenderent Itali, ut Synodus, decreto elito, definiret Episcopalem auctoritatem à Papali originem suam ducere, ne id statuerent firmiter obtulerunt Hispani Præsules, quibus Galli nostri se junxere; seu potius per Spiritum Sanctum, qui huic Synodo præsidebat, non liquit hoc condi decretum, quod adversa fronte priscorum Conciliorum sacris statutis aded repugnasset.

#### CAPUT XIV.

*Cleri Gallicani ab antiqua traditione ducta sententia: Conventus generalis anni 1655. adversus Joannem Bagotium acta memorantur.*

**H**Anc sanctam & Apostolicam Episcopalis jurisdictionis ac potestatis à Christo immediate profectæ & institutæ doctrinam, Ecclesia Gallicana studiosissime retinuit, nec passa unquam est ab ea traditione deflecti.

Ut alia omittamus, nostrâ memoriâ anno videlicet 1655. Joannes Bagotius \* degenerem sententiam, qua vilescat Episcopatus, propugnasse visus erat \*. Id cum Clerus Gallicanus maximo ac frequentissimo confessu Parisiis congregatus molestissime tulisset, purgavit se coram amplissimo cœtu Bagotius, professusque est disertis verbis: *Episcopos immediate à Christo accipere jurisdictionem, atque in suis Ecclesiis gubernandis eadem auctoritate pollere, quâ Apostoli.*

Idem Bagotius docere visus, ita se habere Papam respectu cujuscunque Episcopi, & cujuscunque Diœceseos, ut se habet Episcopus respectu cujuscunque Curati, & cujuscunque Parœciæ Diœceseos; id à se dictum negavit; atque inter utrumque ingens discrimen esse professus est, etiam jure Divino.

Sacer verò cœtus fideles omnes edoceri voluit, constitutam à Christo Papæ auctoritatem in tota Ecclesia; Episcoporum verò in suis Diœcesibus quæ doctrina esset Conciliorum Lateranensis sub Innocentio III. Florentini ac Tridentini.

Eam doctrinam Gallicani Patres luculentius exponunt, datis pro more literis, ad omnes Coepiscopos, quarum hæc summa est: *Neminem orthodoxum*

\* E Societ. Jesu.

\*\* In suo librocui titulus est: *Defense du droit Epif.*

Vid. act. du Clerge de 1655.

Vid. ib.



doxum dubitare , quin Papa sit caput , Pastor & Primas universalis Ecclesiæ , uti loquitur Concilium Florentinum ; cujus potestatis jure posse eum in casibus ac forma in jure præscriptis , providere regimini omnium Ecclesiarum , omnique pastoralis functioni . Verum ea doctrina non destruit jus Episcopale , neque propterea admitti delegatos sine causa , qui sine Episcoporum licentia omnia eorum munia obire possint : Hierarchiam nihil esse aliud quam subordinationem quamdam membrorum ad caput ; eò esse comparatam ut membra conservet sub capitis regimine ; ac licet utrique & caput & membra potestatem ac vitam ducant ab eodem Christo , non tamen eadem vi neque pari auctoritate : Apostolos haud minus Petro fuisse subiectos , quamquam æquè ac Petrus , à Christo missionem habuissent , ita Episcopos qui Apostolis successerint , haud minus à Christo habere potestatem , licet eam exercere sub Papa Petri successore debeant : cæterum violari Episcopatum , qui secundum Cyprianum unus est , nisi Episcopus agnoscatur à Spiritu Sancto præpositus gregi ; qui se ab ejus auctoritate segregaverit , ab eo id pati Ecclesiam , quod sol erepto radio , obstructo rivo fons , detracto uno ramo , arbor tota pateretur : ac neminem Ecclesiæ verè esse conjunctum qui non agnoscat , & superiorem in totius corporis capite potestatem , & quæ in subiectis particularium Ecclesiarum capitibus vigeat ; & Papam quidem instar petræ esse , quæ fundatur Ecclesiæ ; Episcopos verò columnarum instar , quæ portetur ; atque omnino ad sustentandam tanti ædificii structuram , & petram , & columnas æquè conservari oportere .

Hanc celeberrimi conventus acceptam à Majoribus & tradendam posteris sententiam , aulicis artibus ( i ) aliquanto tempore interceptam , conventus Eccle-

Vid. sup.  
Lib. VI. c.  
XXIII. &  
seq.

[ i ] Aulicis artibus , &c. ] Parochi Parisienses ad Cœtum Cleri Gallicani an. 1655. detulerunt librum P. BAGOT , cui titulus est : *Défense du Droit Episcopal* , in quem librum Cœtus deputatos à se Episcopos & Doctores jussit inquirere . P. BAGOT statim deputatis libellum obtulit , in quo delatas propositiones explicare , aut etiam defendere conabatur . Sed deputati , cum intelligerent hunc libellum nequaquam à Cœtu probari posse , singulas propositiones suis censuris notare cœperunt . Tum P. BAGOT alterum libellum obtulit , saniorum illorum quidem priori , verumtamen non eum , qui satisfacere posse videretur . Ergo Episcopus Montis-Albani deputatorum Præses , de P. BAGOT propositionibus retulit ad Cœtum , à quo quidem jussus est articulos conficere , qui Jesuitæ propositionibus adversarentur . Interim Cardinalis MAZARIN , qui eos articulos legerat , Montis-Albani Præsuli dixit : Nuncium Apostolicum ad Regem ea de re questum venisse , sibi que videri omnino omittendos articulos . Quare Episcopus adiit Nuncium . Sed quamquam probaret in his articulis statui : Papam accipere à Christo immediate suam in omnem Ecclesiam jurisdictionem , vocari eum universalis Ecclesiæ jure Divino pastorem , & dici habere potestatem potioris potestatis Episcoporum , qui etiam jure Divino illi obedire tenerentur , nunquam potuit Nuncium à proposito deducere , eò quod Episcopi dicebantur habere immediate à Christo suam potestatem , quod vocabulum immediate ut novum & à Tridentina Synodo non usurpatum Nuncii animum offendebat . Igitur deputati , Nuntio ut satisfacerent , hunc articulum coram cœtu illis verbis explicarunt : *Nous avons seulement entendu que les Evêques n'étoient point Vicaire d'aucune Puissance Ecclesiastique qui fût sur la terre , & que leur puissance , tant de l'ordre , que de la juridiction intérieure , pour la remission des péchés , & de l'extérieure , consistant au pouvoir d'excommunier , de juger & de définir les matières de foi , soit en première instance , soit aux Conciles , leur étoit donnée de JESU CHRIST .* Deinde Montis-Albani Episcopus , lecto articulo à se recuso & ex ipsis Concilii Tridentini verbis composito , annotavit hunc loquendi modum verum quidem esse , sed eo tempore non cautum satis : itaque se sentire omittendos esse articulos , & admittendas P. BAGOT explicationes . Cœus hoc consilium , simul relationem de ea re factam comprobavit . Cæterum encyclica missa est epistola , in qua egregiè defendebatur Cleri Gallicani doctrina de Jurisdictione Papæ & Episcoporum .



Ecclesiæ Gallicanæ anno 1682. innovavit ac promulgavit .

Hoc sacrum depositum ab omni Patrum memoria Sorbona custodit . Neque unquam innoxios habuit qui aliud sentirent , ut à nobis prolata monumenta testantur .

Nimia illa quidem , inquires , quæ potestatem jurisdictionis Parochorum æquè ac Episcoporum & Papæ , à Christo esse docet , ut ex eisdem monumentis atque ex novissima Vernantii censura patet .

Qui hæc obijciunt , doctrinam sacræ Facultatis non intelligunt : disertè enim explicat hic agi de Parochis , non quantum ad *limitationem* , sed quantum ad *institutionem primariam* ; subditque in censura Vernantii : *Salva semper immediata Episcoporum in Prælatos minores , seu curatos & plebem subditam auctoritate* .

Mens ergò Facultatis de secundi ordinis Sacerdotibus non ea est : institutum à Christo , ut sint eo ritu , quem nunc Ecclesia servat in Paræcias distributi ; id enim pertinet ad eam limitationem , quam à Papa quidem , & ab Ecclesia esse ipsa Facultas docuit ; sed omnino à Christo esse id , quod ad *primariam* hujus ordinis *Institutionem* pertinet ; nempe ut ille ordo sit in Ecclesia necessarius , & secundo loco sub Episcopis Ecclesiasticam jurisdictionem exercent ; quam cum exercet , non ab alio quam à Christo , secundum canones & Episcoporum juxta præscripta , exercendam accipiat : ita ut Episcopis , à quibus consecrantur & instituuntur , tanquam immediatis Pastoribus , vicariam operam præstent , quod est verissimum .

Hier. ep.  
ad Evang.  
CI.al.adE-  
vag.lxxxv.  
T. IV. p.  
203.

Bern. de  
Conf. ad  
Eug. Lib.  
IV.c.VII.  
n. 33. T.  
I. p. 444.

At Episcopos , licet Papæ Divino jure subjectos , ejusdem esse ordinis , ejusdem caracteris , sive ut loquitur Hieronymus , *ejusdem meriti* ; *ejusdem sacerdotii* , collegasque & Coepiscopos appellari constat : scitumque illud Bernardi ad Eugenium Papam : *Non es Dominus Episcoporum , sed unus ex ipsis* .

Quod ergò nuperrimè inventum est , Episcopos à Papa jurisdictionem habere , ejusque quosdam esse vicarios , in duodecim sæculis inauditum , à scholis Christianis amandari oporteret .



## CAPUT XV.

*Auctoris Anonymi , de jurisdictione Episcopali à summo Pontifice profecta ,  
vanæ commentationes : S. GREGORII loci : BELLARMINI obje-  
ctio : S. FELICIS III. locus .*

**Q**Uam firma & antiqua sit nostra sententia , aliorum vani conatus do-  
cent , ac presertim Anonymi , qui *de libertatibus* scripsit . Is enim , Anon. de  
Libert. & c.  
toto lib.  
VIII. impr.  
c.x. & xi.  
ut nihil intactum relinqueret , quod vilesceret Episcopatus dignitas ,  
totum VIII. librum in hac quæstione consumpsit , conquistis undique au-  
ctoribus , qui degenerem sententiam sequerentur . Et quidem scholasti-  
cos ac postremæ ætatis auctores facile invenit , multosque laudavit : ex  
antiquitate nihil omnino protulit , præter illa , quæ de Petro dicta retu-  
limus ; quæ quàm abs re sint , omnes eruditi vident .

Sanè & Joannem Ravennatem retulit , qui ad S. Gregorium de Ro-  
mana Ecclesia hæc scribat : *Quæ universali Ecclesiæ jura sua transmittit* .  
Sed hæc nihil aliud sonant , quam omnium Ecclesiarum jura , etiam Ec-  
clesiæ Romanæ auctoritate muniri , eoque recurrere omnes , quorum ju-  
ra violentur , quod est certissimum . Si quis autem illa verba eo pertinere  
putet , ut à Papa , non à Christo Episcopatus jura profluant , næ ille ar-  
bitretur à Joanne Ravennate plus tribui Gregorio , quàm ipse sibi Grego-  
rius tribuat ; is enim nihil aliud Petro auctori suo tribuit , quàm ut ei à  
Christo *cura totius Ecclesiæ , & Principatus commissus sit* : hoc est , ut uni-  
versam qualis à Christo instituta est , regat Ecclesiam ; non profecto ,  
ut omnia Ecclesiæ jura à se , non à Christo transmissa esse putet . Idem  
Gregorius de se cæterisque fratribus Ecclesiarum Episcopis hæc scribit :  
*Quid ergò nos Episcopi dicimus , qui honoris locum ex Domini nostri hu-  
militate suscepimus , & tamen superbiam hostis ipsius imitamur* . Nempè se  
accenset cæteris , qui *honoris locum* à Christo æquè suscipiant ; non eum  
se esse vult , qui omnia jura cæteris tribuat . Quo etiam loco id scribit :  
*Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est ;  
Paulus , Andreas , Joannes quid aliud , quàm singularum sunt plebium ca-  
pita ?* A Christo utique , non à Petro constituta ; unde subdit : *Et tamen  
sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ* . A quo quidem capite , Chri-  
sto scilicet , vim omnem suam ducunt ; non à Petro , qui licet suo modo  
caput omnium , respectu tamen Christi , unà cùm ipsis membrum est ;  
omnibusque pariter virtus & auctoritas à Christo tribuitur , ac licet non  
æqua omnibus , tamen omnibus æquè . ( k )

Non

( k ) Omnibus æquè ) Argumentum D. BOSSUET confirmatur his Gregorii verbis in  
eadem epistola . Numquid non ... per venerandum Chalcedonense Concilium , hujus Apostolicæ  
Sedis Antistites ... universales oblati honore vocati sunt ? Sed tamen nullus unquam tali vo-  
cabulo appellari voluit , nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit , ne , si sibi in Pontificatus  
gradu , gloriæ singularitatis arriperet , hanc omnibus fratribus denegasse videretur . Ib. p. 743.



Id. ibid. Non ergò à se putent Romanum Pontificem honoratum, dum volunt  
 lib. viii. ep. Episcopos illi, potius quàm Christo, referre acceptam eam, quam exer-  
 xxx. ad Eu- cent, cœlestem jurisdictionem. Gregorium recordentur. *Non honorem, in-*  
 log. Alex. quit, *esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco: meus*  
 p. 919. al. *namque honor est, honor universalis Ecclesiæ. Tunc ergò verè honoratus*  
 lib. viii. ep. *sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.*  
 xxx.

Anon. de Nihil autem ad rem, quæ scribit Anonymus de Alexandrino & An-  
 Libert. & c. tiocheno Patriarchatu, per Petrum Apostolum constituto; longè verò mi-  
 lib. viii. nus ad rem, quod etiam de phantastico Galliæ Patriarcha, singulari capite  
 c. III. IV. agit; ac pudere debuit virum gravem, in his etiam somniis confutandis  
 tantum operæ collocasse. Sed certum erat nihil prætermittere, quod ali-  
 quam Gallis invidiam apud imperitos conflare posset.

Ib. c. v. Metropolitanas Ecclesias, præsertim in Gallia, suam à summo Pontifi-  
 & seq. ce auctoritatem traxisse narrat: quo causæ suæ emolumento? Nempè &  
 Tit. i. 5. Paulus Titum in Creta Metropolitam instituit, iussitque ut per Ecclesias  
 Episcopos constitueret. An hic etiam necesse fuit intervenire Petrum? An  
 Petrus Ephesinam, Cæsariensem, Heracleensem, aliasque in Oriente prima-  
 rias Sedes instituit, quæ non modo Episcopos, sed etiam Metropolitans plu-  
 rimos sub se haberent?

Quodd verò Episcopatum toto orbe terrarum ab uno Petro & successo-  
 ribus propagatum dicit, nulla probatione dicit: tanquam alii Apostoli ni-  
 hil egerint. Quodd nonnisi auctoritate Petri distributas Diœceses, & cuique  
 Anon. ib. pastori suum assignatum gregem asserit: quodd, quidquid cæteri Apostoli,  
 c. xli. n. 2. Paulus etiam apud Cretenses, egerint & jusserint, Petri & successorum ex-  
 presso vel tacito consensu valuisse respondet; hæc contemnenda potius,  
 quàm confutanda duximus, & in tanta literarum luce ab homine gravi  
 dici potuisse miramur.

Jam quodd his ratiociniis delectatur: Episcopi Papæ subjecti sunt; E-  
 piscopi à Papa deponi, à Papa reponi possunt (servatis quidem canoni-  
 bus) Episcopalis jurisdictio ab ipso ordine five caractere separari po-  
 test; ergò à Papa est: Episcopi inæqualem nec eandem cum Papa ju-  
 risdictionem accipiunt; ergò non à Christo: (quasi Christo non licuerit,  
 Ib. tot. cap. honorem ac potestatem à se immediatè diffusam diversa mensura, modo-  
 que & certo ordine temperare ac distribuere,) ne memoratu quidem di-  
 gnum est.

Nec melioris notæ illud: *In regimine Monarchico supremus Principis of-  
 ficia aliis etiam Principibus distribuit, ac jurisdictionem confert.* Demon-  
 strandum enim erat, Ecclesiasticam Monarchiam, sub Christo præcipuo Mo-  
 narcha constitutam, ad formam Monarchiæ sæcularis penitus institutam  
 esse, quod est falsissimum: id, inquam, Scripturis & traditione demon-  
 strandum, non ex proprio cerebro, vanisque ratiocinationibus Christianæ  
 Reipublicæ formæ effingenda erat.

Illud

(1) *Honorem suum perdere*) Videtur ab Eulogio vocatum fuisse Gregorium Papam  
 universalem, quem titulum arrogantia plenum Gregorius repudiabat. Scio qui sum, in-  
 quit, qui estis: loco enim mihi fratres estis, moribus Patres. Deinde sequuntur ea ver-  
 ba quæ D. BOSSUET allegat.



Illud verò longè est absurdissimum , quòd statim significat : *jurisdictionem ab eo esse , qui confert titulum* : item ab Apostolis eorumque iucessoribus esse , qui Dioceses seu Parochias distribuerint , fundarint Ecclesias , Pastores constituerint , plebem assignarint . Cui enim non sit obvium , ab Apostolis , Apostolicisque viris separata loca , personas designatas ; à CHRISTO tamen ipso jurisdictionem esse collatam ? Quòd si verbis ludimus , contendimusque à CHRISTO immediatè non esse , quòd sit per homines ; jam ergò nec Papalis jurisdictione à CHRISTO sit . Romanus enim Pontifex æquè ac cæteri ab hominibus eligitur , ab hominibus ordinatur . Quis autem ei Romanam Diocesim assignavit , cuius est peculiaris Episcopus ? A quo Episcopalem hanc jurisdictionem accepit ? An à Petro & antecessoribus jam pridem in Cælum assumptis ? An fortè à se ipso ut Papa , non autem à CHRISTO ? Apagè deliria , vana ratiocinia evanescent .

Ib. cap.  
I. n. 9. 3.  
VIII. n. 14.  
c. 12. n.  
5. 6.

Memorat Bellarminus Bullas Pontificias Episcoporum instituendorum causa datas . Neque quidquam aliud profert : ( *m* ) neque recordatur , quàm hæc novitia ac postremæ ætatis sint ; & quàm nec ad Græcos , nec ad alios Orientales pertineant , quos non ea conditione , ut Bullas deinceps acciperent , Ecclesia Catholica toties susceperit ; imò in antiquo usu reliquerit .

Bell. de  
R. P. Lib.  
IV. cap.  
XXIV.

Neque tamen refugimus id , quod est à Felice III. dictum : *Per quam* ( Apostolicam scilicet Sedem ) *largiente CHRISTO , omnium solidatur dignitas Sacerdotum* : non quòd eos institueret omnes Episcopos , quod est falsissimum , sed quòd malè & præter Canonicum ordinem institutos , à sua communione , suo quodam jure depelleret , eisque communicando solidarè .

Felix. III.  
ep. XIII.  
ad Flav. C.  
P. Tom. IV.  
Conc. pag.  
1089.

De tribus Patriarchis , qui cæteros deinde Episcopos confirmarent , à Sede Apostolica confirmandis , quod obijciunt , etiãsi esset certissimum , & vetustissimum , atque ab ipsa Christianitatis origine repetitum ; quid ad nos pertinet ? cùm certum sit , Carthaginensem Ecclesiam , & antequam constantinopolitanæ Sedi subderentur \* , Ephesinam , Heracleensem , Cæsariensem in Cappadocia , aliasque absolutæ ordinationis jure gavisas : quo etiãsi positas esse Gallicanas & Hispanienses Ecclesias , ex antiquis utriusque Ecclesiæ Canonibus erui , æquis constabit iudicibus . Dicant tamen an valuerint , an non ?

\* subditæ  
quidem sunt  
à Chalcedonensi Synodo , ut videre est  
Act. XV.

Sæpè vidimus Romanorum etiã Pontificum electionem atque institutionem , si quid dubii fortè intervenit , Conciliorum atque Ecclesiarum consensione , auctoritate , decreto agnitam & firmatam , multosque ipso fatente Baronio , intrusos , Simoniacos , nullosque Pontifices , summa tamen auctoritate valuisse ; quod Ecclesia Catholica , tacito saltem consensu , eorum institutionem ac gesta comprobaret , rataque haberet . An ergò propterea Romani Pontificis jurisdictionem ab Ecclesia esse dicemus ? Sed nos in perspicua re plus æquo immoramur . Satis enim scimus , neminem dissensurum , qui quidem antiquitatem vel primoribus labiis degustarit : neque futuros unquam fuisse , qui jurisdictionem omnem Ecclesiasticam ab ipso Papa repeten-

Vid. Baro.  
de Serg. III  
Land. Jo.  
X. Jo. XI.  
T. X. pass.

( *m* ) Neque quidquam aliud profert . ) Multa quidem profert ; sed illud argumentum maximè urget , tanquam præ cæteris firmissimum .



tendam ducerent, nisi & fuissent, qui cum omnia extraordinarie habere & gerere affectarent, omnino imminuta Episcoporum potestate sibi opus esse crederent.

## C A P U T XVI.

*Loco S. Joannis CHRYSOSTOMI, à novissimo auctore  
Anonymo objecti.*

**N**OVISSIMUS auctor Anonymus multa ex Beato Joanne Chrysostomo & Augustino profert, quibus ea, quam tuemur, Conciliorum auctoritas infringi videatur. Libri enim V. Caput XII. hunc titulum præfert: *Sententia Sancti Joannis Chrysostomi de comparatione beati Petri cum cæteris Apostolis, etiam simul unitis*. Quo loco congerit mira, sed omnino extra rem; ut vel exinde specimen capi possit, quam sit ejus auctoris, ad speciem magis quam ad veritatem composita oratio.

Anon.  
lib. v. cap.  
XII.

Ad hanc ergo CHRISTI interrogationem: *Vos autem quem me esse dicitis?* hæc à Chrysostomo notata memorat, quibus significet, superius esse Sancti Petri circa fidem judicium, cæterorum omnium Apostolorum judicio.

Anon. ib.  
n. 1.

Primum quidem, Petrum non solum omnes alios representasse, omnium vice ad interrogationem CHRISTI respondendo, sed ipsorum etiam non expectasse suffragium; quod quidem verissimum est, sed nihil ad rem. An enim coram ipso CHRISTO Præsidem egisse volunt, & singulorum rogare potuisse sententiam? Rem absurdam primum; tum etiam inutilem; non enim necesse id erat, cum vel inde à primo CHRISTI miraculo in Cana Galilæe Joannes scripserit: *Crediderunt in eum Discipuli ejus*; & utique non in hominem, sed in Deum credebant, atque id Petro gnarum.

Chryf.  
Homil. LIV.  
al. LV. in  
Matt. Tom.  
VII p. 546.  
& seq. Mat.  
XVI. 15.

Anon. ib.  
Jo. II. 11.

Neque magis est ad rem id, quod Anonymus notatum à Chrysostomo memorat: Petrum præsiluisse & prævenisse. Prævenit enim certè omnium responsum, non omnium fidem. Neque ad quæstionem pertinet, an Petrus, rogatis aliorum suffragiis, pro omnibus responderet. Non enim id quisquam cogitat, eò obstringi Romanum Pontificem Petri successorem, ut nihil communi nomine pronunciet, nisi rogatis omnium suffragiis, cum, ex omnium Ecclesiarum communicatione, facile intelligere possit communem traditionem & fidem, quam exponere teneatur.

Anon. ib.  
n. 2.

ib. n. 1.

Jam Anonymus ad hæc verba Chrysostomi: *Os & vertex consortii totius*, notare debuisset, eum esse oris loco, qui promat quid omnes sentiant. Quod autem illud adscribit (*nota hæc verba*) VERTEX CONSORTII TOTIUS, ET NON APOSTOLORUM TANTUM SEORSIM SUMPTORUM, quàm futile! Quis enim inter Catholicos dubitat quin Romanus Pontifex sit caput & vertex totius Ecclesiæ? An proinde ejus sententia omnium sententiæ prævaleat, quæstio est. Quin Senatus Princeps, totius ordinis Princeps, caputque dicitur: quod non eò dixerim, ut Romanus Pontifex non majore dignitate polleat, sed quod ea quæ jactant, cum inferiori quoque dignitate consentiant.

ib. n. 1.

ib. n. 3.

Anonymus memorat secundo loco à Chrysostomo notatum, Petrum per-

fectio-



fectiore modo CHRISTUM cognovisse, quàm qui cum Filium Dei antea confessi fuerant; quod de cæteris aliquatenus verum est, de Apostolis certè absurdissimum, quos ante Petri confessionem in nudum hominem credidisse, nemo nisi impiè dixerit; ac, si id Chrysostomus diceret, commoda interpretatione in aliam sententiam emolliendus esset, (n) quod hujus loci non est.

Observat tertio loco hæc verba Chrysostomi: *Pater illi quod loqueretur suggessit*: unde concludit Anonymus: *Petrum Divinæ sententiæ sibi à patre suggestæ promulgatorem, non humanæ opinionis relatorem extitisse*. ib. n. 4.

Quo loco multa peccat: primùm quòd nemo cogitet Petrum, cum suam & aliorum exposuit fidem, *humanæ tantum opinionis relatorem extitisse*. Non enim humana opinio est, in quam de CHRISTO Deo Apostolicus ordo consentiat. Tum stant illa duo simul, & Petrum communis fidei esse interpretem, & eam nihilominus à patre acceptam esse.

Quod quarto & quinto loco Anonymus memorat, ad Petrum verè ac *propriè factam esse promissionem de ædificanda super ipsum Ecclesia*; & cum à Chrysostomo dicitur Ecclesia super ipsam fidem niti, id intelligi debere per singularem quemdam respectum ad Petrum ejusque successores in Sede Apostolica, eximios fidei professores ac prædicatores; tum Petrum pastorem universi gregis esse constitutum. Omnes quidem, ac præcipuè Parisienses nostri & Gallicani Patres confitentur, neque in communi fide stabi- Ib. n. 5.  
6. 7.  
Chrysost.  
loc. jam.  
cit. n. 2. p.  
546.

lienda laborandum fuit. Neque etiam negant id quod ab Anonymo sexto loco est positum: *Ut Petro verè, propriè, ac excellentiori modo revelata fuerat CHRISTI Divinitas ... ita ipsi vere & propriè & immediatè dari claves Regni Cælorum*: hæc enim postrema sunt certissima, additis sanè iis, quæ ex Augustino ac Patrum traditione hausimus. At superest quæstio, quâ conditione, quâ lege administrandæ claves, idque ex universali traditione explicandum, non ex uno ambiguo & utrique sententiæ apto Chrysostomi loco. Ib. n. 7.  
Sup. hoc.  
lib. c. xii.  
& seq.

Quod autem & hic & septimo loco notatum ab Anonymo est; *Petrum ad altiorem Divinitatis CHRISTI cognitionem evectum*, quàm cæteri Apostoli, quis asserere audeat? Certè ad excellentius ejus præconium adductum fuisse constat, quod sufficit. Anon. ib.  
n. 8.

Quod est octavo in Chrysostomo observatum; *Jeremiam quidem unum genti, Petrum verò universo terrarum Orbi esse præpositum* quis negat, ut eloquentissimè, ita suo modo verissimè à Chrysostomo esse dictum? Cum præ- Ib. n. 9.  
Chrysost.  
loc. cit. p. 548.

(n) Emolliendus esset. ) Dicit Chrysostomus eos qui in navigio erant post tempestatem & dicebant: *VERE FILIUS DEI EST HIC, confessos fuisse, quasi verè filium eximium quidem inter multos, non tamen ex ipsa Paris substantia*. Quo loco annotandum est 1. ipsum Petrum per tempestatem non parum vacillasse, quem Christus his verbis redarguit: *Medice fidei, quare dubitasti?* 2. Chrysostomum non dicere eos qui in navigio erant fuisse Apostolos; proindeque fuere D. CHARLAS argumentationem. Nam non habebit quod respondeat, si dixerimus eos, qui tam demissè de Christo sentiebant, fuisse judæos quosdam, aut fortè discipulos infirmioris fidei, non autem Apostolos. 3. Plerique Scripturæ interpretes, in eo certè capite, Chrysostomum negligunt; quippe qui sentiant Christum verum Deum creditum ab iis qui in navigio erant, licet eam fidem non ita distinctè & fervido eo animo, quo deinde Petrus, profiterentur.



præfectura Petri, non modò amplitudine, sed etiam ordinaria potestate præster.

Chrysof. Quod denique Anonymus Chrysostomum sic conclusisse memorat: *Ta*  
loc. cit. n. *verò mecum, ex eis omnibus intellige, quanta sit potestas ejus, ad Hæreti-*  
3. Anon. ib. *cos certè vertenda sunt, non ad Parisienses, aut ad Patres Gallicanos, qui*  
n. 10. *hanc potestatem esse maximam, ac planè cœlestem consentunt.*

Quodd autem ex alio Chrysostomi loco, hæc infert Anonymus: *Si Pe-*  
Anon. ib. *trus splendor totius mundi, si Apostolorum Doctor, ab ipso alii, non ab*  
n. 11. *aliis ipse instrui atque doceri indiguit: quorsum spectat? Nisi fortè ut Pau-*  
*lus Petrum temerè, non modò docuisse, sed etiam reprehendisse videatur.*

## CAPUT XVII.

*Alius CHRYSOSTOMI locus, in Acta Apostolorum.*

Noster Anonymus ultimo loco memorat beati Chrysostomi Homiliam III.  
Anon. ib. in Acta Apostolorum, in eaque vim facit maximam. Ibi sanctus  
n. 12. Chryf. Doctor exponit sermonem Petri de uno ex discipulis in Collegium  
Homil. III. Apostolicum cooptando. Quo loco Chrysostomus id notat: Petrum ubique  
in act. n. 1. loqui primum: Græca autem sic habent: *Et ut fervidus, & ut is cui à*  
T. IX. p. 23. *Christo grex esset creditus, & ut cœtus Princeps, semper primus incipit lo-*  
Chryf. ib. *qui: hoc autem omnes consentunt. Chrysostomus paulo post: Considera*  
*quam Petrus agit omnia ex comuni discipulorum sententia, nihil auctori-*  
*tate, nihil imperio: quæ nobis quidem profint, potius quam noceant.*  
Ibid. n. Post multa interjecta subdit: *Multitudini permittit judicium, & eos qui e-*  
2. p. 25. *ligerent reddens reverendos, & seipsum ab invidia liberans; ac postea: An*  
*non licebat ipsi eligere? Lucebat & quidem maximè; verùm id non facit, ne*  
*cui videretur gratificari.* Quo loco noster Anonymus somniat voluisse Chry-  
stomum, ut Petrus jure suo potuerit totum negotium peragere, etiam  
inconsultis fratribus, quod procul est à Chrysostomi mente, & ab illis  
temporibus. Id voluit Chrysostomus, Petro sacri cœtus Principi licuisse,  
ut sicut de electione primus verba fecerat, ita simul aliquem designaret,  
atque deligeret, in quem alii deinde facile consentirent. Quod quidem est  
eligere, non solum, sed primum. Hoc autem non fecit Petrus. Indefi-  
nitè dixit: *Oportet testem resurrectionis Christi nobiscum fieri unum ex istis.*  
Act. 1. 22. Notat ergò Chrysostomus Petri modestiam, qui aliorum noluerit præoc-  
cupare judicia. At si, quod Chrysostomus ne cogitat quidem, id volunt,  
ut Petro vel soli licuerit totam rem pro potestate conficere; quid postea  
consequetur? Certè ut Petri successor, seorsim ab Ecclesia etiam congre-  
gata, aliquid possit, puta deligere aliquem Episcopum; non proinde sum-  
ma hæc definire possit, quæ ad fidem, quæ ad schisma, quæ ad uni-  
versalem reformationem pertinent: qua in re quæstio est posita. Quamo-  
brem Chrysostomus, utcumque intelligendus est, ipse certè Anonymus ex-  
trà quæstionem ludit.

Quæ deinde sequuntur ab Anonymo relata verba Chrysostomi, variè  
leguntur in Græcis codicibus, & vulgatus quidem interpres, quem sequit-



tur Anonymus, sic habet : *Quamquam autem habet ( Petrus ) constituendi jus par omnibus , tamen hæc congruenter fiebant ob virtutem viri ; & ob hoc quod tunc temporis Præfectura non honos erat , sed cura subditorum .* Unde illa Anonymi vana : *Petrum habuisse jus par omnibus , non solum SEOR- SIM , sed etiam SIMUL SUMPTIS .* An Chrysostomus hoc dicit ? Non has argutias in populari sermone tantus orator sectabatur ; nihilque aliud hæc indicant , quàm ut Petrus æquè ac cæteri potuerit aliquem deligere , ac designare primus ; id tamen aliorum arbitrio reliquerit .

Chrysof.  
ib.n. 3. p.  
26.  
Anon. loc.  
cit.

Hæc dicimus ad Chrysostomi locum , prout legit interpret ; at alia lectio est , quam vulgati codices retinuerunt . Sic autem habet ad verbum : *Quamquam nec æqualem omnibus constitutionem habebat ,* &c. affirmationis loco , negatione reposita : quàm lectionem excutere non est animus ; ac dumtaxat monemus Anonymum , recurrendum fuisse ad fontes , neque ex incertâ lectione certam conclusionem elici debuisse .

At illud palmarium putat , quod subdit Chrysostomus : *Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio , ut qui omnes habeat in manu : ad hunc enim Christus dixit , CONFIRMA FRATRES TUOS .* Quo loco Anonymus subtile illud suum inculcare non cessat : *Omnes habet in manu ,* ergo omnes simul sumptos ; quæ tamen nec sufficerent ; & quando quidem rem ad extremos apices urget , addere debuisset ; Petrum etiam solum omnia potuisse quocumque in negotio : nec tantum in designando Matthia ; sed etiam in exponenda fide , in extinguendo schismate , in constituenda universali disciplina ; idque absolute & ad nutum , nec ulla Coapostolis deliberatione permessa : qualia nec Petrus nec ipse Chrysostomus , nec quisquam homo sanus somniavit .

Chryf. Ib.

Nos quidem confitemur , Petrum omnium primum , ut ait Chrysostomus , non tamen solum in Ecclesiæ negotiis merito *usurpare* , sibi que vindicare *auctoritatem* , & confirmare fratres iustum ; & quod suo loco diligentius expendemus , ejus , in re obvia neque multum controversa , prono omnium assensu obtinuisse sententiam . Cæterum ubi gravis orta est dissensio , qualis illa de legalibus , Act. XV. variabantque sententiæ , sigillatim dixisse & judicasse omnes , remque esse decisam omnium auctoritate conjuncta : unde illud extiterit : *Visum est Spiritui Sancto & nobis :* missumque ad Ecclesias non unius Petri , sed omnium Apostolorum , quotquot adesse poterant , ut ipse Chrysostomus loquitur , *commune decretum .*

Inf. lib.  
ix.

Act. xv.  
28.

Chrysof.  
hom xxxij.  
in Act. A.  
post. Tom  
ix. p. 253.



## C A P U T XVIII.

S. AUGUSTINI locus ab eodem Anonymo objectus, contra Conciliorum auctoritatem indeclinabilem.

Anon. lib. VII. c. IX. **I**dem Anonymus auctor libro VII. hunc obicit S. Augustini locum ex libro II. adversus Donatistas; quo loco sanctus Doctor respondet Donatistis, qui auctoritatem Conciliumque Cypriani assidue objectabant. De Conciliis autem hæc habet: *Et ipsa Concilia, quæ per singulas Regiones vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo Orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpè priora posterioribus emendari; cùm aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, vel cognoscitur quod latebat.* Huc usque Anonymus. Ib. cap. VIII. n. 14. p. 104. Addemus & illud ejusdem Augustini ex eodem libro: *Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & universum partibus jure optimo præponitur.*

Anon. loc. cit.

Probat Anonymus, hic agi de Conciliis stricto sensu plenariis, eò quòd Augustinus loquatur de Conciliis, *quæ fiunt ex universo Orbe Christiano.* Probat agi de fidei quæstionibus, quòd hæc de Conciliis dicta sint, occasione hæresis scilicet Donatistarum Baptismum iterantium. Quæis fretus hæc ait: *Respondeant huic Augustini loco, qui judicium Concilii judicio Papæ in fidei quæstionibus præponunt.* Melius diceremus; respondeat Anonymus hæreticis, qui unum hunc præ cæteris jactant locum, ut in fidei quæstionibus, Concilia œcumenica errare posse probent. An forte respondebit, id quod persæpè profitetur, agere se de Conciliis, à quibus *Summus Pontifex ejusque Legati absint?* Non ita Augustinus: de Conciliis agit qualia tum quoque celebrabantur verè œcumenicis, quibus cum aliis Episcopis ex universo Orbe Christiano congregatis Romanus Pontifex Collegii Episcopalis Princeps & Caput interesset.

Anon. lib. v. c. x. n. 4. c. XI. n. 3. & c.

Sanè non Parisienses privatim, sed tota Theologorum & Canonistarum schola profitetur certos esse casus, eosque extraordinarios, in quibus Concilia generalia sine Romano Pontifice celebrari possint. Neque ea Concilia quisquam Theologorum, ac ne ipse quidem negat Anonymus, cum nempe in eos casus incidimus, *qui non alia remedia patiuntur.* At illi casus nondum inciderant, ut eos ab Augustino prævideri necesse fuerit. Illud certè Concilium ex Orbe Christiano collectum, quod objiciebat Donatistis, non sine Romano Pontifice celebratum esse, aut Augustinus significat, aut quispiam hominum cogitavit. Imò illud Concilium, quo Donatistas premebat, consueto more erat actum. Idem Concilium irrefragabilis auctoritatis fuisse, Augustinus docet: id enim ubique agit, ut de rebaptizatione, de qua age-

Aug. loc. cit. c. i. IV. IX.

batur, nullus jam superfit dubitandi locus, postea quam ea quæstio ad Concilii plenarii auctoritatem roburque perducta est. Cui Concilio si Anonymus derogat auctoritatem, aut ab Augustino derogatam putat, palam ad hæreticorum castra transit, qui veris legitimisque Conciliis œcumenicis adversatur,



tur . Quare aut hæreticis se adjungat oportet , aut hunc , quem nexuit , nodum , nobis ipse exolvat . Atque hi sunt qui invidiosissimè jactant favere nos hæreticis , quòd Catholicam innoxiamque sententiam tueamur : ipsi interim ab hæreticis arma mutantur , quibus Conciliorum fidem auctoritatemque proterant .

Nos facillè cum Bellarmino aliisque Catholicis respondemus , agi quidem hic de Conciliis verè œcumenicis , eaque indubiè emendari posse à posterioribus Conciliis in rebus facti aut disciplinæ variabilis : quem sensum Augustinus apertè indicat his verbis , *Plenaria Concilia sæpè priora posterioribus emendari , cùm aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat , & cognoscitur quod latebat* . Ergò Augustinus spectat non ipsam incommutabilem veritatem , quam sola apprehendat fides ; sed eas profecto res , quæ in rerum experimento sunt positæ : quibus verbis ab Augustino designatas fidei veritates , neque ratio finit , neque quisquam in ejus libris unquam repperit .

Jam quod Anonymus objicit , id à S. Augustino dictum , occasione fidei ab hæreticis læsæ , quid agat ignoramus . An ut Concilia œcumenica in fide errare possint ? Impium , hæreticum , omnibus Catholicis detestandum . An ut Augustinus cum hæreticis fenserit , Conciliisque universalibus legitimis detraxerit auctoritatem ? Absurdum , erroneum , ipsi Augustino contrarium : cùm is non alià magis ratione Donatistas à rebaptizatione deterreat , quàm quod ab universalis Concilii auctoritate recesserint . Prorsus Anonymi nos piget , qui Conciliaris auctoritatis odio ad hæc misera & infanda profiliat . Nos autem cum Catholicis facillè respondemus ; verba quidem Augustini , quæ cum hæreticis Anonymus urget , occasione quidem fidei esse prolata : nihil tamen prohibere , quominus occasione capta de Conciliorum Decretis universim tractet , atque ab uno casu transeat ad alios , quibus priora Concilia etiam plenaria à posterioribus emendari possint . Agebat enim adversus Donatistas universalis Ecclesiæ contemptores , qui proinde Conciliorum auctoritatem , non ex illa à Christo Ecclesiæ universali facta promissione , sed humano more æstimabant . Qua quidem intentione sufficit , ut probet Donatistas , antè habuit Cypriani Concilium objicientibus , posteriora Concilia anterioribus meritò anteponi ; in iis certè casibus , in quibus esse possit emendationi locus . Cæterum cùm eos casus ad rerum experimenta restringit , id diligentissimè cavet , ne ad ipsam fidem invariabilem protendantur . Atque hæc ad hæreticam Anonymi objectionem dicta sint , fusius fortasse quàm par erat , nisi ad Conciliorum adversus hæreticos tuendam Majestatem forent necessaria .



## CAPUT XIX.

*Alii loci AUGUSTINI ab eodem objecti : an Papa Ecclesiam Catholicam repræsentet .*

**H**æc habuit Anonymus , quæ Conciliis œcumenicis totam Ecclesiam repræsentantibus objiceret . Nunc ea proferimus , quibus docet , Ecclesiam universalem per Papam repræsentari .

Et quidem in Ecclesiasticis gestis invenimus , à summis Pontificibus & Conciliis dictum , Ecclesiam Catholicam repræsentari Synodis œcumenicis , ejus virtutem omnem potestatemque complexis , quod ipsa repræsentandi voce designare solemus . Id autem de Romano Pontifice , neque ab ipsis Pontificibus , neque à Conciliis œcumenicis , neque usquam in gestis Ecclesiasticis legimus : ut profecto novam vocem omissem ab Anonymo oporteret . Sed eam probare nititur adductis beati Augustini locis , quibus Petrus dicitur Ecclesiam figurasse : qui loci à proposito longe distant . Aliud enim est in Petro universam Ecclesiæ vim atque auctoritatem fuisse præsentem , quo ipsa repræsentandi ratio constat : aliud in Petro , tanquam in Sacramento , in typo , in figura , & quadam ut ita dicam , persona mystica significatam , quo ritu in Martha , in Maria sorore , in eodem Petro , in Joanne Apostolo vitam activam & contemplativam figurari & significari Augustinus passim docet .

Quærit Anonymus , quo sensu Petrus Ecclesiam figuravit ; an ut nudum signum ; an ut pars quædam Ecclesiæ ; an ut superior . Facile respondemus placuisse Christo Ecclesiam in Petro figurari ut in Principe : cæterum eo sensu repræsentasse Ecclesiam , quo ejus vim omnem potestatemque , ut insitam sibi præsentemque concludat , quod Concilio universali est proprium , non sanctus quisquam , non Augustinus , non alius è sanctis Patribus cogitabat .

Jam ergò Anonymi argumentum ruit : *Ei per quem repræsentatur Ecclesia universalis , conveniunt quæcumque in Scripturis Sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi ; atqui per Petrum repræsentatur Ecclesia universalis : ergò Petro conveniunt quæcumque in Scripturis Sacris tribuuntur ipsi Ecclesiæ , verbi gratia , quod sit COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS , quod qui eum NON AUDIERIT , sit habendus tanquam ETHNICUS ET PUBLICANUS .* Quæ omnia frigido nituntur æquivoco , sumpta figurandi voce pro ipsa repræsentatione , quæ totam Ecclesiæ vim atque potestatem in unum collectam præsentemque sistat .



## CAPUT XX.

*Repetuntur & urgentur quæ pro Parisiensium sententia, ab auctoritate & convocatione Conciliorum generalium dicta sunt: confutantur vana suffugia: BELLARMINI etiam responsionibus antedicta firmantur.*

JAM ergò, quod polliciti sumus, sententia Parisiensium, Conciliorum generalium traditione firmata est. Etenim vidimus Romanorum Pontificum in Conciliis œcumenicis judicia retractata, de his quæstionem habitam; quæstione habita, Cælestini, Leonis, aliorumque probata judicia; Vigili, atque Honorii rescripta improbata fuisse; neque quidquam à sancta etiam Sede profectum, aut à Patribus aut à Romanis etiam Pontificibus, pro irrefragabili esse habitum, nisi postquam Ecclesiæ consensus accessit. Quin etiam sententiam hanc ipsa Conciliorum generalium convocatione firmatam, totamque quæstionem finitam esse arbitramur.

Omniñò enim id certum est, id immotà lege, id omnium sæculorum traditione fixum, quod in ipsis initiis hujus tractationis est positum, Synodos generales propter multiplices quidem causas, sed propter fidem maximè convocari oportere. Hinc illud Pelagii II. axioma à Magno Leone desumptum: *Specialis quippe Synodaliū Conciliorum causa est fides.* Præluxerat Pelagio Gelasius ubique inculcaus, in magnis fidei quæstionibus suam cuique Synodum destinatam. Gelasio præluxerat Athanasius de Synodo Ariminensi sic dicens: *Cur nova Synodus? Quæ nova hæresis?* His omnibus præluxerant Apostoli, suborta quæstione de legalibus, quæ Ecclesiam maximè conturbaret, rem ad Synodum deferentes, suumque illud proferentes: *Visum est Spiritui Sancto & nobis;* quod ad omnia deinde sæcula permaneret. At si per sese valet ante Ecclesiæ consensum, Romani Pontificis indeclinabilis auctoritas, nempe omnia ista tam clara tam certa concidunt. Quorsum enim atinebat ab ultimis Orbis partibus cieri Episcopos tantis laboribus, tantisque sumptibus, & Ecclesias pastori- bus viduari, si totum erat in Romano Pontifice positum? Si quod ille crederet, quodve doceret, statim pro summa & irrevocabili lege esset, cur non ipse pronunciat? Aut si pronunciavit, cur jam convocantur fatiganturque Episcopi, qui nempe actum agant, & de summo Ecclesiæ judicio judicent? Non id autem frustra fit: sed Christianis omnibus cum ipsa fide est insitum, in summis dissensionibus totam Ecclesiam convocari audiri- que oportere. Ergò omnes intelligunt, certam & exploratam & plenam veritatis declarationem non in Papa solo, sed in Ecclesia ubique diffusa collocatam.

Ad id argumentum respondet Bellarminus ea, quibus nostra invictissimè firmantur. Cum enim objecisset sibi: *Quod Concilia generalia necessaria non essent, si Papa posset definire infallibiliter in fidei dogmatibus;* hæc quidem reponit: *Primum, quod non debet Pontifex contemnere media humana; me-*

Sup. lib.  
VII. c. IV.  
& seq.  
Epist. Pe-  
lag. II. post  
Conc. v. T.  
v. Conc. p.  
617. & seq.  
Leo. epist.  
xcii. ad  
Max. Ant.  
al. lxii. c.  
v. Gelas. ep.  
vid. T. IV.  
Conc. pag.  
1157. &  
seq. Athan.  
de Synod.  
Arimin. &  
Specul. n.  
6. T. I. P.  
719.  
A. XV.  
28.

Bell. de  
R. P. lib.  
IV. c. VII.



dium autem humanum est Concilium, majus aut minus, pro gravitate rei; quod patet ex Apostolis, qui cum soli possent quamlibet controversiam infalibiliter definire, Concilium convocarunt. Deinde definitiones de fide pendunt præcipuè ex traditione Apostolica & consensu Ecclesiarum: ut autem cognoscatur quæ sit totius Ecclesiæ sententia, & quam traditionem servant Ecclesiæ Christi, non est alia melior ratio, quam ut convenient Episcopi ex omnibus Provinciis, & quisque referat Ecclesiæ suæ consuetudinem. Præterea sunt utilissima & sæpè necessaria, non tantum ut finis imponatur controversiæ; sed ut servantur decreta; si quidem multi ignorantiam decreti prætexunt; alii conqueruntur se non fuisse vocatos; alii apertè dicunt Summum Pontificem potuisse errare. Hæc sunt propter quæ Bellarminus Concilia necessaria esse judicat; nos verò hæc non tam solvimus, quam ex iis nostra itabilimus.

Ac primum de mediis humanis, etiam à Pontifice adhibendis: siquidem Pontifex petit tantum consilium, quod quidem pro animi sui sententia vel admittat, vel respuat; non profectò Episcopi, sed doctissimi quique vocandi sunt. Cum ergò Episcopi ad Concilia vocentur certissimo argumento est, non consilium, sed auctoritatem ac potestatem quæri; quæ Pontificis auctoritati & potestati conjuncta, tota sit atque integra Ecclesiæ in docendo & coercendo potestas & auctoritas, adeoque summa jam & indeclinabilis.

Deinde huc redeunt omnia, quæ sunt hætenus validissimè constituta. Primum enim in Synodis generalibus, si consilium tantum Pontifici destinaretur, non erant adhibendi qui conjudicaret, qui concederent, qui anathema simul intorquerent, ac pronunciarent; sed qui datis consiliis prælucerent, & rem Pontificio judicio potestatique relinquerent. At profectò adhibiti sunt in Conciliis Episcopi, non consiliarii, sed iudices: non qui duntaxat doceant Pontificem judicaturum, sed qui ejus sententiam, ejus decreta, ejus anathemata sua consensione atque auctoritate firment. Non ergò consilium in Synodis, sed summa auctoritas potestasque quæritur.

Tum & illud certum est, cum Synodi generales sunt habitæ, Romani Pontificis plerumque præcessisse sententiam. Omnino enim Cælestinus, Leo, Agatho, Gregorius II. Adrianus I. sententiam dixerant, cum tertia, quarta, sexta, septima Synodus haberetur. Non ergò consilium judicaturum Pontifici, sed cum judicasset, certæ & ineluctabilis auctoritatis robur quærebatur.

Denique in Macedonii quæstione de Spiritu Sancto, non dabant consilia S. Papæ Damaso in Occidente versanti, qui seorsim Constantinopoli quæstionem habebant Orientales Patres: neque hi per literas consultationem mittunt; sed decretum, sed symbolum, sed anathemata adversus hæreticos; quod in aliis etiam quæstionibus factum suo loco indicavimus. Quorsum hæc? Nisi quod omnes intelligebant non ideo requiri Episcoporum sententiam, ut Papa monitus melius judicet; sed ut ex communi Papæ Episcoporumque sententia, ineluctabilis sententiæ robur existat.

At fortè id ita factum est, quod Papa judicium Patribus relinqueret, que-



quemadmodum Imperatores ac Reges, summa licet potestate præditos, & fecisse legimus, & facere intuemur: non ita est. Non enim Episcopi se putabant esse à Papa selectos iudices, sed à Christo datos. Neque ipse Pontifex Synodos exquirebat, quæ sibi iudicatio essent necessaria; sed Orbis Christianus meritò reposcebat, ut quod certa fide crederet, certa jam & invicta auctoritate doceretur. Neque Romani Pontifices aliud cogitarunt, cum Concilia generalia, vel ipsi convocarent, vel ab Imperatoribus convocari sinerent, quam ut ex consensu certa jam auctoritas fidei adderetur.

Ajunt Pontificiis quidem decretis, ut solitariis, plenam & ultimam auctoritatem contineri: per Concilia generalia ex tractatione & examinatione addi summæ auctoritati plenissimam lucem, ad convincendos pertinaces: eò enim decurrunt recentiores passim, ac maximè ille novissimus Anonymus, qui de libertatibus Gallicanis scripsit. Sed quid hoc rei est? Si lux quærebatur tantum, cur congregatæ Synodi Romanorum Pontificum dogmata, non editis tractatibus, sed decretis conditis muniabant? An verò tertia, quarta, sexta, septima Synodi, mysterium fidei lucidius explanarunt, quam Cyrillus à Cælestino laudatus, quam Leo, quam Martinus, quam Agatho, quam Gregorius II., quam Adrianus I.? Neutriquam. Certè cum Romanorum Pontificum decreta toti Ecclesiæ præluxissent, Synodi postea congregatæ luci lucem addiderunt, sed ideo ampliorem, quod jam certiore, totiusque Ecclesiæ consensione constantem: qua in certitudine, jam non dubiæ lucis, summam & indeclinabilem auctoritatem collocamus.

Apostolici Concilii exemplum profert Bellarminus. Sed eo nostram sententiam firmari jam vidimus; quod nempe Apostoli, tanta Spiritus plenitudine, tantaque Divinitus auctoritate muniti, Hierosolymis congregati sint, ac futuris dissensionibus terminandis eam formam dederint, quæ totius Apostolici ordinis conjungat auctoritatem, in eaque reponat illud: *Vivum est Spiritui Sancto & nobis.*

Quo etiam ex loco illud Bellarmini confutatur, Concilia non esse medium Divinum confirmandæ fidei, sed *medium humanum*, monendo & intruendo Pontifici. Id, inquam, ex Apostolico illo Concilio perspicuè refellitur; neque enim quisquam dixerit convenisse Apostolos ut monerent Petrum, sed ut ipsi cum Petro, conjuncta auctoritate, eam veritatem promerent, cujus custodes ac testes à Christo in commune essent constituti. Atque ibi elucescit, ut aperiendæ, ita etiam muniendæ veritatis, non *humanum medium*, sed planè *Divinum*; cum illi congregantur, qui Ecclesiarum magistri constituti sunt immediatè & proxime à Christo dicente: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: & iterum: Ite, docete omnes gentes, &c. &: Ecce ego vobiscum sum: ut Ecclesia quæ sit schola Christi, & cæus discipulorum ejus, id verè certoque à Christo didicisse intelligatur, quod uno ore Ecclesiarum magistri doceant.*

Quin & ipse Bellarminus assentire cogitur. Cum enim fateatur *definitiones de fide præcipuè pendere ex traditione Apostolica & consensu Ecclesiarum*; hinc profectò fit, ut illa consensio ad plenam veritatis fidem necessariò requiratur. Quæ si Pontifici pronuncianti desit, nempe decrit illud, quod

Anon. de  
Libert. &c.  
lib. vii. c.  
ix. n. 9. &  
c. XIV. n.  
& passim  
alib.

Bell. loc.  
sup. cit. vid.  
lib. vii. c.  
vi. & xlv.

Jo. XX.  
21.  
Matt.  
XXVIII.  
19. 29.



Bell. loc. sup. cit. quod est *præcipuum*, & undè *præcipuè*, teste Bellarmino, definitio pendeat. Quare fateatur necesse est, cum ab Episcopis in Concilium adunatis requiritur illa consensus cum Papa, non profectò requiri ad Papæ informationem, sed ad invictum communis testimonii ac decreti robur.

Anon. de libert. &c. lib. VII. c. IX. n. 9. Neque magis audiendi sunt, qui Concilia generalia media quædam humana esse voluerunt, ad convincendos confutandosque pertinaces. Scripsit ille toties citatus Auctor anonymus, Conciliorum necessitatem eò esse à Majoribus inculcatam, quia unius, quantæcumque sit dignitatis, iudicium esse infallibile, suprâ humanam rationem est; nec nisi fide ac traditione sciri potest. Quod autem sententia Senatorum toto Orbe congregatorum, nec minùs merito, quam numero insignium, veritatem attingat, etiamsi fides non doceret, ratio suaderet humana. Ideo Concilium generale pertinacissimis hominibus erat proponendum. Quod si recusarent, rei à nemine non haberentur. Sic ergò Conciliis novo aulû humanam tribuunt auctoritatem. At non invenimus à sacris Conciliis, in eo repositam esse vim illam, quæ os omne obstrueret, sed in repromissione Christi dicentis: *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: sed in certissima inhabitatione Divini Spiritus, cujus præsentiam Sacerdotum toto Orbe præfidentium congregatio testaretur; sed in invicto robore traditionis ejus, quam communis consensus declararet. Quæ si præsidia defuissent, quivis cœtus humanus eò posset esse perturbator, quò copiosior. Quare firmioribus subsidiis nixi communem traditionem communi Decreto asserendam putabant.

Matt. xxviii. 20. Ep. Cælest. a. II. Conc. Eph. Tom. III. Conc. P. 614.

Anon. &c. lib. VII. c. XIV. n. 7. Idem Anonymus docet convocari Concilia, quod frequenter non de dogmate ipso, sed de personis ferendum est iudicium: cui rei congruant multorum suffragia, & Senatorum numerus, & Senatus dignitas: scilicet, ne qua supersit injustitiæ, vel obreptionis suspicio. Addit, circa dogma ipsum, quantumvis certum sit, aliqua interdum utendum esse œconomia, ut libentius recipiatur. Quæ quatenus adhibenda sit, in plurimorum cœtu facilius agnoscitur. Quorsum ista? Certè non agebatur de personis iudicandis, neque de ea œconomia, qua Papæ decreta libentius reciperentur, ac suavius in animos influerent; non hæc, inquam, agebantur, cum de ipsis Pontificiis decretis quæreretur, an Patrum doctrinæ congruerent, an non; ut in Conciliis ubique factum legimus.

Vid. sup. lib. VII. c. XI. & seq. xvii. XXI. &c.

Bell. loc. sup. cit. Quod autem Bellarminus ait; congregationem Sacerdotum CHRISTI eò esse comparatam, ut Papam dicturum audiant, neque quis ignorantiam decreti prætexat; primum quidem inutile est, cum aliis modis ita sententiæ promulgentur, ut nemo ignorantiam prætexere possit; tum verò Patribus contumeliosum est, ut toto Orbe convocati, tanto quidem labore, ac nullo interim necessario officio, Ecclesias suas deserant.

Neque si Pontifex est infallibilis, meritò Episcopi conquerantur, ut ait Bellarminus, se non esse vocatos; nam post infallibile iudicium, inventa veritate, nullus jam querelæ, sed gratulationi locus. Quis enim conqueratur expeditiore via quæsitam veritatem; neque fatigari Orbem Christianum, ad id investigandum, quod ab unius sententia pendeat?

Ibid.

Jam quod ultimo loco ait Bellarminus: *Alios apertè dicturos, Pontificem errare potuisse*; rem quidem omnem conficit. Rogo enim verène illud dicturi



uri sint ? Nostra ergò sententia vicit . An falso , & quidem , teste Bellarmino , ea falsitate , quæ sit *hæresi proxima* ? Cohibendi ergò non audiendi , qui hæc apertè jactarent . Ac si propterea tot Synodi convocandæ erant , quod multi *apertè* dicant , Pontificem *errare potuisse* ; cum à primis temporibus Synodi convocatæ sint , erant profectò tùm , qui id *apertè* dicerent . Quis verò eos coercuit ? Quis docentes reprehendit ? Quis vel suspectos habuit , aut schismaticos , aut malè de fide sentientes ? Quis verò unquam dixerit , hæresi esse proximum , quòd *apertè* toties , & a tot sæculis in Ecclesia prædicatum , & à nullo reprehensum ad nos devenit ?

Certè Cyprianum Stephano reluctatum , vel eo nomine Bellarminus ab *hæresi excusatum* voluit : *Quòd nec modò consentur manifestè hæretici , qui dicunt Pontificem posse errare* . Alias rationes purgandi Cypriani ab Augustino accepimus , suoque loco proferemus . Valeat interim hæc quoque à Bellarmino prolata excusatio ; Cyprianum in Parisiensem fuisse sententia . Cur ergò Cypriano , schismaticam , erroneam , hæresi proximum ( si quidem Bellarmino credimus ) sectanti sententiam , Romani Pontifices perpercerunt ? An viri dignitatem reveriti , cum ejus de rebaptizatione doctrinam tam apertè damnarent ? Cur verò hanc multo pejorem , si quidem adversariis fidem adhibeamus , immunem relinquebant , futurisque schismatibus aperiebant viam ? An illa de Pontifice errante sententia tunc libera erat , proscripta est autem postea ? Quo Canone ? Qua Synodo ? Florentina scilicet , aut Lateranensi ultima , aut certè Lugdunensi ? Negamus ; pernegamus ; temèrè id asseri ex actis demonstramus . Cur autem antea-  
*Bell. ib. de R. P. lib. IV. c. VII. Vid. diff. præv. n. LXVII. & seq.*  
*Vid. sup. lib. VI. c. XVIII.*  
 etis temporibus Ecclesia tacuisset ? Cur non Cypriano , totique Synodo Africanæ ; cur non Firmiliano , ejusque Collegis cum Cypriano conjunctis palam denunciabant , haud licuisse illis ab infallibili Papæ judicio discedere ? Cur non idem significabant sibi conjunctissimo Augustino illos excusanti , eo tantum nomine , quod res nondum erat Concilii generalis auctoritate decisa ? Malè profectò veritati , malè publicæ salutis , malè unitati consultum est , si errorem periculosissimum , de Papa infallibili , quo totum Ecclesiæ statum convelli putant , viri quidem sanctissimi , primis sæculis docuissent ; eum verò Ecclesia vix postremis sæculis coerceret .











# DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI,

DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

---

## LIBER NONUS

De quæstionibus præsertim fidei, extra Concilia generalia,  
per consensum Ecclesiæ definitis.

---

### CAPUT I.

*Consensionis universalis vis & auctoritas ante omne iudicium Ecclesiasticum : multo major, cum Romani Pontificis decreta, nullo reclamante, obtinent.*



Uid gestum sit in Synodis œcumenicis, maximè ad dijudicandas fidei quæstiones, Synodica hætenus acta docuerunt. Nunc quomodo sine Synodis œcumenicis subortæ quæstiones terminari potuerint, eadem quam secuti sumus traditione Patrum faciliè expediemus.

Et quidem nostri Censores ed maximè se efferunt, quod multæ hæreses, sine Concilii universalis examine, sola Romani Pontificis auctoritate damnatæ, summam ejus & ineluctabilem auctoritatem probent; qui nec illud advertunt, multas hæreses, ut sine Conciliis œcumenicis, ita sine speciali Romani Pontificis definitione damnatas atque extinctas fuisse. Locus Au-



Aug. lib. IV. ad Bonif. c. XII. n. 34. Tom. 2. p. 492. gustini in eam rem clarus ac notus : *Nunquid congregatione Synodi opus erat , ut aperta perniciēs damnaretur ; quasi nulla hæresis aliquando , nisi Synodi congregatione damnata sit : cū potius rarissimæ inveniantur , propter quas damnandas necessitas talis extiterit ; multoque sint atque incomparabiliter plures, QUÆ UBI EXTITERUNT , ILLIC IMPROBARI , DAMNARIQUE MERUERUNT ; atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt .* Perpendant illud : *ubi extiterunt , illic &c.* atque illud , *inde devitandæ &c.* nulla gravioris à Romana Sede censuræ mentione . Neque enim Ecclesiæ talem sententiam expectarunt , ut Manichæos ( a ) , Ophitas , Collyridianas illas , Tertullianistas , aliasve sive manifestè impias , sive obscuras levesque sectas , per loca excitatas , aut horrerent , aut contemnerent : neque dignæ sunt habitæ propter quas Romani se Pontifices commoverent . Ergo ne singulares Ecclesiæ , à quibus statim rejectæ , aut etiam oppressæ sunt , ineluctabili auctoritate gaudebant ? Minime : sed profectò sic habet : semel constituto hoc certo dogmate , vim illam ultimam & ineluctabilem unitate & consensione constare ; id quoque valere quocunque modo se illa consensio declaraverit , sive Concilia congregentur , sive non congregentur .

Scilicet Divino numine constitutus Petri successor Romanus Pontifex , Episcopalis Collegii , totiusque Catholicæ communionis Princeps , ubi res tanta est , atque ipsi videtur ejusdem Ecclesiæ tuba factus , fratrum omnium & coepiscoporum sensum , in eoque communem omnium Ecclesiarum Traditionem , ab Apostolica Sede annunciat illis , qui longè sunt , & illis qui sunt propè ; quo planè ritu Petrus , rogante Domino Apostolos : *Quem vos me esse dicitis ?* Unus pro omnibus respondit : *Tu es CHRISTUS , filius Dei vivi .*

Matt. XVI. 15. 16. Ep. Syn. Episc. Gall. ad Leo. T. stola quondam Gllicani Patres ; tū sit illa consensio , quæ judiciis Pontificiis firmum & indeclinabile robur conciliet .  
1319. & int. Quod autem Nicolaus Dubois alique , hujus consensus publica instrumenta quærunt , Nunciosque ac literas ad eum explorandum ubique dimissas , atque immentos labores sumptusque cogitant ; næ illi vani sunt . Quis enim nesciat , id quod jam à nobis dictum est , ut in omnibus Regnis , ita in  
III. c. II.

[ a ] *Manichæos &c.* ] Omnibus notum est qui fuerint Manichæi , & quem errorem impium juxta & insanum duorum principiorum invexerint . Ophitæ illi dicebantur , qui ex Sectis Nicolaitarum & Gnosticorum oriundi , serpentem divino cultu venerabantur . Collyridiani IV. sæculo prodierunt . Illi Beatæ Virginis Sacerdotes constituerunt quasdam mulieres , quibus solis jus esset offerendi DEÆ VIRGINI placentas . Nam cū beatam Virginem plus æquo colerent , eò demum devenerunt , ut illam Deam adorarent . Vid. Epiph. Her. LXXVII. LXXVIII. Nemo est qui nesciat Tertullianistas , & magnum illum virum Tertullianum , tot rebus bene gestis adversus Paganos , tot viris adversus hæreticos nobilem , ab Ecclesia ad Montani partes descivisse , hujus atque etiam Priscillæ & Maximillæ infanientium Prophetissarum deliramenta defendisse ; quippe Montanum credidit fuisse Paraclerum à Deo missum , eò ut Ecclesiam , à Christo inchoatam tantum , ille perficeret . Deinde Montanistarum Sectæ defector Tertullianus , ipse hæreseos caput fuit , quæ ejus nomine *Tertulliana* dicta est . Vid. vit. Tertull. ap. D. de Till.



in Regno CHRISTI, id valere vel maximè, quod nullo instrumento consignatum, populorum omnium usu sensuque constet? Sic in successione omnium per Orbem Principum suæ leges: apud nos Salica, aliæ apud alios, ipsa Populorum consensione obtinent; irritique essent, qui earum legum pecularia instrumenta reposcerent. Sic ipsum jus gentium, sic illa de bello ac pace deque Legatis sacro-sanctis jura, aliæque id genus, nullo alio instrumento, quàm publica generis humani voce vigent.

Neque verò Ecclesia sub Rege CHRISTO pejore loco erit, quàm Regna terrarum, Resque publicæ omnes, ubi tot tantisque in rebus eminet vigerque nullo instrumento testata consensio: quæ profectò in Ecclesia eò magis viger, quò est ejus per Spiritum magistrum veritatis firmitus atque arctius nexa compages. Et quidem cum Augustinus, cum Vincentius Lirinensis, cum alii omnes Patres, Hæreticis ac Schismaticis communem universalis Ecclesiæ fidem; cum consuetudines, cum dogmata toto Catholico Orbe vigentia toties objecerunt; quis ab eis poposcit, quos misissent Nuncios, quas accepissent literas, aut quæ consensionis ejus, quam legis instar haberi volebant, instrumenta proferrent? Nempè hæc nostro ævo deliria servabantur.

Sunt enim profectò quædam tam clara, tam aperta, ut ea pernegare ne contumaces quidem audeant. Est quædam Ecclesiæ Catholicæ vox, quæ quocumque locorum diffunditur, quam etiam ante omnem dictam sententiam Catholici audiunt, novatores contremiscunt. Quantò magis, cum prolatum judicium ab altissima Petri Sede, ad omnes perlabitur Ecclesiæ.

Definant igitur sibi & nobis illudere, agnoscantque consensum illum, quem Galli cum tota Ecclesia prædicant, cum prolata à Romanis Pontificibus dogmata, reclamante nullo, ipsa traditionis vi, ipsa ut ille dicebat, *consanguinitate doctrinæ*, in corpus Ecclesiæ coalescunt.

Tertull.  
de Præscr.  
hæret.cap.  
xxxii. ed.  
Prior. pag.  
213.

## C A P U T I I.

*Locus AUGUSTINI de Pelagianis CAUSA FINITA EST: quænam illæ causæ sint, quæ sine Synodis finitæ intelligantur: duo Actorum loci comparantur: causæ Pelagianæ status ex Augustino: sufficiens judicium eidem Augustino quid sit: Capreoli Carthaginiensis locus: Concilii Ephesini de Pelagianis decretum.*

**H**Anc verò communem & pervulgatam esse controversiarum finiendam viam, qui non intelligit, eum pacis inimicum, & omnis Ecclesiasticæ rei imperitum esse profiteor. Quare meritò Sanctus Augustinus de Causa Pelagiana loquens hæc prædicat: *Jam enim de hac causa duo Concilia \* missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt; causa finita est.* Rectè atque omnino ex Ecclesiastica disciplina. Neque enim quavis suborta quæstione sollicitandus Orbis terrarum, aut generalia Concilia statim convocanda sunt. Sed tantum ex certa causa, si graves per Orbem diffusiones oriantur, si aliter non videtur coalitura pax. Sic enim ab Aposto-

August.  
serm.cxxxi.  
de verb. E-  
vang. Jo.  
al. II. de  
verb.Apost.  
c.x.n. 10.  
T.v.p. 645.  
\* Cartha-  
ginense  
nempè &  
Milevita-  
num.



Act. xv. 2.

Ib. 1. 15.  
16.

licis usque temporibus factitatum esse probavimus. Enim verò primum illud Apostolicum Concilium in Apostolorum actis non ex eo præcisè collectum vidimus, quod suborta esset quæstio, sed post ipsam quæstionem, *facta seditione non minima*. Hinc ad sedandas turbas collecta Synodus, & expresse omnium quæsitæ sententia est, extititque illud ex communi consensione decretum, cui jam omnes pii acquiescerent. At ubi nulla erat contentio similis. *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: viri fratres oportet impleri Scripturam*: de Juda traditore scilicet, & in ejus locum alio eligendo: quæ cum omnibus manifesta visa essent, & locus Scripturæ luce ipsa clarior, nullius postea exquisita sententia est, sed in Petri sententiam, vel ipso silentio, omnes abiire; atque uti dixerat, ita sunt executi: quæ deinde ad nos, & ad secutam ætatem manasse vidimus; nempe ut suborta quæstione, Petrus omnium Princeps eloquatur: Petrus, inquam, ille, Petrive successor, cui totus grex creditus; quo cum communicant omnes Ecclesiæ, quique adeò conscius communis traditionis, communi eam nomine ab alto depromit, ac pro potestate læsam veritatem vindicat. Hanc si omnes recognoscant, tum in Petri decreto communem omnium, totiusque Ecclesiæ sententiam venerantur: sin autem oriantur *graves seditiones*, fratresque inter se, maximè verò Episcopi atque Ecclesiæ collidantur; tum verò recurratur ad commune Concilium; & communis fides communi & expressa Apostolorum sententia, Spiritu Sancto auctore, declaretur: quo certè in cœru, pro officii sui amplitudine, sit Princeps ipse Petrus; cæterum communi sententia judicium proferatur.

Aug. loc.  
mox, cit.

Quæ non eò dixerim, ut in omni quæstione, statim ac primo loco, Petri successor, longè licet positus, ab extremo Orbe sit interpellandus, interim alii Episcopi, quorum in Ecclesiis suborta sit quæstio, conticescant, utque ipsa mora hæresis invalescat. Non ita sancti Patres, quorum acta perlegimus. Habent enim Episcopi omnes à Christo, ut docendi Cathedram, ita virgam coercendi & ligandi auctoritatem. Sed cum judicant, ad Petrum referant; vel si omittant officium, aut tanta persona sit, quæ facilè coerceri non possit, aut alia ejusmodi causa subsit, ultrò Petrus insurgat, suoque ac nativo cursu ab eminentissima Sede, per pacatam Ecclesiam feratur veritas: *Causa finita est*, teste Augustino, nihilque addendum ultra, nisi quod ipse subdit: *Utinam aliquandò finiatur error*.

Id. de  
Bapt. cont.  
Donat. lib.  
II. c. IV. n.  
5. T. IX.  
p. 98. vid.  
sup. Diff.  
præv. n.  
lxxi. & seq.

Neque enim aut Petri sede sedes ulla est altior, quò quæstio deferatur; aut verò Petro major ullus Apostolus; aut ullum erectum est tribunal augustius, quod quidem ordinariè consistat in Ecclesia. Nam Synodus œcumenica non assiduè sedet, nec nisi ex causa, eaque rarissima; neque ulla lex jubet, ullave consuetudo, ut ad eam referantur quæcumque quæstiones, de magna quamvis re; sed de re obscura ancipiti quæ, ac magnis altercationum nebulis involuta, uti Augustinum ipsum exponentem audivimus, ac sæpè audiemus. Nempe si talis nulla causa adit, *causa finita est*: hæc nativa, hæc communis, hæc pervulgata via est. Cæterum ex certâ causa, subortis dissensionibus, alia extra ordinem, legitima tamen atque solennia quærenda sunt; Concilii scilicet generalis auctoritas.

Id nos Ecclesiastica gesta docuerunt. Sic enim profectò adversus Nestorium



rium, executore Cyrillo, Cælestini sententia secundum canones valitura erat, nisi graves postea motus extitissent. Ubi commotus est Oriens, scissæque sunt Ecclesiæ, convocatur Synodus \* ; nil repugnante Cælestino ; \*Ephesina. Sup. Lib. VII. c. IX. & seq. \*\* C. P.

Sic paulo post, in ipsis Eutychianæ hæreseos initiis, sanctus Flavianus \*\* ad sanctum Leonem scribebat, nil Concilio opus esse, sed sola sancti Pontificis sententia. Ipse etiam Leo ad Imperatorem : *Causam tam evidentem esse, ut meritò à Concilio fuisset abstinendum*. Non enim magnam causam negabat esse : imò verò maximam agnoscebat, de duabus scilicet in Christo naturis ; sed tamen *evidentem* nullique adhuc, ut Augustini verbis utar, *altercationum nebulis involutam* : quare absque Concilio facile transigendam, atque omnino Leonis decreto finiendam, si omnes Ecclesiæ consensissent.

Hinc sancti Augustini verbis de causa Pelagiana indubia fides : *Ad sedem Apostolicam duo Concilia missa sunt, rescripta venerunt, causa finita est* : ipso scilicet Episcopalis Ordinis, totiusque Ecclesiæ cum Apostolica sede consensu manifesto. Neque enim, ut idem Augustinus ait : *Congregatione Synodi* ( universalis utique ) *opus erat, ut aperta perniciès damnaretur*. Vide quàm diligenter dictum : *aperta perniciès* : id namque est quod postea, à Leone dicebatur, *tam evidentem causam* \* *esse, ut meritò à Synodo abstinendum videretur*. Sic ubique sibi consentit Ecclesia. Pergit porro Augustinus : *Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnanda sit ; cùm potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit*. Cur autem Pelagiani non eam Ecclesiæ necessitatem inferrent, eorum paucitas faciebat, quorum scilicet, eodem Augustino teste, *profanas novitates, Catholicæ aures, quæ ubique sunt, horruerunt*. Augustinus eos propter paucitatem, Maximianistis, exiguo ac vili Donatistarum frustulo comparabat. Quin ipse Julianus confcius paucitatis, hæc jactabat passim : *Multitudinem nihil prodesse cæcorum ; honorandam paucitatem, quam ratio, eruditio, libertasque sublimat*. Sed elegantem licet vaniloquentiam orthodoxi aspernabantur, nempe toto Orbe prædicabatur vera fides ; in angulo Orbis, quatuor vel quinque Episcopi susurrabant, sive allatrabant. At propter eos, *Orbem Catholicum commoveri*, quamquam eam *captabant gloriam*, Augustinus non ferebat : & Sanctus Flavianus eodem spiritu, Eutychianorum initiis Synodum universalem denegabat, ne sanctæ Ecclesiæ turbarentur.

Hinc illud beati Augustini ad Pelagianos : † *Quamvis dederit vobis Ecclesia Catholica judicium, QUALE DEBUI*, ubi *causa vestra finita est, &c.* Audin ? *judicium quale debuit*, tantæ scilicet paucitati, & in *aperta perniciès*, ut supra vidimus. Quo etiam spectat illud ab eodem Augustino proditum : non jam audiendos eos \* post factum illis COMPETENS SUFFICIENSQUE judicium. Quid sit autem illud *sufficiens judicium*, ex rerum motibus pendet. Nempè Cælestinus, Cyrillus, Flavianus, Leo adversus Nestorium & Eutycherem,

in

† Aug. lib. III. cont. Jul. c. 1. n. 5. p. 555.

\* Id. ad Bonif. loc. jam. cit.



in ipsis initiis *sufficiens* putabant Sedis Apostolicæ judicium; sed quod ex se *sufficiens* videbatur, id gliscentibus odiis, & in grave schisma erupturis, jam non est *sufficiens*; collectâque universali Synodo opus fuit. Non ita res se habebant adversus Pelagianos; sed datum à Synodis Africanis, Sede Apostolica comprobante, judicium *sufficiens* fuit; quia totius Orbis consensus accessit. Sic conveniunt omnia, & Ecclesiastici regiminis forma, magis magisque illucescit.

Hinc etiam patet, quam benè conveniat Gallis cum Beato Augustino, atque Africanis Patribus. Nempe Africani Patres agnoscebant in condemnandis Pelagianis eminere debuisse Sedis Apostolicæ auctoritatem, à San-

Vid. Aug. pass. & ep. Conc. Cart. ii. cont. Pelag. an. 416. T. ii. Conc. P. 1533. & seq. *cessorum à CHRISTO institutum; quo jure in decidendis fidei questionibus primas esse Romani Pontificis partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere docent.* Jam illud quod subdunt; *illud irreformabilis judicii robur, in Ecclesiæ Catholicæ consensu esse repositum, haud minus*

Declar. ab Africanis Patribus acceperunt. Nempe Augustinus ideo à Pelagianis frustra peti contendit universale Concilium, quod *in hoc fidei firmissimo & antiquissimo fundamento (b), ipsa toto Orbe diffusa à se non discrepat c. i. & iv. multitudo.* En in quo ineluctabilis judicii robur collocet; nempe in consensu Orbis, & quidem in eo consensu apparere vel maximè oportebat earum Ecclesiarum consensum, ad quas lues Pelagiana pervenerat. Unde Augustinus passim memorat, Pelagianam hæresim, à Romanæ Sedis Præfulibus, Innocentio, Zozimo, Cælestino, *cooperantibus Synodis Africanis toto Orbe damnatam*: Quo facto nulla amplius, etiam œcumenicæ Synodi inquisitio superesset.

Vid. diff. præv. num. lxxvi. & ep. Capr. int. act. Syn. Eph. T. III. P. 532. *Id verò Capreolus Carthaginensis proficitur in ea epistola alio loco memorata. Si quid, inquit, fortè novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur oportet. At verò si quis ea quæ jam olim dijudicata sunt, denuò ad disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censetur, quàm de fide, quæ hætenus vixit, dubitare.* Dogma Pelagianum jam ubique damnatum ad examen Synodi revocari vetat. At cur Nestorianum à Cælestino damnatum ei examini subjicit? Nempe quod nondum Nestorianos oppresserat ea, quam Capreolus adversus Pelagianos commendaverat, *Apostolica Sedis auctoritas, & sacerdotum omnium consonans sententia.*

Conc. Eph. act. v. relat. ad Cælest. P. 666. 667. *Quod autem postea in Ephesina Synodo generali Pelagianorum causa tractata est, nil omnino pertinet ad fidei questionem. Sic enim ea de re Ephesini Patres, absoluta Synodo, ad Cælestinum scribunt: Perlectis in sancta Synodo commentariorum actis, in depositione impiorum Pelagianorum & Cælestina-*

(b) *Fundamento*) Illud fundamentum in ea doctrina fidei erat positum, quam Julianus Pelagianus repudiabat: nempe per baptismum peccata remitti etiam parvulis, qui sic sunt filii Dei; quod dogma Augustinus acriter simul & invictè adversus Julianum defendit. Id enim, inquit, *divites & pauperes, excelsi atque infimi, docti & ignavi, maris & feminae noverunt . . . unde etiam matres, non ad Christum tantum; id est ad unum, sed ad Christum Jesum; id est etiam Salvatorem cum parvulis currunt.* Christus autem, ut passim docet idem Augustinus, parvulorum non esset salvator, si ipsi peccata non haberent, neque redemptor, si servi non essent. Vid. loc. cit. & lib. de Bapt. ad Marcell.



tianorum, quæ à pietate tua de ipsis constituta sunt judicavimus, & nos solida firmaque permanere debere, & omnes idem tecum statuimus, eos pro depositis habentes. De depositione agitur, quam per calumniam factam Julianus & alii jactitabant; perlectique sunt commentarii, sive ad gestorum fidem, sive ad qualemcumque inquisitionem, ne deinceps importuni homines Ecclesiam fatigarent. Hinc editi Ephesini Canones I. & IV., quibus Cælestiani pro depositis haberentur. Ita quibus nulla Synodus data esset, horum causa per Synodum alia occasione factam ad qualemcumque examen revocatur; sed ut obstinatis tolleretur etiam extremum illud, quod spem de Synodo hucusque gesserunt. Verba sunt Cælestini Ephesinam Synodum collaudantis. Sic post Ephesinum Concilium, præfactæ confidentiæ homines spem omnem recuperandæ Sedis amittere. Tanta Synodi auctoritas est! Cæterum de fide jam asserta quæsitum fuisse, neque gesta indicant, neque ea de re quisquam cogitavit; & quæstio Pelagiana quod ad fidem attinet, sine ullo œcumenicæ Synodi judicio, omnium Ecclesiarum consensione finita est.

Ib. act.  
vii. p. 804.  
805.

Ep. Cæ.  
Iest. ad Sy-  
nod. Ephes.  
part. III. c.  
xx. p. 1071.

## CAPUT III.

*Quæ causæ sine Synodo finire possint, quæ finire non possint, ex Sancto AUGUSTINO & quæstione rebaptizationis ostenditur.*

**A**lia verò causa est, quam Augustinus tractat, unde dictis nostris magna lux; certòque comperiemus quid sit illud Augustini: *Causa finita est*. Causam illam nobilem de rebaptizatione inter Sanctum Stephanum Papam, Sanctumque Cyprianum Carthaginensem Episcopum, utroque Martyres, intelligo: de qua controversia sic scribit Eusebius: *Primus omnium Cyprianus, non nisi per baptismum, ab errore prius munitus, admittendos censuit; verum Stephanus nihil adversus Traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè id tulit.*

Euseb.  
hist. Lib.  
VII. c. III.  
ed. Vales.

Constat sancti Stephani decretum his verbis editum: *nihil innovetur, nisi quod traditum est*; hoc est, præter id quod traditum est: vel *nisi quod traditum est*, esse innovandum; nempe ut *reversis ab hæresi, manus imponatur ad pœnitentiam*. Illam enim manus impositionem, non sanè baptismum ipsum innovari atque iterari posse, antiqua Traditio docebat.

Ep. Cypri.  
lxxiv. p.  
314. edit.  
Amstelod.  
1700.

Constat Cyprianum decreto obstitisse, quamvis Stephanus non tantum suavisset, sed etiam pro potestate egisset; neque solum Cyprianum, ad ista non consensisse, verum etiam contra scripsisse atque præcepisse. Verba Augustini sunt, auctoritatem Cathedræ demonstrantis. Quanta autem auctoritate Stephanus egerit, satis ostendunt illa Firmiliani: *Stephanus qui loci sui honore gloriatur, & Cathedram Petri tenere se dicit, super quem Ecclesia ædificata est* &c. Huc accedunt illa in Concilio Carthaginensi à Cypriano prolata verba, ne Stephani auctoritas aliquam Patribus necessitatem injecisse videretur: *Nemo enim inter nos Episcopum se Episcoporum contendit, aut tyrannico terrore cæteros adigit ab obsequio*. Quibus verbis Cyprianus non negat Stephani

Aug. de  
Bapt. cont.  
Donat. lib.  
v. c. xxii.  
n. 30. Tom.  
ix. p. 156.  
Ep. Firm.  
int. Cypri.  
LXXV. p.  
324.  
Conc.  
Carth. an.

Pri-



256. præf. Primatum à Petro profectum, quem ubique asserit; sed potestate abusum, apud Cyprianum in errorem deflexisse contendit, eoque nomine vehementissime reluctatur. p. 158. & Inde argumentum pro Parisiensium sententia alibi jam tractatum, sed hic T. I. conc. necessario repetendum. Quod sanctus Cyprianus hæreticos rebaptizavit, p. 786. omnes postea erroris arguerunt; quod Stephanum Papam docentem Episcopos ac de fide præcipientem, errare potuisse crediderit, nemo succensuit; LXVII. & ergo quantum illa de rebaptizatione sententia culpabilis, tantum hæc de seq. Romano Pontifice culpa vacat. Quid quod Augustinus aperte excusandum putavit Cyprianum, qui errasset, antequam obscura quæstio tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perdu-

Aug. de Bapt. cont. Donat. lib. II. c. iv. n. 5. T. IX. p. 98. Ibid. *Ita est.* Ergo existimabat ad captivandum intellectum, Stephani Papæ decretum, atque auctoritatem non fuisse solam. Quin ipse Augustinus veræ de hæreticorum baptismi doctrinæ assertor egregius, quod ad auctoritatem Pontificii decreti attinet, Cypriani sententiam aperte sequitur: *Neque nos, inquit, tale aliquid auderemus asserere, quale Stephanus iussit, nisi Ecclesiæ Catholicæ concordissimæ auctoritate firmati: cui & ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si jam illo tempore veritas eliquata per plenarium Concilium solidaretur.* Cui auctoritati Cyprianus ex certissima fide cessurus fuisset; cui Augustinus ipse in re obscura cederet verba demonstrant: *nempe Ecclesiæ Catholicæ concordissimæ auctoritati, Concilio plenario, ex Orbe Christiano, ut semper inculcat, vel ut idem loquitur, sancto Concilio cunctarum gentium.* Ad id provocat post ipsum Pontificale decretum, in eoque acquiescit.

En ergo quod sit illud: *Causa finita est.* Finita quidem est, ubi aperta quæstio est, & ubique consensus, ut in Pelagiana causa vidimus; finita verò non est, magnis altercationum nebulis involuta.

## CAPUT IV.

*Sancti STEPHANI Papæ contra rebaptizationem decretum, tota Sedis Apostolicæ auctoritate factum, & tamen Concilii generalis sententiam merito expectatam: sancti AUGUSTINI loci.*

Bell. de R.P.L. IV. c. VII. **H**ic censores nostri oppidò conturbati, in partes se scindunt. Respondet Bellarminus, excusatum Cyprianum, quia Pontifex noluit rem de fide facere sine generali Concilio. Et tamen pro Cathedræ auctoritate præcepit, & decretum condidit, & ad omnes misit Ecclesias; eaque res erat, ut aliud sentientes abstinendos putaret. Diserte Augustinus: *Putaverat abstinendos, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur.* Ac si postea se repressit, non idè intelligitur mutasse sententiam; sed executionem prudentia temperasse, aut in aliud tempus distulisse. Hoc quidem non privati Doctoris officium est.

Aug. de Bapt. cont. Donat. lib. II. c. xxv. n. 36 p. 158. *Cæterum de abstinendo exiisse decretum illa indicant, quibus Cypriani Legatos (c) Romæ à Sancto Papa Stephano, non modò hospitio fratrum,*

*sed (scilicet Legatos) Cypriani Firmilianus dicit sic à Stephano susceptos fuisse, ut eos nec ad ser-*



sed etiam omni Ecclesiæ recto submotus Firmilianus testatur . Lupus ipse sic scribit : *Sanctum*, inquit, *Firmilianum Cesareensem in Cappadocia Archiepiscopum Ponticæ Diæceseos Primatem*, *Sanctus Stephanus Pontifex communione suspendit*. Idem Lupus Sancti Stephani rescriptum, *summa & irrefragabili Sedis Apostolicæ auctoritate* editum esse contendit .

Sed age ut vis ; quavis distinctiuncula causam istam , quasi in scholastico pulvere tueare . Certè Augustinus . non id quod tu profers , Cypriano excusationi obtendebat ; non ad aliud majus aut luculentius Papæ judicium provocabat : Concilii generalis , totiusque Ecclesiæ Catholicæ appellabat fidem ; in ea auctoritate fidei certitudinem reponebat . Hic hæreant necesse est , vel alia excogitent .

## CAPUT V.

*Non tantum pertinaces , sed Sancti post Papæ decretum , aliud quid desiderant .*

**E**T quidem Augustinus , atque , Augustino interprete , Cyprianus , ab universali Concilio , non elucidationem obscuræ quæstionis expectabant tantum , quamquam & illam quoque , sed auctoritatem ac robur . Undè illud : *Res ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta est* ; & illud : *Potentior veritas de unitate veniens* ; & illud : Cypriani sententiam *Catholicus Orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit* . En quam auctoritatem , post Papæ decretum , non hæretici & pertinaces , sed Sancti Sacerdotes Cyprianus & Augustinus expectent .

Quod autem auctor anonymus Cypriano tribuit , tolerari omninò non potest : nempe ut quoniam sanctus Martyr dixit , se non ab altero , sed tantum à Christo judicari posse , idè existimarit se ab omni non modò Romani Pontificis , sed etiam Concilii œcumenici correptione immunem , quod si Cyprianus sensisset , inexcusabilis proterviæ reus esset . ( d ) Hæc ergò

monem colloquii communis admitteret , adhuc insuper ... præciperet ne quis eos in domum suam recipere , ades ut pacificè venientibus , non solum pax & communio , sed & testum & hospitium negaretur . Vid. epist. Firmil. loc. cit.

[ d ] Inexcusabilis proterviæ reus esset . ] Cypriani locum à D. CHARLAS pessimè obiectum Augustinus bis recenset : 1. Lib. II. de bapt. cont. Donat. cap. III. Tom. IX. p. 94. & continuo addit : *Nunc se , si audent , superba & tumida cervices hæreticorum adversus sanctam humilitatem hujus sermonis extollant* ; ut Augustinus sanctam humilitatem Cypriani admiretur in iis verbis , in quibus Charlas inexcusabilem proterviam reprehendit . 2. Augustinus ibid. Lib. III. cap. 3. n. 5. p. 110. eadem Cypriani verba sic interpretatur : *Opinor utique in his quæstionibus , quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt* ; quo significat , Episcopum ab alio Episcopo judicari non posse , de obscuris quæstionibus quæ nondum discussæ fuerint ; proindeque non potuisse cogi Cyprianum sub excommunicationis metu , cum Stephano consentire in obscura illa re-baptizationis quæstione . Hæc igitur sentit Cyprianus , teste Augustino , qui profectò sancti Martyris animum & mores melius perspectos habuit , quam novissimus ille tam egregii Doctoris insectator . Et quanquam Cyprianum Augustinus non ita interpretaretur , ipsius Cypriani libri satis nobis essent ad propulsandam D. CHARLAS calumniam .

Ex



ad certos casus extraordinarios redigenda; neque cum ab aliò se judicari posse negat, existimandum est, ea voce, *alio*, Ecclesiæ Catholicæ aut etiam Concilii generalis excludi auctoritatem. Certè Augustinus ei auctoritati cessurum Cyprianum docet; atque in hac quæstione, non alteri auctoritati cedentem, non modò ipse probat, sed etiam imitatur.

## CAPUT VI.

*Quæstionem rebaptizationis à Cypriano & affectis inter adiaphora non fuisse repositam.*

Doct. Lov.  
p. 56.

**A**Uctor libelli de *Doctrina Lovaniensium* aliter expedire se conatur: nempe ait, Cyprianum, Firmilianum, aliosque sequaces Episcopos, persuasos fuisse quòd Stephani rescriptum non fuerat iudicium definitivum, eò quòd rem illam haberent pro adiaphora. Atque iterum: Hoc sibi voluerunt Cyprianus, Firmilianus & alii, Helenus, Dionysius, Augustinus, qui affirmant, Stephanum non de dogmate, sed de aliarum gentium moribus & factis iudicasse: potuisse illic labi, ideòque ejus usque ad Synodum Nicænam iudicio impune atque innoxie non fuisse obeditum.

Hæcine à doctis viris proferri potuisse? Habebant hæc Cyprianus, Firmilianus & eorum sequaces pro adiaphoris atque indifferentibus; nempe cum, factò Concilio LXXXVII. Episcoporum, pro sententia hæc dicerent: Episcopus quidem ordine tertius: *Qui hæreticorum baptismi probant, nostrum evacuant*: Octavus decimus: *Secundo baptismo* (in Ecclesia dato scilicet) *qui non fuerit baptizatus, Regno Cælorum fiet alienus*: Vigésimus: *Qui hæreticorum baptismi probat, quid aliud quam hæreticis communicat*? Vigésimus primus: *Quot sint baptismi, viderint aut præsumptores, aut fautores hæreticorum*. Nos unum baptismi, quod non nisi in Ecclesia datum novimus, Ecclesiæ vindicamus: Vigésimus tertius: *Si non obtemperat error veritati, multò magis veritas non consentit errori*: Quadragésimus septimus: *Me non movet, si aliquis Ecclesiæ fidem & veritatem non vindicat, quando Apostolus dicat, QUID ENIM SI EXCIDERUNT*

Rom. III.

2. 3.

Conc.

Carth. pag.

155. loc. cit.

Ibid.

**A FIDE QUIDAM ILLORUM?** Quinquagesimus octavus: *Non sibi blandiantur qui hæreticis patrocinantur: qui pro hæretico Ecclesiastico baptismo intercedit, illos Christianos & nos hæreticos facit*: Sexagesimus primus: *Qui hæreticis Ecclesiæ baptismi concedit & prodat, quid aliud sponsæ Christi quam Judæi exiit*? Sic eam quæstionem inter indifferentia reponebant.

Huc accedit, quod suam sententiam non humanis ratiociniis, sed divinis

Ex his virum cognoscimus natura lenem, ingenio facilem, Christiana humilitate ab omni arrogantia remotissimum, qui passim doceat in Ecclesia ad unitatem omnia referri oportere, ut ab unitate omnes quæstiones dissolvantur & resolvantur: quo posito, sequitur Episcopus, qui sacre doctrinæ adve facietur, ab unitate judicari semper posse & corrigi. Interea mirama in ipsa ubi Roma typis mandari tales sanctorum Patrum contumelias, & D. Cyprianum, hominem cum doctrina & sanctitate, tum maxime mira modestia spectatissimum, ab eo D. CHARLES inexcusabilis protervia reum accusari.



vinis testimoniis muniebant. Legant Cyprianum quicumque dubitaverint; audiant Episcopos in Concilio Carthagenensi ita decernentes: Quintum: Baptisma, quod dant hæretici & schismatici, non esse verum, ubique in Scripturis Sanctis declaratum est; & secundum Scripturarum Sanctarum auctoritatem decerno, hæreticos omnes baptizandos: Octavum: Lectis literis Cypriani dilectissimi nostri, quæ tantum in se sanctorum testimoniorum descendunt ex Scripturis deificis continent, ut merito omnes per Dei gratiam adunati consentire debeamus; censeo omnes hæreticos & schismaticos, qui ad Ecclesiam Catholicam venire voluerint, non ante ingredi, nisi exorcizati & baptizati fuerint. Quare cum errorem damnant, cum veritatem inculcant, non nisi veritatem in Scripturis revelatam, nec nisi errorem in Scripturis damnatum intelligi volunt, qui hæc pro adiaphoris habere dicuntur.

Ib. p. 159.

Ib. p. 160.

## CAPUT VII.

*An AUGUSTINUS alique Patres, eam questionem inter adiaphora habuerint.*

Quod autem idem auctor etiam Augustinum recenset inter eos qui hæc pro adiaphoris habuerint, quis crederet ab homine in Augustini lectione versato dici potuisse? Nempe Augustinus hæc ubique proficitur: Cyprianum quidem in errore fuisse, sed ideo excusatum, quod res nondum fuisset Concilii generalis totiusque Ecclesiæ Catholicæ auctoritate firmata. Non ille ad hæc levia & falsa confugit: Stephanum noluisse rem de fide facere, aut in disciplinæ factique questione labi potuisse; sed errasse Cyprianum, atque id vel postea correxisse in regula veritatis; quod suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt: vel hunc nævum candidissimi pectoris cooperuisse ubere charitatis, ac passionis falce purgasse; & nunc aliud quam hic senserat videre; in æterna illa luce veritatis, ubi certissime cernit quod hic pacatissime requirebat. Quæ planè demonstrant, non adiaphoram ac variabilem disciplinam, sed à Deo revelatam, certissimam & inconcussam veritatem.

Nempe hanc veritatem Augustinus tuebatur: Verba Christi, quibus baptismus consecratur, tantæ esse virtutis, ut etiam inter hæreticos valeant: signum militum Christi etiam in desertoribus recognoscendum esse: Sacramenta Christi etiam inter hæreticos, non ipforum, sed Christi & Ecclesiæ esse: remedium vulneri, non sanitati adhibendum, adeoque corrigendum in hæreticis id quod pervertissent, nempe fidem; non id quod ab Ecclesia integrum abstulissent, nempe baptismum, hoc est, fidei Sacramentum. Hæc qui negarent, recurrere jubebat ad stateram Domini, ubi non ex humano sensu, sed ex divina auctoritate rerum momenta pensantur.

III. n. 12. T. II. p. 300. 302. & lib. IV. cont. Cresc. cap. XIII. n. 15. T. IX. pag. 492. & pass. Cont. epist. Parm. lib. 2. c. XIII. n. 29. 30. p. 45. 46. & Serm. ad pleb. Cæf. n. 2. p. 619. T. IX & pass. Lib. 1. de bapt. cont. Don. c. XIV. n. 22. p. 91. De unic. Bapt. c. III. n. 4. p. 528. Lib. II. de Bapt. cont. Donat. c. XIV. n. 19. p. 107.

Aug. de unic. Bapt. c. XIII. n. 22. p. 553. & pass. de Bapt. cont. Donat. & aliis lib. & ep. de hæ. Don. T. II. & IX. II. ep. ad Vinc. xciii. al. xlviii. n. 38. T. II. p. 246.

Lib. de unic. Bapt. c. XIII. n. 22. & alib. pass. Lib. V. de Bapt. cont. Donat. c. XVII. n. 23. p. 152.

Vid. ep. cv. al. clxyi. ad Don. c.

Et 492. & pass. T. IX & pass.



Et quidem permulta causæ munimenta promebat ex Scripturis: quòd  
 Ib. lib. IV. autem de baptismo hæreticorum nihil peculiariter scriptum esset, allega-  
 c. XXIV. n. bat cum Stephano Ecclesiæ consuetudinem, universalem illam quidem,  
 3e. p. 140. quæ per totam Ecclesiam ab ipsa origine propagata, non nisi ab Apo-  
 stolis tradita, meritò crederetur.

Neque verò aliud Stephanus prædicabat. Et quidem urgebat consuetu-  
 dinem, sed universalem, sed ab Apostolis constantissimo tenore ad nos us-  
 que deductam, quam liber anonymus apud Rigaltium Stephani tempore  
 adversus Cyprianum Cyprianique assecclas conscriptus, appellat *vetustissi-*  
 Int. op. *mam consuetudinem ac traditionem Ecclesiæ*; & addit: *Sit unusquisque no-*  
 Cypr. edit. *strum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate & necessaria hu-*  
 Prior. & Ri- *mitate*: Tum: *Dammari utique debet quod contra priscam & memorabilem*  
 galt. 1679. *cunctorum cœmeritorum Sanctorum & fidelium sollemnissimam observationem judi-*  
 post epist. *catur*; *sugillatque eos, qui errores & vitia universarum Ecclesiarum corre-*  
 LXXIV. p. *xisse se putent, ac monstri simile, Episcopos talia cogitare.*

Nec alio spiritu scribit Eusebius: qui antiquam traditionem à Cypria-  
 no primò mutaram agnoscit. Attestatur Hieronymus celebri illo loco:  
 Euseb. *Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos statuerant, ad antiquam con-*  
 hist. lib. vii. *suetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid facimus? Ita & nobis*  
 c. iii. edit. *Majores nostri, & illis sui tradidere Majores. Quin ipsa etiam flagrante*  
 Vales. *discordia, Cyprianus ejusque collegæ Africani, consuetudinem sibi adver-*  
 Hieron. *sari ultrò fatebantur. Id læpè Augustinus notat; & ipse Augustinus eam*  
 Dialog. ad *consuetudinem, universalem & robustam vocat, quam Stephanus tueretur;*  
 ver. Lucif. *& quidem, uti memoravimus, ab Apostolica traditione venientem, hac*  
 T. iv. part. *etiam data regula: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum,*  
 II. p. 303. *sed semper retentum est, non nisi ab Apostolis traditum rectissime creditur,*  
 304. *quòd assidue Sanctus Doctor inculcat.*  
 Aug. lib. *quòd assidue Sanctus Doctor inculcat.*  
 iv. loc. jam *cit.*

Hæc Augustini dicta, qui, Catholici licet, ad variabilis & adiapho-  
 ræ disciplinæ detorquent negotia; hi profecto improvidi, Ecclesiæ matri  
 firmissimas auctoritates de Dogmatis fidei, etiam traditione tutandis, extor-  
 quere conantur. Sed frustra sunt: instat enim Augustinus errorem esse id  
 quod Cyprianus tuebatur, nondum quidem ab Ecclesia declaratum satis,

sed interim errorem in æternitatis manifesta luce purgatum. Quin etiam  
 Ibid. lib. de Donatistis hæc habet: *Audent etiam rebaptizare Catholicos; ubi se am-*  
 v. c. 17. n. *plius hæreticos esse firmarunt. Jam ergò hæretici, idè quòd hæreticos;*  
 23. p. 151. *sed amplius hæretici, idè quòd etiam Catholicos rebaptizabant. Unde li-*  
 Id. de hæ- *bro adversus Cresconium ad Donatistas ait: Hæretici quidem estis, quod*  
 refib. hæref. *non tantum divisi, verum & in rebaptizando diversum sequimini. Idem do-*  
 lxxix. Tom. *cet adversus Petilianum & alibi semper.*  
 VIII. p. 21. *Notum illud Vincentii Lirinensis: Auctores ejusdem opinionis Catholici,*  
 Id. Lib. *consecratores verò hæretici judicantur: posteaquam scilicet pronuntiavit Ec-*  
 II. ad. Cresc. *clesia. Et antea quidem, eodem teste Lirinensi, res ad veram Ecclesiæ*  
 c. VII. n. 9. *do-*  
 p. 413. *do-*  
 Id. de u- *do-*  
 nic. Bapt. *do-*  
 cont. Petil. *do-*

c. II. n. 3. p. 528. & pass.  
 Vincent. *Lir. comm. 1. c. xl. T. VII. bibl. Pat. p. 250.*  
 Ib. c. ix. *x. xl. p. 251. 252.*



doctrinam pertinebat; sed nondum Ecclesiæ universalis iudicio declarata. Scribit enim de Agrippino, quem auctorem Cyprianus sequebatur: *Primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque instituta Majorum, rebaptizandum censebat. De Stephano verò: Intelligebat vir sanctus & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, QUA FIDE à Patribus suscepta forent, EADEM FIDE filiis consignarentur. Reliqua videant qui his victi non fuerint.*

Ib. c. IX.

## CAPUT VIII.

*Quid objiciant qui hæc referunt inter adiaphora: Firmiliani & Basilii locus.*

**Q**ui totam hanc quæstionem ad variantem per loca disciplinam revocari volunt, hæc objiciunt: primum, Firmilianum ita de rebaptizatione scribentem: *Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse* deinde Basilium Firmiliani successorem de rebaptizatione adhuc hæsitantem, post Nicænam quoque Synodum, à qua quæstionem terminatam fuisse plerique velint. Quid ergò? An Firmilianum causæ faventem suæ, Stephano, Eusebio, Hieronymo, Augustino, Vincentio Lirinensi, totique Ecclesiæ anteponent? Quid verò Basilus? Esto, quæstionem ad disciplinam variantem fortè revocaverit: nos quidem hic Cypriani & Augustini mentem quærimus.

Ep. Firm.  
ad Cypr.  
int. Cypr.  
LXXV. p.  
325.  
Vid. ep.  
Basil. ad  
Amphil.  
clxxxviii.  
T. III. Be-  
ned. p. 268.  
& seq.

Neque tamen Firmilianum mentitum dixerim, (e) cum ait, rebaptizationem in sua ac vicinis regionibus viguisse semper: facillè enim demonstraverim, ea quidem tempestate, iisque regionibus\* hæreticos fere omnes varia ac portentosa baptismata confinxisse. Nam quique suam hæresim,

\* Asiæ  
minoris.

quo  
(e) *Neque Firmilianum mentitum dixerim.* Verisimile est Firmilianum ed deceptum fuisse, quod de omnibus hæreticis intelligeret ea, quæ de multis tantum præca docebat traditio. Nam omni quidem tempore, etiam ante Concilium Nicænum, rebaptizabantur quicumque hæretici baptizati non fuerant eo ritu, qui ex præcepto CHRISTI ab Ecclesia diligentissime servatur. Sic Paulus baptizavit in nomine Domini Jesu eos Ephesios, qui tantum in Joannis baptismo baptizati fuerant. Act. XIX. 4. Quare Paulianistæ falso Pauli Samosatani tincti baptismo, à Nicæna Synodo iusti sunt rebaptizari. Can. XIX. Tom. II. Conc. p. 36. Deinde II. Synodus statuit de Arianis, apud quos hætenus servabatur à Christo institutus baptizandi ritus, eos non esse rebaptizandos, sed ungendos tantum sacro Chrismate, ut haberent signaculum Spiritus Sancti: contra rebaptizandos Eunomianos, Montanistas, qui dicebantur Phryges, Sabellianos, & alios, maxime eos qui ex Galatarum regione veniebant; quos nimirum Ecclesia ut Græcos admittebat, ed quod acceperant quidem baptismum suis hæresibus proprium, non autem baptismum CHRISTI: Conc. C. P. I. can. VII. ibid. p. 952. Porro Basilus, in prima sua ad Amphilocum epistola, docet hæreticorum sectas in Asia minori multas extitisse, quæ baptizandi ritum corruperant. Quapropter nemo miretur Firmilianum, qui à patribus suis acceperat, tot tamque varios hæreticos sine novo baptismum admitti non oportere, inde conclusisse: *Profanum esse baptismum, eo solo nomine quod ab hæreticis administraretur.*



quod magis baptizatorum animis adhæresceret, in baptismum intrudebant. Atque hinc Firmiliano & aliis erroris occasio, cum existimarent profanum baptismum, ac per se nullum, eo solo nomine, quod ab hæreticis administraretur, repudiatum esse.

Neque Basilium hætenus satis intellectum esse credimus. Hæc enim fuisse putamus, de quibus hæsitaret, non quidem, an valeret baptismus verbis Evangelicis consecratus; sed quinam hæretici eo ritu baptizarent; *Ib. Can. I.* quinam perverso ritu, & proprio quod ait *baptismate*, qui sanè propterea rebaptizandi essent. Hæc etiam suspensum habebant Basilium: ecquid credibile esset rectè baptizare eos, qui de Deo errarent, cum errores suos plerique, uti modò diximus, in ipsum baptismum ingererent? Quærebat anxie, quæ & quanta haberetur fides iis, qui dicerent se in Trinitatem baptizatos esse: nam aut oblivisci, aut certè hæsitare, aut etiam mentiri potuissent. Hinc illa verba Basilii Synodum optantis, uti decidatur: *Conc. A-* *An qui responderit, in responsione fide dignus habeatur*; quam ad *rel. an. 314.* quæstionem spectat Canon Arelatensis, quo legimus *interrogatos* qui ab *Can. VIII.* hæreticis venirent, *an in Patre, & Filio & Spiritu Sancto baptizati essent*; *T. I. Conc.* additumque: *Et qui interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur* *p. 1426.*

Hæc nos ad cumulum de Firmiliano & Basilio investiganda doctis, & confirmanda, (f) vel etiam, si placuerit, oppugnanda proponimus. Utcumque

(f) *Investiganda doctis & confirmanda* ) proponit D. BOSSUET ea quæ de Firmiliano & Basilio dixit. Non is ego sum, qui me in doctorum numerum aggregari posse putem. Sed quia jam de Firmiliano nonnulla annotavi, & causa Basilii ea est quæ non magno egeat defensore, hanc paucis hic defendam. PP. Bened. Basilium sic explicant in suis notis ad primam S. Doctoris epistolam canonicam, ut ille videatur cum Firmiliano & Cypriano, re quidem vera sensisse, quanquam ex aliqua parte eorum errorem correxerit. Ut intelligamus utrum ita res se habeat, attendendus est imprimis hujus epistolæ canon primus. In eo canone, Basilium, postquam hæresim à schismate distinxit, *hæreticorum baptismum rejicit, schismaticorum admittit*, & statim addit *uniuscujusque regionis morem sequi oportere*; quibus verbis admonere videtur Episcopos, ut inquirant quæ sectæ in suis regionibus hæreticæ sunt, quæ verò schismaticæ, ne, cum baptizandi sint soli hæretici, schismaticos etiam incautè rebaptizent; id est, investigandum esse Episcopis à quibus sectis servetur, à quibus non servetur verus baptizandi ritus. Nam illud observandum est, eos solos hic à Basilio inter hæreticos annumerari, qui baptismi ritum corruperant, eos verò inter schismaticos haberi, qui, quanquam ab Ecclesia impiis suis dogmatibus penitus descivissent, integrum tamen baptismi ritum servaverant. Cum autem sectæ variarent pro tempore & loco, & eadem secta quæ in una regione baptismi ritum corrumpebat, in aliis regionibus eum ritum integrum servaret, appositè dicit Basilium, *consuetudine utendum esse*. Cæterum multas sectas, eo quo dixi modo, variare solitas esse, probatur ex ipso Basilio, qui postquam rejecit baptismum Pepuzianorum, in Patrem & Filium & Montanum aut Priscillam baptizantium, addit *consuetudine utendum esse*. Profecto non nesciebat Basilium necessarium esse CHRISTI baptismum; & quantumvis vetusta esset prava alicujus regionis in admittendo tali baptismate consuetudo, ipse nunquam approbaret in Montanum aut Priscillam datum baptismum. Sciebat igitur non ubique immutatum fuisse à Pepuzianis baptizandi ritum; & idcirco consuetudine utendum esse. Idem Basilium, qui Encratitas baptizari vetat, nempe schismaticos, eos in eadem epistola, ac deinde in II. canonica rebaptizandos esse dicit. Nimirum ex Encratitis, alii servabant, alii corrumpebant baptizandi ritum. Idem esto judicium de multis aliis hæreticis, qui, quamvis ubique eodem nomine vocarentur, non habebant ubique eundem baptizandi ritum. Uno verbo, Basilium eos vocat hæreticos, qui baptismi ritum corruperant, & ideo in omnibus Ecclesiis rebaptizabantur, schismaticos autem, qui baptismi ritum servaverant, & ideo ab omnibus Ecclesiis



que est, stat illud immotum : Cyprianum, Augustinum, cæteros, in ea quæstione, quam fidei putarent, post iudicium quoque Romani Pontificis dissidentibus Ecclesiis, ad habendam certitudinem, Ecclesiæ universalis sententiam expectasse.

## CAPUT IX.

*Quæ sit illa SYNODUS universalis, quam in hac quæstione AUGUSTINUS memoret : Nicænam eam esse ; sed utcumque sit, nostra immota est.*

**A**Nxie à doctis quæritur, quæ sit illa universalis Synodus quæ istam quæstionem fuisse terminatam Augustinus memorat. Qui Arelatensem primam esse volunt, Romani Pontificis sententiam, iniquius, ut videtur, pendere decernunt ab ejus Synodi decreto, quæ non nisi abusive universalis vocetur.

Nos eam quæstionem in Synodo Nicæna fuisse decisam cum sancto Hieronimo profiteamur : *Quod Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, non tantum baptismum, sed quod majus est, etiam Presbyterii gradum servet*, can. VIII. *Et quod omnes hæreticos susceperit, exceptis Pauli Samosateni discipulis*, can. XIX. cujus rei causam cum Beato Augustino esse credimus, quod Paulianistæ regulam baptismatis non tenerent. Nec facile adduci possum ut credam, Arelatensem I. Synodum, numerosam quamvis, \* & ex toto ferè Occidente collectam, Synodum cunctarum gentium, & totius Christiani Orbis, & totius Ecclesiæ ubique diffusæ ab Augustino vocari : quippe quam vix Oriens noverit, nedum frequentarit, neque Romani Pontificis vel præsentia, vel saltem legatio intervenit. (g) Quin Synodum Nicænam apud Augustinum Concilii universalis nomine intelligendam esse, non alio magis argumento probaverim, quàm quod eam nequidem nominarit : eam enim toto terrarum orbe celebratam, ipso plenarii Concilii nomine statim ab omnibus intellectam putabat. Et quemadmodum nos Concilii nomine, Concilium Tridentinum intelligimus ; quemadmodum generalis Concilii nomine, Lateranensis illa Synodus sub Innocentio III. plerumque accipitur ; ita Augustini tempore apud Ecclesias Africanas, Synodi universalis nomine, Nicænam, proprio licet nomine minimè appellatam, intellectam fuisse constat. (h) Lego enim apud Possidium, in vita Augustini, ordinatum

fis sine novo baptismo admittébantur. Sic intelligendus est Basilii, ne pugnancia loqui, & errorem ab Synodo Nicæna damnatum defendere videatur. Vid. D. FLEURY lib. XVII. n. 14.

(g) Neque ... Legatio intervenit. ) Legationem intervenisse probant ea verba quæ inter subscriptiones legimus : *Claudianus & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diacones ex urbe Roma missi à Sylvestro Episcopo*. Hoc ergo significat D. BOSSUET, eos Concilio non præsedisse. Et quidem unius Marini nomen videmus in capite Canonum, eo modo : *Domino sanctissimo fratri Sylvestro Murinus vel Coetus Episcoporum* &c. Tom. I. Conc. p. 1427 1429.

(h) Synodi universalis nomine, Nicænam ... intellectam fuisse constat ) ab Augustino, in suis

Hieron.  
Dial. a. iv.  
Lucif. T. iv.  
Bened. par.  
II. p. 305.  
306.  
Conc.  
Nic. Can.  
VIII. T. II.  
Conc. p. 31.  
32.  
Ib. Can.  
XIX. p. 38.  
Aug. hæ.  
xliv. Tom.  
VIII. p. 13.  
\* XXXIII.  
nempe E-  
piscoporum.  
Ib. lib.  
I. de Bapt.  
cont. Do-  
nat. c. vii.  
n. 9. Tom.  
ix. p. 84. lib.  
II. c. ix. n.  
14. p. 104.  
& alib. passim



Vit. Aug. tum eum fuisse vivo suo Episcopo, *contra Synodi universalis vetitum, quod Auct. Poss. jam ordinatus didicit*. Non hic Nicænam nominat; sed Nicænam fuisse c. viii. in ex ipso Augustino accipimus. Sic universalis Synodi nomine Nicænam in fin. app. T. telligi solere arbitramur.

x. p. 262. Ut ut sit, qui tantum Arelatenſi tribuunt, in eam auctoritatem con-  
ccxiii. al. cx. ſenſione deveniſſe dicent, Gallicanamque ſententiam de conſenſionis ſum-  
n. 4. T. II. ma & ineluctabili auctoritate confirmabunt.  
p. 790.

## C A P U T X.

*Non tantum fidei causa, sed etiam alie quæ universalem spectarent  
Ecclesiam ab universali Concilio retractanda, nec nisi CONSEN-  
SIONE ORBIS finitæ esse creduntur: Causa CÆCILIANI: sancti  
AUGUSTINI locus.*

**P**Artem controversiæ cum Donatistis maximam quæ in rebaptizatione  
posita erat, non nisi Sedis Apostolicæ & totius Ecclesiæ conjuncta  
sententia finitam esse, Beato Augustino teste, vidimus. Jam quod  
erat caput schismatis, in causa Cæciliani idem evenisse, eundem Augu-  
stinum adducimus testem.

Vid. Opt.  
Milev. lib.  
I.

Aug. ep. Ergo Cæciliani causa, cum tractata esset à Melchiade Papa, ejusque  
adGlor E-  
leuf. &c.  
xlili. alias  
clxii. c. vii.  
n. 19. T. II. p. 97. *omnes Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse; restabat  
adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judici-  
bus causa posset agitari; ut si male judicasse convicti essent, eorum sen-  
tentia solveretur: quod utrum fecerint, Donatistæ probent; nos enim non  
factum esse facile probamus, ex eo quod totus Orbis non eis communicat.*

Ex his duo concludimus: alterum, post prolatum, habita Synodo,  
Papæ judicium, restare adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, quo  
Pontificis judicium, Synodi sententia solveretur: alterum, quamvis nul-  
la fuerit œcumenica Synodus, quæ Melchiadis judicium retractaret, haud  
minore auctoritate decisam fuisse causam, eo quod Orbis terrarum non com-  
municaret Donatistis; imò ut ibidem Augustinus ait, *experti sunt cum Cæ-  
ciliano permanere consensionem Orbis terrarum*. Quibus verbis constat Mel-  
chia-

ſuis libris adverſus Donatiſtas, non verò Arelatenſem. Nam quod dicit D. de LAUNOY;  
in Africâ, Concilii generalis, ſive plenarii nomine vocatas sæpe fuiſſe Synodos eas,  
quæ illo Arelatenſi Concilio inferiores eſſent, verum quidem eſt; at advertere de-  
buerat vir eruditus, Auguſtinum, quotieſcumque loquitur de hujusmodi Conciliis, le-  
ctores admonere, ſe loqui de Concilio plenario, non totius Eccleſiæ, ſed unius gen-  
tis, puta Africanæ. Atqui non ſic ille admonet, in iis locis in quibus urgit Dona-  
tiſtas auctoritate Concilii generalis: imò vocat illud Concilium *Synodum cunctarum  
gentium, & totius Chriſtiani Orbis, & totius Eccleſiæ in Orbe diſuſæ*; quæ verba ne-  
quaquam poſſunt intelligi de Synodo Arelatenſi; proindeque ruit D. de LAUNOY ſen-  
tentia. Qui plura de ea quæſtione voluerint, adeant D. de TILL. not. XLIV. in  
vit. S. Cypr. Tom. IV. p. 632, & ſeq. Diſſert. Valeſ. de ſchiſm. Donat. poſt ejus  
not. in Euseb. P. Alex. &c.



chiadis iudicium, quod alioqui canonico ordine retractari potuisset, ipsa Ecclesiae consensione in summam auctoritatem euectum.

Facti quæstio, inquit. Certè; sed ejus facti, in quâ tota Donatistarum causa verteretur; ex quo illud efficitur, non tantum in fidei quæstionibus, sed etiam in omnibus, quæ totam Ecclesiam spectarent, robur summum in consensione esse positum: ut profectò mirum non sit, sub Eugenio IV. cum de Concilii potestate acerrimè decertarent, illud ab omnibus pro certo esse positum, nempe altercantibus, si fortè, Concilio & Papa, Concilii sententiam potius attendendam, in fide quidem maximè; sed etiam in aliis omnibus, quæ *statum Ecclesie principaliter* <sup>Sup. lib. vi. c.iii. & seq.</sup> *perturbarent*, ut suprà memoravimus.

## CAPUT XI.

*Causa sancti JOANNIS CHRYSOSTOMI.*

**H**Ujus occasione quæstionis, proponimus aliam ejusdem fere generis; facti quidem quæstionem, sed quæ universam Ecclesiam conturbaret. Beatum Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum Antistitem Theophilus Alexandrinus, \* nullo Canonum ordine, sed sola sæculari potestate fretus, aulico potius, quàm Ecclesiastico iudicio (i) loco moverat. Quæ causa cum totum Orbem commovisset, ad universale Concilium devolvitur. Et quidem Sanctus Innocentius Papa ab eodem Chrysostomo invocatur, *qui scriberet hæc nullius esse roboris*. Is Joannem æquè ac Theophilum in sua communione retinuit; Theophili iudicium cassum & irritum habuit; ultimam tamen sententiam Concilio œcumenico reservavit, ut disertè asserit inculcatque Palladius (k) Chrysostomi comes, ac rerum omnium testis oculatus. Locum universalis Concilii Occidentales Thessalonicam designabant

\* In sua Synodo ad Quercum. Epist. I. Chryf. ad Innoc. n. 4. T. III. Bened. p. 510. Vid. Dial. vit. Chryf. per Pall. T. XIII. p. 3. Ib. p. 12.

(i) *Aulico ... iudicio*) Theophilus cum sua Synodo ad Quercum, ea, quæ hætenus in Ecclesia inaudita fuerant, adversus Joannem Chrysostomum perfecit. Nam, 1. quanquam in ea causa iudex esse jure non posset, jus ipse sibi arrogavit, & Conciliari decreto id confirmavit, quod ante collectam Synodum, aulici agendum decreverant. 2. Hujus Synodi Episcopi, qui simul erant iudices, accusatores, & testes, spreverunt Chrysostomum canonicè postulantem, *ex iudicium ordine submoventi* Theophilum Latrocinii ducem, multorum criminum reum, & quem insuper multi hæc Alexandriæ dicentem audierant: *In comitatum proficiscor ut Joannem deponam*: Acacium Beroensem, qui dixerat: *Ego illi ollam condio*, multosque alios apertos Joannis inimicos. 3. Illi Episcopi judicaverunt, nulla habita ratione, aut Chrysostomi legitimæ appellationis, aut etiam Synodi XLV. Episcoporum, quæ tunc ab eo celebrabatur, cum ipsi essent omnino xxxvi. ilque qui, aut sese toti Theophilo voverant, aut palam inimicitias Chrysostomo denuntiaverant.

(k) *Palladius*) quis ille fuerit, his est inter doctos. Vir eruditissimus D. Bignon, qui an. 1680. denuò edidit Chrysostomi vitam à Palladio factam, contendit Palladium Helenopolitanum, *Lausiacæ*, sive Eremiticæ historiæ auctorem, Chrysostomi socium, & ejus exauëtorationis occasione in exilium pulsum, hos de ejus vita dialogos non scripisse, sed alium Palladium Episcopum in vicinia urbis C. Pæ. amicum quoque Chrysostomi, & qui pro ejus causa mala multa toleraverat. Idem censet D. de Till. Tom. VI. vit. Pall. art. XII. & not. VIII. p. 530. 642.



bant. Memorabilis verò est hæc Palladii sententia : *Scopus Romane Ecclesie iste est, non communicare Orientalibus Episcopis, præsertim Theophilo, donec Dominus dederit locum universali Synodo, quæ putrefactis membris eorum qui hæc patnaverunt medeatur.*

Sic Romanus Pontifex, quæ pro loci amplitudine solas inchoavit, non nisi totius Orbis sententia finiturus erat. Verùm cum Synodus œcumenica ab Arcadio Imperatore impetrari non posset, totius Occidentis cum Apostolica Sede conjuncta sententia perfecit, ut Joannis Chrysostomi nomen Constantinopoli quoque in sacras tabulas referretur; ac sine novo judicio, contentione totius Ecclesie, Theophili Synodus solveretur.

## CAPUT XII.

*Decreta adversus ORIGENISTAS : THEOPHILUS Alexandrinus sanctum ANASTASIUM Papam præit, ac Romam ipsam liberat : in consensione vis posita : sancti HIERONIMI loci.*

**P**AULO ante ea tempora, Christi anno scilicet 398. Sancto Siricio mortuo, sub ipsa Sancti Anastasii Papæ initia, Origenis errores cum Rufini libris Romam in vectos, atque inter hos turbines Romanam Ecclesiam fluctuasse Baronius narrat. Adversus eam pestem Anastasius vigilabat. Sed dum cunctabatur, ut Ecclesie Romanæ more, consideratissimum & accuratissimum judicium ederet, Theophilus Alexandrinus collecta Synodo, ad omnes Catholicos super nomine Origenis, (1) ejusque dogmatum condemnatione, edidit epistolam, datis etiam, ut videtur, peculiaribus ad Sanctum Anastasium literis. De hac Theophili epistola, Hieronymus ad ipsam Theophilum hæc scribit : *Vox beatitudinis tuæ toto Orbe perstravit, & cunctis Christi Ecclesiis latantibus, Diaboli venena siluere.* Et paulò post : *Vincentius Presbyter ante biduum quàm hanc epistolam darem, de Urbe venit, & suppliciter te salutat, crebroque sermone concelebrat Romam & totam Italiam tuis post CHRISTUM epistolis liberatam.* Quo etiam illud pertinet : *Hæresim oppressam ejus auctoritate, & eloquentia.*

Hæc ita dicimus ut nihil imputemus Anastasio, viro, ut ait Hieronymus *ditissime paupertatis & Apostolicæ sollicitudinis*; sed ut ostendamus fidei robur tota

(1) *Super nomine Origenis.* Hanc occasionem non semel arripuit Theophilus, homo arrogans, imperiosus, vindictæ cupidus, & per fas ac nefas eos persequi solitus, qui sibi displicerent; id est, qui sibi ad nutum parere & servire nollent. Nemo est qui nesciat quantas tragœdias ille excitavit, ut de Isidoro Presbytero, & Nitriæ Monachis, qui *longi fratres* vocabantur, quosque oderat, ulciscere ut. Pro nihilo habebat illos calumniis lacessere, nisi sententias iniquissimas, à se in illos, nullo canonum ordine servato, latas, juberet exequi, ea acerbitate ac sævitia, à qua Episcopum decebat abhorreere. Eo doctus tyrocinio, dignus est habitus, qui præfidei Latrocinio ad Quercum, in quo damna us est Chrysostomus. Hæc ideo anno a us, ne lectores doctissimum Theophilum & virum sanè maximum, sed se nimium ulciscerem, plus æquo admirentur, cum eum adeò laudatum viderint ab Hieronimo, cui ea profectò nota non erant.



tota Ecclesia fufum, atque interdum extremo ex Orbe prodire decreta, Rom. I. quibus etiam Romana illa Apostolico ore laudata excitetur & confirmetur VIII. fides.

Neque ita multò post prodiit Anastasii iudicium; quo tempore Hieronymus alteram Theophili epistolam Latinam à se factam ad Romanos mittebat, cùm primam præterito anno accepissent; scribebatque Hieronymus veluti concepto voto: *Prædicationem Cathedræ Marci Evangelistæ, Cathedræ Petri Apostoli sua prædicatione confirmet. Quinquàn celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Papam Anastasium, eodem fervore, quia eodem Spiritu est; latitantes in foveis suis hæreticos persecutum, ejusque literæ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est.* Hier. ib. ep. lxxxvii. jam cap. 690. Qua ex consensione, illa jam firmitudo fidei consistat, quam sæpe diximus. Eam consensionem commendat Hieronymus, *quod beati Episcopi Anastasius & Theophilus & Venerius\*, & Chromatius\*\*, & omnis tam Orientis quàm Occidentis Catholicorum Synodus pari sententia, quia pari & Spiritu, Origenem hæreticum denunciat populis.* En igitur in consensione summa vis, ac Spiritus Sancti testimonium. \* Mediolanensis. \*\* Aquilejensis. Id. ibid. Apol. adv. Ruf. lib. II. P. 417.

## CAPUT XIII.

*Turbæ post Chalcedonensem Synodum: de iis seorsim per encyclicas epistolas Ecclesiæ consuluntur: Responsa mittuntur: Comuni consensione quæstiones finiuntur.*

**A**Nno 457. post sex fere annos quàm Chalcedonensis Synodus acta erat, ejus incipiens, præsertim in Ægypto, fluctuabat auctoritas. Itaque Marciano Augusto Synodi auctore & defensore mortuo, infanda illa Alexandriæ extiterunt: cælus Proterius orthodoxus & Sanctus Alexandrinus Episcopus: Timotheus Ælurus interfector à furente plebe ejus loco substitutus: Chalcedonensis Synodus condemnata: Leo, Marciano successor datus, ac novo Principatu ab his seditionibus multa religioni, multa Imperio infausta veritus, de nova Synodo consilia agitare videbatur. At Episcopi molestè ferebant retractari decreta Chalcedonensia, seque abstrahi à Sedibus, ac sollicitari toties Ecclesiarum pacem. Quid ergò gestum sit, Liberatus hujus ævi historicus paucis complexus est: *Imperator scripsit singularum civitatum Episcopis, de utroque negotio consulens, quid fieri oporteret, vel de ordinatione Timothei, vel de terminis ( seu definitione ) Synodi Chalcedonensis, & direxit per totum Orientem Magistrianos. (m) Mittit & Anatolius Episcopus Asclepiadem Diaconum suum, per quem omnes illi Episcopi, qui Chalcedone fuerant congregati, quid Alexandriæ gestum sit agnoscerent: qui rescribunt, Chalcedonensem Synodum, quæ ad sanguinem vindicandam* Lib. Brev. c. xv.

(m) Magistrianos ) Erant Magistriani Officiales Magistri officiorum. *μαγιστρικὰς* idem est etiam ac agens in rebus Principis; inquit Iu. CANGE Glos. infim. Græc.



dam, eò quòd non aliam fidem teneret quàm Synodus Nicæna constituit; Timotheum verò non solum inter Episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari. Quo pacto scripsit Imperator Leo Duci Alexandrino Stilæ, ut pelleret quidem ab Episcopatu modis omnibus Timotheum, inthronizaret autem alium, decreto populi, qui Synodum vindicaret.

Ep. Imp.  
Leon T. iv.  
Conc. part.  
III. Conc.  
Chalc. c.  
xxi. xxii.  
xxiii. xxiv.  
p. 889. &  
seq.

\* Num.  
xxxvi.

Extat Imperatoris encyclica epistola eodem exemplo ad Sanctum Leonem Papam, atque ad alios Episcopos, cum ambarum partium supplicationibus missa. Extant Sancti Leonis & maximorum orbis Orientalis Episcoporum \* responsa, quibus Timotheum abjiciunt, fidei quætionem ab œcumenico Concilio definitam reiterari vetant. Omnes eodem sensu, eadem forma agunt: *Decernimus, statuimus, pronunciamus, dicimus, judicamus*. Ex his epistolis compactum est volumen illud, quod apud antiquos *Encyclicarum* sive circularium epistolarum nomine celebratur.

Ep. Imp.  
jam. cit. p.  
890.

Dicant nunc Episcopos Romani Pontificis consultores. Atqui Imperator ab episcopis non consilia, quæ ad Leonem Papam mitteret, sed decreta & judicia, quæ statim exequeretur exquirebat; atque id ad omnes æquè scripserat: *Ut ex omnibus vestris literis hæc integrè cognoscentes, formam congruam dare possimus*. Cæterum orthodoxus Imperator de Synodo Chalcedonenſi, cujus fidem professus erat, non ipse ambigebat; sed cum apud Ægyptios hæc quætio versaretur, hoc quoque Episcoporum cum Sede Apostolica consensione decidi voluit: post Synodum œcumenicam iteratæ quætionis nullum esse locum. Sic in summis dissensionibus atque periculis, Ecclesiæ Catholicæ toto Orbe diffusæ, sed uno semper spiritu actæ, etiam sine Concilio generali, sese exeri auctoritas.

#### CAPUT XIV.

*Sancti SIMPLICII Papæ locus de decretis Apostolicis irrefragabilibus  
Ecclesiæ universalis assensu.*

Simpl.  
ep. IV. ad  
Zen. Imp.  
T. IV. conc.  
p. 107.  
Id. ep. v.  
ad Acac. C.  
p. ib. p.  
1073. 1074.

**H**Inc Romani Pontifices ipsa semper consensione nituntur. Sanctus Simplicius Papa post Sanctum Leonem tertius, Apostolicorum Pontificum cum antecessorum suorum irrefragabilem commendat auctoritatem; sed eam quæ cum totius Ecclesiæ consensione conjuncta sit. Unde illud: *Quod Apostolicis manibus cum Ecclesiæ universalis assensu, acie meruit Evangelicæ falcis abscindi, vigorem sumere non potest renascendi*. Quâ mente in epistola ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum rejicit à Sede Alexandrina Timotheum Ælurum, qui sit hæreticus, atque ab universitate damnatus; ac postea: *Quem convulsus novus per se didicimus comminari, resolvit existimantem quod de se universalis decrevit auctoritas*. Illud denique de prædecessoribus Catholicis Episcopis toto Orbe terrarum præidentibus subdit: *Sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, novis assertionibus non indiget edoceri, sed plena ac perfecti sunt omnia*. Quo loco post Synodum Chalcedo-



donensem finita omnia docet, nec novæ Synodo locum esse; quæ inquit, non alias semper indicta est, nisi cum aliquid in pravis sensibus novum, aut in assertionibus emerfit ambiguum; ut in commune tractantibus, si quæ esset obscuritas, Sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas. Inde ergo ex communi auctoritate lux certa est, quæ postquam Ecclesiæ exorta, abominabile est innovari judicia, contra sententias totius Orbis Domini Sacerdotum. En igitur in quo vim illam Ecclesiæ irrefragabilem collocaret. Cujus generis testimonia si congerere incipimus, modum omnem excedimus voluminis.

## CAPUT XV.

*Sancti GELASII locus in epistola ad Episcopos Dardaniæ,*

**N**Eque obstant magnifica hæc & vera, quæ Sanctus Gelasius egregius Pontifex, de Acacio adversus Chalcedonensem Synodum rebellante respondet, cum multi quererentur eum à Sede Apostolica sola, non indicta nova Synodo, condemnatum.

Gelas. ep.  
xiii. ad Ep.  
Dard. T. iv.  
Conc. pag.  
199. &  
seq.

Summa doctrinæ Gelasianæ est; postquam hæreseon auctores semel ab Ecclesia universa damnati sunt, non esse necessarias adversus sectatores eorum novas ac *speciales Synodos*, ne in infinitum eatur, & Ecclesiastica jaceat auctoritas: sed esse à Deo constitutam Sedis Apostolicæ potestatem, quæ ipso Apostolico Principatu communis sententiæ executrix, hæreticos jam sola prosternat: quæ nos verissima confitemur.

Per hanc occasionem Sanctus Pontifex commemorat, quæ Sedes Apostolica etiam sola, ac sine præcedente Synodo, possit in absolvendis damnandisque, quas oporteat personis: quæ quidem nos pari veneratione suscipimus. Absit enim, ut velimus Sedem Apostolicam in omnibus causis Concilio œcumenico esse succintam; cum multa sint, quæ vel sola dissentiendo prohibeat atque disturbet, cujus consensionem atque sententiam in maximis rebus maximè exquirendam perpetua Traditio docet. Hinc illa exempla, quæ nobis Sanctissimus Pontifex pari magniloquentiâ ac veritate subjungit, Athanasii, Joannis Chrysostomi, Flaviani, quos *Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit*. Quæ quidem vera sunt; sed aliundè supplenda ea, quæ cum ad rem non facerent, Beatus Gelasius prætermisit. Nos quæ ad hanc causam conferant, subnectamus.

Ibib.

Et de Beato quidem Joanne Chrysostomo docuimus, à Sancto Innocentio prolatum fuisse judicium, sed provisorium; integram cognitionem œcumenicæ Synodo reservatam.

Sup. hoc  
lib. c. xi.

Ejusdem sunt generis quæ à Sancto Gelasio deinde referuntur: *Flavianum in Ephesino latrocínio Pontificum congregatione damnatum, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit*: ac paulo post, *impiam Synodum* (Ephesinam illam) *non consentiendo submovit*. Rectè, si de provisorio judicio intelligas, quoad congregaretur, quam ipse Leo petebat adversus Synodum malè gestam, alia generalis Synodus; interim, ut ipse addit: *Querelis*

Ep. Gel.  
sup. cit. ib.

& præ-



Leo. ep. & præjudiciis partis utriusque suspensis, quò diligentius universa, quæ of-  
ad Pulch. fensionem generaverant, retractarentur. Sic quæ sine gravi scandalo dif-  
par. i. Conc. ferri non possent, ipse provisorio judicio statim ordinat: summam ip-  
Chalc. c. sam œcumenico Concilio relinquit.

xxi. T. IV. Cætera quæ Gelasius commemorat, vel per se clara sunt, vel ex ante  
p. 46. int. dictis facile elucescunt. Ac Dioscorum quidem *Sedes Apostolica sua aucto-*  
Leon. ep. *ritate damnavit*; quod auctor fuerit ejus sententiæ, quam tacto deinde  
xli. al. xxvi. examine, Chalcedonenſis Synodus confirmaret, ut vidimus. De Episcopis  
verò, qui Dioscoro consenserunt, hæc scribit: *Sedes Apostolica, hos*  
Gel. loc. cit. *in sua perfidiâ permanentes sua auctoritate prostravit, quam congregatio,*  
*quæ illic (Chalcedone scilicet) collecta fuerat, est secuta: quoniam sicut*  
*id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa*  
*censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit.* Quæ ad Sedis Apostolicæ au-  
thoritatem ideò referuntur, quod eam præeuntem Chalcedonenſis Synodus  
fit secuta: ut perfectò constet, in eo esse vim maximam & ineluctabilem,  
quod Sedis Apostolicæ judicia *Ecclesia tota suscepit*, habita quidem quæ-  
stione, & nova discussione, ut ex gestis constat.

Ita vel in iis, quæ à solis Romanis Pontificibus facta, Gelasius me-  
morat, Ecclesiæ universalis potior auctoritas elucescit; cujus illi, in iis  
quidem rebus quæ universam Ecclesiam conturbarent, vel judicia exe-  
quuntur, vel sanè cùm præeunt, ab ejusdem Ecclesiæ sententia ultimum  
ac perfectum robur accipiunt.

## CAPUT XVI.

*Propositio, UNUS TRINITATIS CRUCIFIXUS, à Scythis Monachis*  
*Constantinopoli agitur: Monachi HORMISDAM consulturi per-*  
*gunt: professio JUSTINIANI, eadem de re Romanum Pontificem*  
*consultentis, pro ejus infallibilitate objicitur.*

**A**Nno 519. sub Sancto Hormisda summo Pontifice, quæstio suborta est  
ingens, quam diligenter evolvere oportet, quoniam indè ab utra-  
que parte argumenta repetuntur.

Agebatur de propositione hac: *Unus Trinitatis*, seu, *unus ex Tri-*  
Ep. Procl. *nitatis crucifixus est.* Hanc Beatus Proclus Constantinopolitanus in epistola  
C. P. ad ad Armenos, paulo post Sanctam Synodum Ephesinam, novis Nestoria-  
Arm. Tom. nis objecerat; cùm excommunicato Nestorio sub antiquiore Theodori  
xi. Bibl. Pat. Monsuesteni nomine patrocinarentur. Hi ergò Theodori publici laudatores,  
p. 615. & Nestorii verò occulti defensores, unum filium in duos dividebant; Mariæ  
T. III. Con. filium à Dei filio segregabant; pro Trinitate quaternitatem invehebant:  
p. 117. quos beatus Proclus aptissimè redargui arbitrabatur, si Mariæ filium non  
aliquem extra Trinitatem, sed *unum Trinitatis* esse faterentur.

Vid. nov. Procli epistola ab Orientali Synodo approbata, & ab ipso Synodo Chal-  
cedo-



cedoneosi laudata . toto etiam Occidente nobilis habebatur , postquam eam Dionysius Exiguus in Latinum sermonem vertit , ac Procli industriam commendavit ; quod CHRISTUM unum ex Trinitate asserens , Nestorianas fraudes aptissime confutaret .

Hanc ergo propositionem Joannes Maxentius , alique Scythiæ Provinciæ Monachi adversus Nestorianos asserabant ; & qui eam respuerent , Nestorianismi arguebant .

At Dioscorus Diaconus Sancti Hormisdæ ac Sedis Apostolicæ Legatus , Constantinopoli agens , ad Hormisdam perscribit Monachorum Scytharum propositionem , ut novam , ad hæc , ut hæreticam ; & ab Eutychianis maxime assertam , respondendam videri .

Certum quidem est , Petrum Gnapheum seu Fullonem Eutychianum hæreticum , eo nomine à Felice III. ac Synodo Romana fuisse reprehensum , quod unum increatæ atque individuae Trinitatis passionem subisse ac mortuum esse diceret .

Sed id Petrus Fullo ita intelligebat , ut unus de Trinitate passionem pro nobis pertulisse diceretur in substantia Deitatis , ut ipse Felix III. refert ; à quo scelere Monachi Scythiæ aded abhorrebant , ut semper hoc adderent , quod & Beatus Proclus accuratissime dixerat : Unum Trinitatis crucifixum carne : ne naturas confundere , & cum Eutychianis sapere viderentur .

Qua in re multum distabant à Petro Fullone & ab ejus assecla Anastasio Augusto , & à Theodora Augusta , cujus sententia proscriberetur , unum de Trinitate passum non asserens , secundum quid , sed absolute ; Scythæ autem passum asserabant , non absolute ( quo hæretici significatum volebant etiam divinitate passum ; ) sed tantum secundum quid , hoc est , secundum carnem .

Quæstione mota Schythæ Monachi Romam profecti sunt , sedem Apostolicam ordine consulturi : eadem de re scribunt Justinus Augustus ac Justinianus tunc Comes Domesticorum : atque hic Monachos ut inquietos ac turbulentos statim repelli petit , à Dioscoro persuasus . Mox ipsa re , ut videtur , gravius considerata , per alias literas Hormisdam sic inter. rogat : Quidam asserunt CHRISTUM pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere prædicari . Quærit , quid sequi , quidve super hoc evitare debeamus : quoniam verba videntur facere dissensionem ; nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur . Subdit : Hoc enim credimus esse Catholicum , quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum . Quæ professio , ne itatim ad Pontificiam infallibilitatem pertinere videatur , rei gestæ narrationem ad finem usque expectandam monemus : interim bona fide notamus quid nobis objiciant .

coll. Conc.  
Baluz. p.  
94. Facun.  
lib. VIII. c.  
IV. Conc.  
Chal. part.  
III. c. 1. p.  
817. 828.  
Dionys.  
Exig. præf.  
in ep. Proc.  
T. vi. Bibl.  
Pat. p. 612.  
Suggest.  
Diosc. ad  
Hormisd.  
T. iv. Conc.  
p. 1531.  
Conc.  
Rom. r. sub  
Fel. III. lib.  
p. 1097.  
Fel. ep. v.  
ad Zenob.  
p. 1071.  
Pet. Disc.  
lib. ad Eug.  
int. op. Ful.  
p. 160. ed.  
Paris. 1684.  
Vid. Joan.  
Max. Pro-  
fess. ad T.  
IX. Bibl.  
Patr. p. 534.  
& seq.  
Vid. Viet.  
Turo 1. Chr.  
ed. Scalig.  
Ep. r. Just.  
ad Horm.  
T. iv. Conc.  
p. 1516.  
Ejusd. ep.  
II. ad Hor.  
p. 1537.



## CAPUT XVII.

*Viri boni sanctique consulendos docent per Orbem terrarum Episcopos :  
quæstionis finem ab Ecclesiæ universalis auctoritate expectandum .*

**Q**uis esset interim Catholicorum ea de re sensus, exponere juvat . Ac primum Scythæ Monachi fidem suam diligenter expositam Sancto Fulgentio ejusque collegis Sanctis CHRISTI Confessoribus , \* ac Ferrando Diacono , viris eo ævo sanctissimis ac doctissimis approbarunt . Id tantum in Fulgentio notaveris, malle eum dicere , *unam ex Trinitate personam*, quàm *unum Trinitatis*, vel *unum ex Trinitate* . Quæ diverfitas tam est levis , ut qui ea re tantum differant, eos unanimes & ubique consentaneos merito pronunciaveris . Undè nec illi Monachi , à tantis Episcopis ritè interrogatis reprehensionis quidquam, sed fraternæ charitatis testimonia retulerunt .

Ac reverà *unus ille Trinitatis* indefinitè dictus , quis est alius quàm una persona Trinitatis , ut etiam Joannes Maxentius & Ferrandus Diaconus , ac postea Facundus Episcopus Africanus ejus ævi nobilis scriptor , luculentissimè declararunt .

Sanè Ferrandus Diaconus pravos sensus tres memorat, quibus dici posset , *unus de Trinitate* ; verum eos sensus Monachi apertissimè respuebant . Quare Ferrandus Diaconus offensionem quorundam tribuit , *ut una de Trinitate persona* dicatur potius quàm *unus de Trinitate* ; cum utrumque indifferenter aptèque & innoxie dici possit .

Sed cum Nestoriani *personæ* nomine abuterentur , Christumque ut Legatum , verbi personam exhibuisse dicerent ; ideò Nestorianarum fraudum gnari , *unus Trinitatis* malebant dici ; anteponebantque eam locutionem , in qua Nestorianorum *dolus* minus abscondi posse videretur . Hæc Maxentius ; hæc Facundus ; notantque omnes hujus ævi scriptores , ipsam Trinitatem ita esse locutam : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* : non dixit , quasi una ex nobis persona ; sed *quasi unus ex nobis* ; cum tamen , ut ait idem Facundus , *nullus de Trinitate melius loqui possit , quàm ipsa de se locuta est Trinitas* .

Addebat Joannes Maxentius Beati Augustini locum , quo Christum appellabat , *unum trium* ; quod quidem , quid est aliud , quàm *unum Trinitatis* ?

Neque , quod objiciebat Dioscorus Diaconus , Monachi Scythæ inferere fidei Chalcedonensi nitebantur eam locutionem ; aut , quod illa deesset , imperfectam Synodum arguebant , sed perfectò asseriebant , quod res est ,

lice-

Gen. III. 22. Fac. loc. cit.  
Maxent. profess. fid. T. IX. Bibl. Pat. p. 535. Aug. Enchir. cap. xxxviii. n. 22. T. vii. p. 211.

Vid. ep.  
feulib. Pet.  
Diac. de  
Incarn. int  
Op. Fulg.  
Ep. xvi. p.  
217. & seq.  
ed. Parif.  
1684.

\* tum in  
Sardinia e-  
xulibus per-  
secutione  
Vandalor-  
um graf-  
fante .

Fulg. lib.  
de Incarn.  
& c. ad Pet.  
Diac. ib.  
ep. xvii. c.  
x. n. 18. p.  
296.

Maxen.  
Resp. ad e-  
pist. Horm.  
T. IX. bibl.  
Pat. p. 542.  
Ferr. epist.  
ad Anat.  
Diac. n. 14.  
16 p. 506.  
Facund. pro  
defens. triu.  
Capit. lib.  
1. c. III. ib.  
Tom. X. p.  
6.

Ferr. ib.  
n. 16.  
Max. &  
Facund.  
loc. cit.



licere ad hæreticorum fraudes refellendas multa extra Synodos usurpare ; præsertim verò ea , quæ Patrum usu probata esse viderentur .

Cæterum Chalcedonensem Synodum , ac Beati Leonis epistolam ubique celebrabant ; neque tantum Entychen , sed etiam Alexandrinum Dioscorum ejusque sequaces condemnabant : & Christum non tantum ex duabus, Max. ep. ad Germ. Joan. &c. loc. sup. cit. p. 534. col. 2. Eutychianorum more ; sed etiam in duabus naturis subsistere : unumque Trinitatis passum quidem , sed carne tantum ; non autem divinitate , omnibus paginis testabantur .

Hæc igitur quæstio cum magna animorum contentione inter Ecclesiasticos tractaretur , Ferrandus Diaconus à Severo Scholastico Constantinopolitano rogatus quid sentiret , jubet interrogari non se quidem , verum eos quibus honor Sacerdotii docendi auctoritatem tribuit . Interroga , inquit , principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem , cujus sana doctrina constat judicio veritatis , & fulcitur munimine auctoritatis . Interroga plurimos per diversa terrarum loca Pontifices , quibus scientia cœlestium præceptorum divinitus inspirata , famam grandem sui cum veneratione collegit . Hos quidem omnes interrogandos monet , sed principaliter Romanum Pontificem . Cæterum post quæstionem diligentissimè pertractatam , quo tandem loco certissimè figat pedem his verbis explicat : Unde desistendum à contentionibus reor : expectandum potius persuadens , patienterque hanc dubitationem ferendam , donec universalis Ecclesiæ auctoritate , vel pronuncietur suscipienda , vel prodatur abjicienda . En rebus in dubiis , animisque vehementi contentione suspensis , quo refugere consuevissent . En unde certissimam Ferr. ep. ad Sev. T. ix. Bib. Pat. p. 509. Ib. c. XI. p. 513. atque irretractabilem expectarent sententiam . Sed quomodo postea finita sit quæstio , paucis enarremus .

## CAPUT XVIII.

*Sancti HORMISDÆ epistola ad POSSESSOREM , quæ Scythæ Monachi condemnantur ; illi Ecclesiæ Catholicæ sententiam expectant : eorum propositio vincit : non nisi Ecclesiæ universalis consensione quæstioni finis impenitur .*

**P**ostquam quatuordecim jam mensibus causa pependerat . Monachique per annum fere integrum Romæ commorati , Hormisdas edidit epistolam ad Possessorem Episcopum Afrum , qui tum Constantinopoli agens , sedem Apostolicam de Fausti Regiensis libris consulebat . Hormisd. ep. lxx. ad Possess. T. iv. Conc. p. 1530 & seq.

Ea epistola Pontifex , quid de Scythis Monachis sentiret , Constantinopoli ac toto Orbe terrarum innotescere voluit . Dicit hos turbulentos , pertinaces , contentionum studiis assuetos , contemptores auctoritatum veterum , novarum cupidos quæstionum ; non eos monitis , non mansuetudine , non auctoritate compressos : ac plebem etiam commoturos , per diabolicæ semina nefanda zizania , nisi fidelis populi constantia restitisset : hos ergo esse vitandos . Hæc Ibid. p. 1531. Hormisdas , nulla interim anathematis aut depositionis mentione . Huc



usque sententiam temperavit suam. De quæstione nihil; sed omnes facile crediderunt, Monachorum proscriptam esse propositionem, cum cætera innoxii, eò importuni pertinacesque haberentur, quod ab ea nullis monitis discedere voluissent.

Interim Hormisdæ tanti Pontificis epistola haud prohibuit, quominus Catholici ubique terrarum, ac præsertim in Oriente adversus Nestorianos, propositionem inculcarent. Ipse Maxentius adversus eam epistolam, comotissimo animo scripsit. Ejus auctorem, quisquis esset (neque enim fa-  
 Respons. Max. ad ep. Horm. T. IX. Bibl. Pat. p. 539. & seq. Ib. p. 541.  
 teri volebat Hormisdæ eam esse, quæ ipsi tam impia videretur,) hæreticum appellabat, atque hæc insuper subdit: *Confidenter dicere audeo, non quod si per epistolam, sed si viva voce hic in præsentibus positus, idem Romanus prohiberet Episcopus, Christum filium Dei unum confiteri ex sancta atque individua Trinitate; numquam eidem Dei Ecclesia acquiesceret; numquam ut Episcopum Catholicum veneraretur, sed omnino ut hæreticum penitus execraretur: quia quisquis hoc non constitetur, non est dubium, quod Nestorianæ perfidiæ tenebris excæcatus, quantum & extraneum à sancta & ineffabili Trinitate, eum qui pro nobis crucem sustinuit, prædicare contendat. Sed absit, ut ex qualibet parte Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat.*

Hæc postrema qui ad Pontificiam infallibilitatem trahunt, non satis advertunt quæ antecesserint; quàmque Maxentius adversus fidem errasse Romanum Pontificem, abominandum quidem execrandumque, non antem impossibile judicaret, imò verò fieri posse supponeret; dum eo casu quid eventurum esset exponit, nempe ut hæresim asserenti, universalis repugnaret Ecclesia.

Nec placet interim, quod Joannes Maxentius clamorior atque commotior Hormisdæ epistolam hæreticam, potius quàm asperam appellavit, quæ Scythas Monachos infectata tantum, ne verbum quidem de quæstione diceret.

Illud ex vero Maxentius protulit, Ecclesiam omnino errare non posse; ac si Romanus Pontifex verum, quod Scythæ assererant, Dogma proferberet, non eam assensuram. Id eventus docuit: usque aded enim Monachorum propositio toto Oriente invaluit, atque adversus novos Nestorianos necessaria visa est, ut eam edicto edito Justinianus approbare cogeretur; auctoribus, ut fieri solebat, Episcopis, ac præcipuè Epiphanio Patriarcha Constantinopolitano: quod edictum est editum anno 533. duodecim annis post datas Hormisdæ ad Possessorem literas.

Imperator legatione ad Joannem II. missa, edictum approbari petiit, & impetravit, deditque literas ad Papam, quibus significabat: *Pauca infideles Judaicæ atque apostaticæ contraxisse omnibus Sacerdotibus, denegantes unigenitum Dei filium hominem factum atque crucifixum, unum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis; in quo videntur Nestorii malam sequi doctrinam: quod ipsum Scythæ Monachi à quindecim annis, atque ab ipso hujus contentione initio propugnabant.*  
 Epist. Just. ad Joan. II. Cod. ibid. & T. IV. Conc. pag. 1743.

Neque Imperator jam consulit, quid credendum, ut olim sub Hormisdæ fecerat; sed rem ut certam & exploratam, atque ab omnibus prædicatam refert, cui nemo nisi Judaicæ & apostaticæ contradicat.

Sic



Sic autem concludit : *Petimus ergò vestrum paternum affectum , ut vestris ad nos destinatis literis , manifestum nobis faciatis , quòd omnes qui prædicta recte consentientur suscipit vestra Sanctitas , & eorum qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem , condemnat perfidiam : addit hæc observatu digna ; plus enim ita & circa vos omnium amor , & vestræ Sedis crescet auctoritas , & quæ ad vos est unitas sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur ; quando per vos didicerint omnes beatissimi Episcopi , eorum quæ ad vos relata sunt , sinceram sanctitatis vestræ doctrinam : Quo significabat insinceram visum iri , si Romanus Pontifex tam certum dogma improbasset ; ac si Episcopi Orientales Romani Pontificis sinceram doctrinam , non ex ejus infallibilitate , certò præjudicatam , sed ex ejus responsis exploratam volebant .*

His victus Joannes , Concilio habito , datisque literis ad ipsum Justinianum , ac deinde ad Senatores , \* confirmavit Justiniani fidem ; & *unum de Trinitate crucifixum* , iisdem asseruit Scripturarum ac Patrum locis , quibus Scythæ Monachi usi erant .

Diserè autem notat hæc à se probari , secundum Patres omnes , ac Romanos Præsules , quos in omnibus sequeretur : quod etiam Justinianus dixerat epistola ad Joannem . Tametsi enim *unum de Trinitate* nondum affirmassent , id tamen ex aliis eorum dictis atque sententiis perspicue sequebatur .

In his igitur omnibus maximè elucescit fidei exponendæ , & quæstionum finiendarum ratio , quam tuemur .

Gravem quæstionem & cum ipso Legato Apostolicæ Sedis Constantinopoli excitatam , ad ipsam Apostolicam Sedem statim deferri oportebat .

Hormisdas interrogatus sic respondet , ut prostrata quodammodò veritas videatur : ejus defensoribus certa responsa quærentibus pro omni responsio ploratus indicitur : tacente , cunctante , obsistente potius Romano Pontifice , non ipsa tacet veritas : pervicit ac perrupit dubitationem omnem Ecclesiæ Catholicæ vox atque consensus ; nec jam consulitur ut de re ambigua Romanus Pontifex , sed rei ut certæ & indubitatæ approbatio petitur & elicitur . Quis hic non videat valuisse , ut in omni ancipiti re , eam quam Ferrandus Diaconus , & cum eo optimus quisque expectabat , Ecclesiæ Catholicæ consensionem .

Ib. pag. 1744.

\* Roma-  
nos .

Conc.

Rom. sub

Joan. II. ib.

p. 1762. ep.

Joan. ad

Just. ib. p.

1745 &amp; ad

Senat. 1751.

&amp; seq.

Epist. ad

Just. loc.

cit.

Vid. ep.

Just. ad

Joan. p.

1744.



## CAPUT XIX.

*Formula consulendi Romani Pontificis, rei gestæ serie, ac Patrum Traditione explicatur.*

**J**Am credo, ipsa rei gestæ series, & Catholicorum in hac quæstione communis sententia, satis ostendit, quæ vis sit professionis ejus, quæ à Justiniano Hormisdam interrogante edita est: *Id credimus Catholicum, quod vestro religioso responso fuerit intimatum.* Rectè & ordine atque ex consuetâ formulâ erga Romanum Pontificem de fide rogandum; cum meritò præsumatur, non eum veritati, non officio defuturum.

Certè de Episcopis Sanctus Damasus Papa, ac Synodus Romana scribunt: *Gallorum atque Venetensium fratrum relatione comperimus, nonnullos, non hæresis studio, neque enim hoc tantum mali cadere in Dei antistites potest &c.* Si ergò tantum mali in singulos Episcopos cadere non posse meritò præsumitur, quantò magis in eum qui tanto loco præsit.

Quisquis ergò præpositos, ac præsertim omnium Doctorem ac Principem Romanum Pontificem de fide interrogat, is confidat in Domino veridicum responsum omninò secuturum; ut eam *ἀληθοποσίαν*, quam commendat Apostolus, hoc est, *eam fidei plenitudinem* quæ penitus captivet intellectum omni dubitatione sublata, in ipsa Ecclesiæ consensione itare credat.

Id in hac contentione ipse eventus docuit, & Catholicorum omnium sensus. Unde etiam illud contigit, ut & de Romano Pontifice optima tantoque officio congrua præsumerentur, & interim dubitaretur. Ecce enim Joannes Maxentius ab Oriente Romam petit, Sanctum Hormisdam de fide rogaturus. Quid tamen dixerit, audivimus; nempe si Romanus Pontifex præsens *unum Trinitatis Christum dici prohiberet*, totam Ecclesiam restitutam, eumque *ut hæreticum execraturam* fore. Vides quàm bona præsumeret, quam mala evenire posse crederet. Neque verò ea causa suspectus cuiquam esse debet; neque aliter in aliis controversiis, viri boni Catholicique senserunt. Ecce enim sequente sæculo, ad annum videlicet Christi 642. Sanctus Martinus \* Papa, de Monothelitarum hæresi, collecta Lateranensi Synodo, judicaturus sedebat; ad eum ejusque Synodum Ecclesiæ recurrebant undequaque terrarum; an omni penitus dubitatione submota, hæc Sanctorum Abbatum \*\* supplicatio doceret. *Certissimè scientibus vobis sanctissimis, quòd si aliter, quàm à nobis pie postulata sunt, quidquam omninò integritatem fidei corrumpens, à vestra terminetur, (hoc est definiatur) Beatitudine, quod absit, abfuturum sit; hoc enim omninò incredulum (id est incredibile) nobis est: liberi sine dubio atque innocentes ab hoc quod fiet existimus.* Id ergò infautissimum, difficillimum, rarissimum, atque adedò incredibile; non autem impossibile judicabant. Quid enim erat; cur tam gravi obestimatione à se amolirentur ac deprecarentur culpam, quam omninò impossibilem judicassent? Undè addunt se Martino judicaturo, suam confessionem in cogni-



tione offerre permanentes, in his quæ orthodoxè definit, secundum SS. Patrum & Synodorum doctrinam (n) & Traditionem. Hac conditione spondent consensionem : si secus fieret, culpam à se deprecantur ; atque hæc coram sancto Martino profitentur, cum ipse federet in Synodo de fide judicaturus, eamque professionem Martinus eique assidentes Episcopi susceperunt .

Ibid.

Multa ejusmodi suis postea locis occurrent, quibus firmetur id quod contendimus ; nempe in cæteris Ecclesiasticis de fide judiciis, ipso etiam Romano Pontifice confidente, inesse fidelibus animis piam fiduciam; πληροφ'ια illam ac plenam certitudinem, in unius Ecclesiæ Catholicæ judicio & consensione esse positam .

## CAPUT XX.

*Quæstio ELIPANDI de Christo adoptivo Dei Filio, Romani Pontificis, & Ecclesiarum consensione finitur : particula FILIOQUE per eadem fere tempora Symbolo addita .*

**H**Æsit Latinorum, ac maximè Gallorum animis à Majorum Traditione repetita, de consensionis necessitate, atque auctoritate, sententia . Cujus rei illustre exemplum habemus octavo sæculo sub Carolo Magno in Francofordiensi Synodo . Ea Synodus maximi nominis, summæque auctoritatis fuit ; habebatque præsentem Theophylactum ac Stephanum Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos ; ac totam fere Occidentalem, sive per præsentiam, sive per literas, complectabatur Ecclesiam .

Conc.  
Franco. an.  
794. T. vii.  
p. 1014 &  
seq.

De Christo Dei filio quærebatur, quem Elipandus Tolitanus Episcopus aliique Hispani pro adoptivo habebant, quatenus quidem homo est . Dividebatur Dei filius ; Nestoriana pestis reviviscere videbatur . Carolus Magnus nondum quidem Imperator, sed Francorum atque Italiæ Rex, ac Romanorum Patricius, id maximè pro sua religione curabat, uti quæstioni finis imponeretur . Quid autem gesserit ipse declarat ; datis quippe literis diligentissimè exquisivit : *Primò, quid Dominus Apostolicus cum sancta Romana Ecclesia & Episcopis illis in partibus commorantibus : secundò, quid etiam Mediolanensis Episcopus & alii in Italia doctores & sacerdotes Ecclesiarum Christi : tertio quid Germani, Galli & Aquitani crederent .*

Ep. Car.  
Mag. ad E.  
lip. & Ep.  
Hisp. ib. p.  
1019.

Primum ergò accepit Adriani Papæ epistolam, quæ quæstionem tota Sedis suæ auctoritate judicabat ; atque Elipandum & sequaces, nisi refipiscerent, ex auctoritate prorsus Sedis Apostolicæ ac Beati Petri Apostolorum

Adr. ep.  
ad Hisp.  
cont. Elip.  
ib. p. 1011.

Prin-

( n ) *Doctrinam* ) Ut certò cognoscerent illi Abbates nihil à Martino Papa & Lateranensi Concilio fuisse definitum quod doctrinæ Patrum & Conciliorum non consonaret, postularunt usque ad unum apicem, cum omni acribia ( id est diligentia ) secundum Græcam interpretari vocem, quæ tunc designiebantur . Adeò aberant ab ea, quam vocant, cæca obedientia . Hic Labbeus notam marginalem adjungit, qua significare videtur versionem Græcam, quam nunc habemus Concilii hujus Lateranensis, factam tum fuisse, iis Abbatibus postulanti-  
bus .



*Principis; & per eam, quam illi Magister & Dominus ligandi ac solvendi tradidit potestatem, perpetuò anathemate religavit.*

Neque tamen in tantæ Sedis tam expressa sententia finem posuit; sed accepta Mediolanensis Episcopi, atque Itatorum concordi sententia, Concilium ex Germanis, Gallis, Aquitanisque Episcopis Francofordiam convocavit. Patres rectam fidem, edita Synodica epistola & Canone firmarunt: Elipandi nefariam hæresim condemnarunt. Jam Carolus Magnus, Sedis Apostolicæ, totque Episcoporum auctoritate fretus, hæreticos adhortatur ut decretis pareant, quæ *pia unanimitas & pacifica perscrutatio* protulisset; se enim cum his *sanctis decretis & Catholicis statutis consensum suum subnexuisse*, & corde amplexum; *plurimorum testimonio roboratam fidem*; neque pro Catholico habiturum qui ei decreto repugnasset, in quo conjunctæ essent, *Sedis Apostolicæ auctoritas & Episcopalis unanimitas*: eos enim esse quibus à Domino dictum esset: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Quare hortabatur ut *ad multitudinem populi Christiani & ad Sacerdotalis Concilii unanimitatem reverterentur*.

Hic existant illi, qui non tantum præcipuam, sed totam in Apostolica Sede auctoritatem ponunt: Carolo movebunt litem. Quid tu, inquit, Episcopos per totum Occidentem ea inquisitione fatigatos velis? Unus Papa consulendus, audiendus unus, ex quo omnium deinde sententia pendeat. At non ita Carolus: quæstionem in Occidente ortam Occidentalium Ecclesiarum cum Apostolica Sede communi sententia finiri placuit. Neque verò huc Episcopi diversarum partium adducuntur, ut Papæ consultores, quod nunc comminiscuntur: quippe qui seorsim per nationes appellati, sententiam suam, eodem spiritu ducti, eodem ferè tempore, nullaque communicandi consilii facultate, exprompturi essent. Neque sola Sedes Apostolica appellatur, quod censores nostri volunt; sed ita omnia firma esse intelliguntur, si ad *Sedis Apostolicæ auctoritatem, unanimitas* quoque *Episcopalis* accedat.

Hic ergo Carolus hæreticos universalis Ecclesiæ auctoritate premit: *Vos igitur, inquit, quia pauci estis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuisse, quam quod sancta universalis toto Orbe diffusa tenet Ecclesia?* Sic demum omnia in auctoritatem universalis Ecclesiæ resolvuntur, quæ & earum partium, ubi exorta quæstio est, expressa declaratione, & cæterorum toto terrarum Orbe communicantium, certa, licet tacita consensione constet. Hæc Galli sub Carolo Magno; hæc sub Ludovico Magno profitentur; neque Patrum Traditionem avelli sibi sinunt.

Per eandem ætatem facta illa est Symbolo, quæ tot turbas excitavit, additio particulæ, *filioque*: cui additioni in Hispaniis inchoatæ, quantum Romani Pontifices obstiterint, Leonis III. sub Carolo Magno gesta testantur. Pervicit tamen omnem difficultatem totius Occidentalis Ecclesiæ consensus, in quem deinde Romani Pontifices tot Ecclesiarum auctoritate pertracti sunt; neque postea Græcorum clamores audierunt. Neque tamen succensimus Leoni III. talia prohibenti; sed reliquam Ecclesiam haud minus in proposito persistentem, divino numine actam, id egisse, certa fide credimus.



## CAPUT XXI.

*Tricassina II. Synodus sub JOANNE VIII. professio obadientiæ Romano Pontifici facta secundum Canones ab HINC MARO Rbemensis : Episcopi conjuncta auctoritate cum Papa judicant : ex consensione robur.*

**Q**uid Episcoporum cum Sede Apostolica consensio præstet, non tantum in fidei quæstionibus, sed etiam in exerenda quibuscumque aliis causis Ecclesiastica ultione, nono sæculo in Tricassina Synodo Joanne VIII. Papa Preside, apparuit. Is innumerabiles tum rerum Romanæ Ecclesiæ pervasores, communi Sedis Apostolicæ & coepiscoporum sententia excommunicari postulabat actione I. actione II. Episcopis inducias petentibus, quoad cæteri confratres advenissent, *delata à Pontifice Romano sententia est excommunicationis & damnationis*, quæ per omnes Metropolitanas Ecclesias, conjunctis suffraganeis legeretur. At ut ex fratrum consensu, robur accederet, actione III. *universi Episcopi sanctæ Synodi, libellum concordie ac devotionis unanimatisque confectum Summo Pontifici porrexerunt; quem idem Præsul benignè propriis manibus suscepit, & suum sub brevitate sancitum, super auctoritate canonica, & concordia coepiscoporum, conjunctæ Synodo dedit.*

Conc.  
Tricass. II.  
act. I. T. IX.  
p. 307.  
ib. act. II.

Act. III. p.  
308.

Ex hac Sedis Apostolicæ & Episcoporum conjuncta sententia plenum auctoritatis robur exurgere demonstratur his verbis act. IV. *Letta est lectio consensus totius Synodi & SENTENTIA ROBORATIONIS EJUS. data in pervasores Ecclesiarum, & transgressores præceptorum Dei: & statutum est ut scriptiones manibus singulorum roborarentur: sic in consensu Synodi, sententia roborationis agnoscitur.*

Act. IV. ib.

Extat Joannis VIII. allocutio ad Episcopos in hanc formam: *Mecum viriliter stete, quærentes simul & judicantes tantæ patratores iniquitatis, tantaque temeritatis præsumptores. Tum subdit: Et vos fratres charissimi, ut decrevimus, nostræ communionis alienos tenete, & anathematizatos fautores eorum mecum facientes consternite.*

Alloc.  
Joan. ad Sy-  
nod. ib. p.  
309.

Hæc à fratribus postulabat, non cæca, ut ajunt, obedientia fieri, sed quæstione simul habita, simul prolato judicio: *Quærentes simul & judicantes.* Quamobrem Episcopi respondent his verbis, quæ simul & obedientiam & auctoritatem præferant: *Domine, Sanctissime ac Reverendissime Pater Patrum Joannes, Catholicæ atque Apostolicæ primæ Sedis Papa: nos famuli ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum & Belgicarum Episcopi . . . . . dolori vestro consentes condolemus; atque judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio Beati Petri & Sedis Apostolicæ, in eos & complices eorum, juxta sacros Canones spiritu Dei conditos, & totius Mandi reverentia consecratos, & secundum ejusdem Romanæ Sedis Pontificum decreta protulistis, voto, voce, atque unanimitate nostra ATQUE AUCTORITATE SPIRITUS SANCTI, cujus gratia in Episcopali ordine sumus consecrati, GLADIO SPIRITUS SANCTI, QUOD EST VERBUM*

Eph. VI.  
17.

DEL „



DEI, eos interimentes, persequimur. Scilicet quos excommunicastis, excommunicatos habemus; quos abjecistis, abjecimus; quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus; & quos regulariter satisfaciētes, vestra auctoritas & Apostolica Sedes receperit, recipiemus.

Sic Episcopi, cum decreta Sedis Apostolicæ recipiunt, ipsi quæstione habita, sententiam sententiæ, iudicium iudicio, auctoritatem suam à Deo profectam, summæ à Deo profectæ Romanæ Pontificis auctoritati, coniungunt; gladium spiritus simul exerunt; Sedis Apostolicæ statuta, voto, voce, ipsa sua unanimitate & auctoritate prosequuntur: non quod iudicium suum & auctoritatem, Sedis Apostolicæ iudicio & auctoritati coæquant, sed quod intelligant, ex ipsa consensione atque unanimitate plenum robur existere.

Interim Romano Pontifici auctori ac præeunti se obedire profitentur; sed pronuncianti, privilegio beati Petri ac Sedis Apostolicæ: quod sic postea interpretantur; juxta sacros Canones spiritu Dei conditos, ac totius Mundi reverentia consecratos, &c.

1b. act.  
II. p. 307.

Hinc illa in ejusdem Synodi Tricassinæ Act. II. Hincmari Rhemenfis professio: Secundum sacros Canones spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia consecratos, quos Apostolicæ Sedes, per Beatum & Dominum nostrum Papam, & Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater, privilegio Sancti Petri damnat, damno; quos anathematizat, &c. & quod in omnibus secundum Scripturarum tramitem, sacrorumque Canonum decreta Sedes Romana tenet, per omnia & in omnibus, pro scire & posse meo, perpetuum prosequor & teneo. Quæ tam clara sunt, ut ea legere tantum oporteat, ac ne verbum quidem addere.

## C A P U T XXII.

*Objecta solvuntur: Turonensis II. Concilii Canon: Statuta NICOLAI Papæ: Canones Pontigonensis Synodi: quæ Petri Privilegio facta habeantur: S. LEONIS insignis locus.*

Anon. de  
libert. &c.  
lib. vii. c. v.  
n. 10.  
Conc.  
Turo. II.  
Can. XX.  
Tom. V.  
Conc. p. 859.  
Ep. Inn. ad  
Viët. c. xii.  
T. II. Conc.  
p. 1152.

**H**is objicere solent, Summorum Pontificum decretales ab omnibus Ecclesiis, præsertim à Gallicanis, summa cum veneratione fuisse susceptas, ac legis instar habitas: quæ quidem certa sunt, sed quæstio est, an Ecclesiæ eas decretales indiscussas reciperent? Receptas certè, & totius Mundi reverentia consecratos, inviolabiles fuisse nemo negat. Nihil ergo ad rem, quod profert novissimus scriptor Anonymus Concilii II. Turonensis anno 567. Canone XX. ita esse decretum: *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat?* Dictum de Sancti Innocentii epistola decretali ad Viëtriciū Rothomagensē, capite XII. quæ epistola pridem tota Ecclesia obtinuerat. Pergunt Turonenses Patres: *Et quorū aucterum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper aut intro-*



*intermisit , aut apocryphos fecerit . Et Patres nostri hoc semper custodierunt ,* Decret. Gelas. in Conc. Rom. an. 494. de script. apocry. T. iv. Conc. pag. 1. 61. & seq. Sup. lib. vij. c. 15 & seq.  
*quod eorum præcepit auctoritas .* Eorum sanè auctorum , quos Sedes Apostolica bonos probabilesque , non apocryphos ac suspectos duxerit . Allusum scilicet ad Gelasianum decretum , *de apocryphis* , ubique receptum . Jam vero quærimus , an aliter recepta ista sint , quàm illa Sancti Leonis ad Flavianum epistola . Atqui eam non indiscussam receptam fuisse , nec nisi facto examine , toto Orbe terrarum invaluisse constitit . Quo exemplo de cæteris judicandum , neque oplendæ paginæ præclaris verisque sententiis , quæ nihil ad rem faciant .

Nos autem , ne quid dissimulare videamur , ultro adducimus ea , quæ longè firmiora sint . Nempe inter statuta Nicolai I. Papæ , in Concilio Romano III. hæc leguntur : *Si quis dogmata , mandata , interdicta , sanctiones pro Catholica fide , pro Ecclesiarum disciplina , pro correctione Fidelium , pro emendatione sceleratorum , vel interdictione imminuentium , vel futurorum malorum , à Sedis Apostolicæ Præsede salubriter promulgata contempserit , anathema sit .* Quæ tam absolute , tamque universim dicta sunt , ut nihil aliud omnibus Fidelibus , adedque ipsis Episcopis , quàm cæcam , ut ajunt , obedientiam , relinquere videantur . Conc. Rom. iij. sub Nic. j. ann. 843. can. v. T. viij. Conc. pag. 769.

Neque ab iis abluunt , quæ à Patribus nostris , Episcopis scilicet Gallicanis , in Pontigonensi Synodo , anno 376. sub Joanne VIII Canone I. dicta sunt : *Ut Sancta Romana Ecclesia , sicut est caput omnium Ecclesiarum , ita ab omnibus honoretur & veneretur ; neque quisquam contra jus & potestatem ipsius , aliquid injustè agere præsumat ; sed liceat ei debitum tenere vigorem , & pro universali Ecclesia pastorem exhibere curam .* Canone II. *ut honor Domino & spiritali Patri nostro Joanni Summo Pontifici , & venerabili universali Papæ , ab omnibus conservetur ; & quæ secundum Sacrum Ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit , cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur , & debita illi obedientia in omnibus conservetur .* Conc. Pont. Can. j. & ij. T. ix. p. 285. 286.

Sed hæc ex ante dictis elucescunt : inhæret enim ex perpetua Patrum Traditione , ejusmodi decretis , interpretatio & exceptio inseparabilis ; ut Romani Pontifices , si quid contra Canones , nedum contra legem Dei , & Scripturarum tramitem , decernerent , non id privilegio Petri ac Sedis Apostolicæ decernere viderentur . Vid. sup. prof. Hinc. c. xxi. Leo. Mag. Serm. iij. in anniv. Assumpt. ejusd. c. ij. Vid. ep. Carol. Cal. ed Adr. ij. int. Hincm. ep.

Hinc illa , quam legimus professio obedientiæ , *secundum Scripturas , secundum Canones .* Favebat & illud Sancti Leonis , toties per ea quoque tempora celebratum : *Manet ergo Petri privilegium , ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium .* ( o ) Vid. ep. Carol. Cal. ed Adr. ij. int. Hincm. ep.

Neque tamen ea , sive interpretatio , sive exceptio , ubique ac necessario addebatur ; fiebantque Canones absoluta auctoritate , de præstanda obedientia ,

[ o ] *Judicium .* Carolus Calvus in sua ad Adrianum epistola , sive potius Hincmarus Rhemenfis , hujus epistolæ auctor , inde concludit , *non manere Petri privilegium , ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium ;* quam sententiam sæpe iterat in eadem epistola . Nam tunc temporis , cum Romani Pontifices interdum non nihil conarentur , ut jugum canonum à se depellerent , & suam amplificarent auctoritatem ; Gallicani Præsules eo studiosius prædicabant nullius momenti esse ea judicia , quæ canonica æquitate non niterentur . Vid. Car. Calv. ep. inter Hincm. & D. de Marc. de Concord. &c. Lib. iv. cap. vi. num. 3.



Heb. xii. 17. tia, eo planè more rituque, quo passim ab Apostolis dictum: *Obedite Præpositis*, quòd Præpositi contraria legibus & Canonibus decreturi haud facile præsumantur.

Hac igitur lege Romanorum Pontificum decreta recipiebant: non quòd sibi iudicium adversus Judicem arrogarent; sed quòd Canonibus apertè ad-  
versa, non ipsi, sed Canones respuere putarentur.

Hujus rei ne longius argumenta repetamus, exemplum habemus præ manibus, in ea ipsa, quam nobis objiciunt Pontigonensi Synodo.

Conc.  
Pontig. act.  
j. T. IX. P.  
281.

Nempe Joannes VIII. cui tam perspicuis, validisque sententiis debitam obedientiam impondissent, Ansegilum Archiepiscopum Senonensem per legationem perpetuam, Apostolicæ Sedis potestate extraordinaria, evehebat; quod cæteri Metropolitani, assentientibus coepiscopis, præter Canones existimabant factum. Ansegilo Carolus Calvus Imperator impense favebat. Quærenti ab Archiepiscopis, quid de jussis Apostolicis responderent, data est responsio: *Ut servato singulis Metropolitanis jure privilegii, secundum sacros Canones, & juxta decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex iisdem sacris Canonibus promulgata, Domni Joannis Papæ jussionibus obedirent: & cum Imperator & Legati Apostolici satagerent ut ABSOLUTE Archiepiscopi responderent se obedituros de Primatu Ansegisi, sicut Apostolicus scripsit; aliud, nisi quod prædictum est, ab eis extorquere non potuerunt.*

Ibid.  
\* Hinc.  
maro.

Rex multa comminatus, vicisque Apostolicas sibi commissas præferens, sua ac Papæ auctoritate præcepit; ut Ansegilus *supergrederetur omnes ante se ordinatos, Rhemorum Archiepiscopo \* reclamante, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare.*

\*\*Tusca-  
nienfi Epif-  
copo.  
Ib. fefs.  
vii. p. 282.

Interrogati rursus Archiepiscopi à Joanne \*\* Legato Apostolicæ Sedis, de Joannis Papæ jussione singuli responderunt: *Quòd veluti sui antecessores, illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita ejus decretis vellent obedire.* Subdunt acta: *Tunc facilius est illorum admissa responsio, quàm fuerat in Imperatoris præsentia.* Sic Legatus Apostolicus, Episcoporum secundum Canones lata responsa, æquo animo audiebat.

Ib. fefs.  
vii. p. 283.

Alia Sessione legit *Odo Belgivacorum* (idest Bellovacorum) *Episcopus, quædam capitula à Legatis Apostolicis & ab Ansegiso & eodem Odone, sine conscientia Synodi dictata, inter se dissona, & nullam utilitatem habentia; verum ratione & auctoritate carentia.* Quid autem addit de iis, quæ nulla ratione, nulla canonum auctoritate fulta essent? Nempè id: *& ideo hic non habentur subjuncta: quippe quæ Synodo irrita visa fuerint.*

Sic Majores nostri Romani Pontificis decreta, reverenter quidem, non tamen indiscussa suscipere consueverant: ipsi canones exequenti, aut secundum canones præeunti, reluctari nefas putabant.

Qui hoc obtentu omnia legitima imperia solvi posse nugantur, hos remitto ad Theologos, qui ista pertractant. Nobis sufficit ex certo & perspicuo Dogmate, objecta diluisse.



## CAPUT XXIII.

*Aggredimur demonstrare viros bonos sanctosque post Romanorum Pontificum decreta etiam de Fide, suspensio animo mansisse, quoad universalis consensus accederet: Sancti VICTORIS Papæ decretum de Paschate proponitur: Sancti STEPHANI de rebaptizatione paucis repetitur*

**H**INC factum est ut viris Sanctis bonisque fraudi non fuerit, quod Romani Pontificis, recta etiam sentientis, pronuntiato non statim adhæserint; antequam scilicet Catholicæ Ecclesiæ auctoritas accessisset.

Hujus rei multa exempla memorantur. Primum illud II. sæculo de S. Victore Papa qui post Petrum Pontifex XIII. fuit. Nota res est. De Paschali die cum Asianis agebatur: hi cum Judæis XIV. Lunæ celebrabant, antiqua traditione nixi, quam à Joanne Apostolo repetebant, inquit Eusebius: reliquæ omnes Ecclesiæ, ex Apostolorum Traditione, in proximam Dominicam quæ CHRISTI resurrectione sacra esset, conferebant. Atque hanc quidem sententiam Victor sequendam ab omnibus in Concilio Romano definivit; cujus, aliorumque Conciliorum \* definitionem Eusebius memorat.

Hac tamen definitione ad Asianos perlata, Policrates Ephesus cum Collegis suis Asianis Episcopis, ad ipsum Victorem hæc scribit: *Non moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Qui enim majores me sunt dixerunt: OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS QUAM HOMINIBUS.*

Nihil moror quæstionem: an eum & socios Victor ejus rei gratia excommunicaverit; an id tantum conatus sit. Certe Eusebius scribit, à *communicatione abscindere conatum*. Subdit tamen continuò: *Datisque literis, universos qui illic erant fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronunciat*. Eusebium secutus Socrates: *Victor Quarto-decimanis, qui in Asia erant, excommunicationis libellum misit*. Quare id quod Eusebius de conatu dixit, ed referendum videtur, quod res effectu caruerit. (p) Ut cumque est, Eusebius refert, non id placuisse omnibus Episcopis; non Irenæo, Gallisque nostris, *increpitumque Victorem*, quod parum paci consulere, etiam ab iis qui cætera cum ipso sentiebant. Neque minus certum est Polycratem & Asianos in sententia persistentes, pro sanctis piisque habitos:

(p) *Quod res effectu caruerit.* Non commodiori; imò nullo alio modo explicari possunt ea quæ tunc à Victore Papa facta fuisse constat. Nam quod dicit Valesius not. ad Cap. xxiv. Lib. v. Euseb. Victorem *interminatum fuisse* tantummodò Asianos, refellitur ab Eusebio, Socrate, Synodici auctore, ipso Baronio an. 198. & 201. & invictissimè à P. Halloixio societ. Jes. in Vita S. Iranæi, ubi etiam Halloixius optimis argumentis probat, Asianos non debuisset hujus excommunicationis metu, à sua sententia discedere. Vid. D. BOSQUET Epif. Montis-Pessul. Hist. Eccl. Gall. Lib. III. Cap. xv. & imp. D. DE TILL. vit. Vict. Cap. vi. & not. Tom. III. p. 108. & 634.

Euseb. Hist. lib. v. c. xxij. p. 151. 155. ed. val.

\* Palestinæ, Pontii, Galliarum & Osdro enProvinciæ. Ib. c. xxiv. p. 156. Act. v. 19. Euseb. Ib. c. xxxvj.

Socrat. lib. v. c. xxij. p. 24. ed. Val. Euseb. loc. cit. vid. ib. epist. Iren.



tos : neque Quarto-decimanos hæreticis accensitos, nisi post œcumenicæ Nicænæ Synodi sententiam .

Ibid. Neque dicant rem levem fuisse, quæque ad fidem pertinere non videtur . Omnino enim Victor excommunicabat Asianas vicinasque Ecclesias, *heterodoxa*, hoc est, ut eruditè Valesius vertit, *contraria rectæ fidei sentientes*; *ὡς ἑτεροδοξοῦσας*. Neque aliter Polycrates sentiebat . Is enim in sua ad Victorem epistola sic scribit : *Hi omnes diem Paschæ XIV. die juxta Evangelium observarunt, nihil omnino variantes, sed REGULAM FIDEI constanter sequentes* .

Ib. p. 191. Tert. de præf. hæ. c. liij. ed. Prior. pag. 223. \*Lunaris. \*\*Nicenæ. Epiph. hæ. xxx. si. ve L. T. i. ed. Pet. p. 419. Conc. Eph. act. vj. T. iij. p. 682. & seq. Neque verò res orthodoxis exigui momenti videbatur; quippe qui intel- ligerent, Asianorum sententiam ad Judaïsmum pertinere. Tertullianus re- censens hæreticos, graviter dicit : *Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaïsmum vult introducere : Pascha enim dicit, non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi XIV. mensis* . \* Talia sentientes ac Traditioni Apostolicæ adversos, à Victore insuper Papa con- demnatos, inter pios habuere, usque ad œcumenicæ Synodi \*\* judicium : quo edito *ἡ ἀποστολικὴ δέτασις* hoc est Quarto-decimani hæretici ab Epi- phanio aliisque memorantur; receptique in Ephesina Synodo, ut qui ab hæresi resipiscerent .

Pari ratione vidimus, post Stephani Papæ decretum, Cypriano, Firmi- liano, innumerisque collegis certam excusationem partam : non modò, te- ste Augustino, sed etiam tota probante Ecclesia, quæ horum memoriam consecravit . Jam alia videamus .

## CAPUT XXIV.

PELAGII I. piis & orthodoxis suspecta fides propter approbatam Synodum V. non ut Doctor privatus, sed ut Papæ suspectus, exposita fide, non al- legata infallibilitate se purgat .

EODEM loco memorare possumus Pelagii I. tempore, Francorum Re- gem Childebertum, & Gallicanos Episcopos, aliosque viros bonos, qui de hujus Pontificis fide dubitarunt .

Causa dubitandi fuit V. Synodus ab ipso suscepta; quæ Synodus mul- tis Occidentalibus videbatur Concilii Chalcedonenfis, ac Sancti Leonis fi- dem infregisse .

Id si esset, non erat dubium, quin Romani Pontifices, atque ipse Pela- gius decrevisent contra fidem, qui erroneam Synodum in auctoritatem rece- pissent .

Hic Pelagius non inclamat, seque & Romanos Pontifices errare non posse, schismaticosque eos esse, qui in eorum decretis errorem suspicentur; sed modestè se purgat, edita suæ fidei clara professione; primum ad Childebertum Regem, qua anathematizari à se declarat, quod Sancti Leonis, & Concilii Chalcedonenfis fidei adversetur; atque *hoc*, inquit, breviter ad-

sa-



sanandum animum vestrum , vel omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum in Pelag. j.  
Gallia regionibus consistentium , faciendum esse perspeximus . epist. x. ad

Eodem ferè modò Episcopis Tusciæ satisfaciit : Hoc , inquit , Dilectionem Childeb. T.  
vestram certissimè nosse desidero , me illam , donante Domino , custodire fidem , v. Conc. P.  
quam sacra Apostolorum doctrina constituit , quam Nicænæ Synodi firmavit au- 798.  
thoritas , quam Constantinopolitanæ , Ephesinæ primæ & Chalcedonensis sancta- Id. ib. ep.  
rum Synodorum explanavere sententiæ ; nec quidquam de præfatarum Syno- vj. ad Episc.  
dorum definitionibus vel imminuisse me aliquid , vel auxisse , aut in aliquo per- Tusc. p. 795.  
mutasse . Ac paulo post : Hac igitur Dilectio vestra fidei nostræ professione  
munita ignorantiam hominum edocere festinet . Denique id subdit : Si cui  
superstet scrupulus , ad se veniat , ut rationabili satisfactione percepta , universa- 1. Pet. iij.  
li reformetur Ecclesiæ ( q ) . Nos enim , secundum Apostolicam sententiam , 5.  
parati sumus AD SATISFACTIONEM OMNI POSCENTI NOS RATIO-  
NEM DE EA , QUÆ IN NOBIS EST FIDE , quia in nullo nos à San-  
ctis Patribus deviasse cognovimus .

Eandem satisfactionem reddit epistola edita ad universum populum Dei : Pelag. ep.  
Id autem est , inquit , ut fidem meam , annexa subter professione definiam , in vij.  
qua Deo propitio , & rectæ me Apostolorum doctrinæ , & Patrum inherere vesti-  
giis evidenter appareat .

Cùm nec sic animi penitus quiescissent , tandem ad Childebertum Regem  
integram fidei suæ professionem dedit , cum hac præfatione : Veniens Rus- Ejusd. ep.  
nus vir magnificus , Legatus Excellentiæ vestræ , confidenter à nobis , ut decuit , xvj. ad  
postulavit , quatenus vobis , aut beatæ recordationis Papæ Leonis tomum , à Child. pag.  
nobis per omnia conservari , significare debuissimus , aut propriis verbis nostræ 803.  
confessionem fidei destinare , & primam quidem petitionis ejus partem , quia  
facilior fuit , mox , ut dixit , implevimus ( de tomo Leonis scilicet , quod  
epistola X. supra memorata fecerat ) ut autem deinceps , nullius , quod absit ,  
suspicionis resideret occasio , etiam aliam partem facere maturavi , scilicet pro-  
priis verbis confessionem fidei , quam tenemus exponens . Ibid.

Cùm ergò id faciat pro auferendo suspicionis scandalo , atque ut modò  
legimus , ne ulla suspicionis resideret occasio ; apparet fidem ejus & Regi &  
Episcopis Gallicanis , aliisque orthodoxis licèt ac piis , fuisse suspectam ,  
quibus satisfecit , fidem profitendo , non se infallibilem prædicando .

Respondebunt id fecisse humili condescensu . Imò proficitur id fecisse Ibid.  
jussu Petri præcipientis reddendam omni poscenti fidei rationem : unde  
inquit ,

( q ) *Universali reformetur Ecclesiæ .* ) Minus considerati fuerunt in eo certè ne-  
gotio Gallis Episcopis Episcopi Hetrusci , qui nempe cùm palàm dicerent Romanam  
Sedem factam fuisse hæreticam , quando tribus capitulis consensit , ab ea desciverunt .  
Quapropter Pelagius jubet eos *universali Ecclesiæ reformari* , id est , denuò jungi . Non  
sic ille loquitur ad Childebertum de Galliæ Episcopis . Quanquam enim Galli que-  
rebantur factum fuisse Papam erroris magistrum , non tanta res eis videbatur , ut id-  
circo ab ejus communione abscederent . Hic tacere non possum id quod Ecclesiæ  
nostræ Gallicanæ laudem parè est vel maxima : hanc eam semper fuisse , quæ  
piè juxta doctrinæ Ecclesiæ Africanæ insitens vestigiis , à schismatibus imprimis  
abhorruerit , nihilque habuerit antiquius concordia & unitate ; adeò ut multoties  
multisque modis à curia Romana variis laceßita temporibus , sua jura , suas Li-  
bertates , suam doctrinam defenderit fortiter quidem , sed tamen ea moderatione  
eque prudentia , ut simul Ecclesiasticæ paci studiosissimè consuluerit .



inquit, *fidem meam præsentem ad Excellentiam vestram colloquio intimandam, necessario judicavi*; jubente scilicet Apostolo; non humili ac voluntario condescensu.

Denique respondebunt, fuisse suspectum ut Doctorem privatum, non autem ut Papam; imò verò ut Papam: quo nomine V. Synodum, unde suspicio orta esset, suscepisset.

## CAPUT XXV.

BONIFACIUS III. seu IV. *eadem causa Sancti COLUMBANO Presbytero suspectus.*

**E**ADEM suspicio etiam diutissimè hæsit animis, quamquam Synodus V. à Vigilio Papa, à duobus Pelagiis, atque etiam à Gregorio Magno comprobata erat. Qua de re extat Sancti Columbani, seu Columbi, aut Palumbi, Presbyteri omni sanctitate conspicui, gravis epistola. Repetendum autem animo est, ejus Synodi gratia multas in Africa & Italia Ecclesias à Romana Sede defecisse. Non ita Columbanus, qui in ultima Scotia, Romanæ tunc Sedi addictissima, natus & educatus. Cum tamen in Italiam, post mortem Gregorii Magni venisset, ibique propter V. Synodum à Romanis Pontificibus approbatam, tam populorum quam Præsulum scindi studia intellexisset, hæc ex Monasterio suo Bobiensi, \* instinctu Agilulfi Longobardorum Regis & Theodelindæ Reginae scripsit ad Bonifacium III. seu IV. nondum enim id mihi constitit. Sic autem incipit epistola: *Totius Europæ Ecclesiarum capiti, Pastorum Pastori, Bonifacio Patri, Palumbus.* Tum subdit: *Doleo de infamia Cathedræ Sancti Petri.* Tum illud: *Ut honore Apostolico non careas, conserva fidem Apostolicam, confirma testimonio, roboras scripto, muni Synodo*: in eo enim vim reponabant; unde sequentia: *Vigila, Papa, vigila; quia fortè non benè vigilavit Vigilius, quem caput scandalis isti clamant.* Postea: *Causa schismatis incidatur cultello quodammodo Sancti Petri, id est, vera in Synodo fidei confessione.* Ac mox: *Dolendum enim ac deflendum, si in Sede Apostolica Fides Catholica non tenetur.* Tunc rogat Pontificem, *quare vel infamare auderet fidei orthodoxæ Sedem principalem.* Magnificè ac præclarè de Sedis Apostolicæ Majestate dictum; ac statim: *Ut caligo suspicionis tollatur de Cathedra Sancti Petri.* Tum: *Jam vestra culpa est, si vos deviaſtis de vera fiducia & primam fidem irritam fecistis.* Merito vestri juniores vobis resistunt, & merito vobiscum non communicant, donec memoria perditorum deleatur. *Vestri erunt judices, qui semper orthodoxam fidem servaverunt, licèt juniores vestri sint.* Juniores, illius sæculi stylo, inferiores vocat, cum Prælati ac Præpositi passim Seniores dicerentur.

Ergone, inquires, vir tantus dicere potuit ad Romanum Pontificem, *merito ei non communicari*? Certè si pergeret, uti Columbanus putabat, hæresim profiteri, nec se admonitus corrigeret. Cæterum nihilo secius ipse

\* In Mediolanensi tractu.

Epist. iv. Columb. ad Bonif. T. Apostolico non careas, conserva fidem Apostolicam, confirma testimonio, roboras scripto, muni Synodo: in eo enim vim reponabant; unde sequentia: Vigila, Papa, vigila; quia fortè non benè vigilavit Vigilius, quem caput scandalis isti clamant. Postea: Causa schismatis incidatur cultello quodammodo Sancti Petri, id est, vera in Synodo fidei confessione. Ac mox: Dolendum enim ac deflendum, si in Sede Apostolica Fides Catholica non tenetur. Tunc rogat Pontificem, quare vel infamare auderet fidei orthodoxæ Sedem principalem. Magnificè ac præclarè de Sedis Apostolicæ Majestate dictum; ac statim: Ut caligo suspicionis tollatur de Cathedra Sancti Petri. Tum: Jam vestra culpa est, si vos deviaſtis de vera fiducia & primam fidem irritam fecistis. Merito vestri juniores vobis resistunt, & merito vobiscum non communicant, donec memoria perditorum deleatur. Vestri erunt judices, qui semper orthodoxam fidem servaverunt, licèt juniores vestri sint. Juniores, illius sæculi stylo, inferiores vocat, cum Prælati ac Præpositi passim Seniores dicerentur.



in Sedis Apostolicæ communione persistit : Nos enim , inquit , devincti sumus Cathedræ Sancti Petri : licet enim Roma magna est & vulgata ; per istam Cathedram tantum apud nos magna est & clara ; dignitate scilicet ducta à Petro & Paulo Apostolis . Neque enim aliter Scoti , qualem se profitetur Columbanus , Romam noverant , Romanis armis prorsus intacti ; solaque fides eis Romam commendabat . Unde hæc : *Roma Orbis terrarum caput est Ecclesiarum* : quæ quidem , Roma scilicet , idè præcellere videbatur , quod propter Cathedram Petri , sit fidei orthodoxæ Sedes principalis . Hinc addit Columbanus : *Sicut magnus honor vester est pro dignitate Cathedræ , ita magna cura necessaria , ut non perdatis vestram dignitatem per aliquam perversitatem . Tandiu enim potestas apud vos erit , quandiu recta ratio permanserit . Tum illud præclarum : Unitas fidei in toto Orbe unitatem fecit potestatis .*

Ibid.

Ib. p. 29.  
& 30.

Hinc de Concilio V. ab eoque sublata personæ unitate & dualitate naturæ dicit , tum ad ipsum Pontificem , qui eam Synodum comprobasse diceretur : *Multi dubitant de fidei vestræ puritate : mox : Tollatis hunc nævum de Sanctæ Cathedræ claritate : non enim decet Romanæ Ecclesiæ gravitatem hac instantis levitatis fama moveri a soliditate veræ fidei .*

Ib. p. 31.

An ergò existimabat veram fidem extinctam esse Romæ , cum Clerus universus totaque Ecclesia Romana suis Pontificibus adhæreret ? Neutiquàm . Imò verò dicebat : *Ego enim credo semper columnam Ecclesiæ firmam esse in Roma* : quod nempe putabat , id non pertinaci animo factum , atque admonitos facillè redituros ; neque unquam futurum ut Cathedra Petri à vera fide , veraque Ecclesia pertinacibus studiis abrumperetur .

Ibid.

Eodem animo Gallos fuisse vidimus sub Carolo Magno , Ludovico Pio , Carolo Calvo , religiosissimis Regibus , post Nicænam II. Synodum , quam à Papa licet approbatam pro œcumenica non habebant , neque ullo modo admitterebant : neque minùs pii Catholicique habebantur .

Sup. lib.  
vij. c. xxxj.

Neque hic necesse est afferre cum Polycrate Asianos , cum Cypriano Afros , cum Columbano Scotos , Gallos , Italos seu Longobardos , alios ; cum in promptu sit memorare Ephesini Concilii ducentos , Chalcedonenfis sexcentos , aliorumque Conciliorum innumerabiles Episcopos , iisque cohærentem Catholicam Ecclesiam , à quibus Romanorum Pontificum decreta pro irrefragabilibus non sunt habita , quoad Ecclesiæ universæ consensione probarentur .



## CAPUT XXVI.

*Romani Pontifices professi se Apostolico officio fungentes esse errori obnoxios  
in auctoritate universalis Ecclesiæ acquiescunt : locus*

INNOCENTII III.

**Q**UIN ipsi etiam Romani Pontifices non nisi in universalis Ecclesiæ auctoritate acquiescunt. Neque jam antiquos allegamus sæpe memoratos. En postremis temporibus, Innocentius III. celebri epistola ad Philippum Augustum Regem. Rogatus enim à Rege ut ejus conjugium \* solveret, sic respondet : *Sed in carnali commercio inter te ac Reginam conjugem tuam adeo processum est, quod si etiam illi tantum confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem Regina fecisse proponitur, non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse CHRISTUS expressit; ut QUOD DEUS CONJUNXIT, HOMO NON SEPARET; cum absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta, intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verum si super hoc absque generalis determinatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsitan ordinis & officii nobis periculum immineret; cum contra præmissam veritatis sententiam nostra non posset auctoritas dispensare. En unde auctoritatem quærat in rebus maximis, en unde etiam poenam metuat, si inconcessa tentarit.*

An dicent hic induere personam privati Doctoris, qui à tanto Rege interrogatus, ut specialissimo Sedis Apostolicæ officio, suprema scilicet dispensatione fungeretur, hoc responsum ediderit, quique professus sit, à se tractari rem deliberatione generalis Concilii dignam? Ergo in tanta re infirmitatis humanæ sibi concius, agnoscebat aberrare se posse ab Evangelica veritate ex Apostolico officio respondentem. Hic ne ullum quidem dicit verbum novissimus auctor Anonymus, qui ad hunc explicandum nodum tanta congeffit. Unum hoc non perpendit, in quo est difficultas: à Papa agnitum id fieri posse, ut ipse quætionem fidei inconsultò definiret, ac propterea loco caderet.

An fortè ad Pighianas redeunt ineptias; & illud Innocentii, *Si hæc tentaremus, ita interpretantur: Si per impossibile;* ut quoniam Paulus semel dixit: *Licet Angelus de Cælo quid novi annuntiaverit, anathema sit;* jam non liceat de Pontifice aberraturo loqui, nisi per impossibile: quamque vehementiam ac magniloquentiam adhibuit Paulus, ad adstruendum immobilem Evangelii stabilitatem, eam ad unum hominem infirmum & imbecilem transferre necesse sit; aut verò oportuerit in eo laborare Innocentium III., ut explicaret, quid factura esset Synodus generalis, si ipse aliquid impossibile perfecisset?



## CAPUT XXVII.

JOANNIS XXII. *fidei professio, omnia quæ in Apostolico officio gessit etiam circa fidem, iterum examinari posse demonstrat.*

NOTA est etiam illa professio quam Joannes XXII. jamjam moriturus protulit . Is quippe de visione beatifica ad extremum usque iudicium dilata , cùm multa dixisset , quibus in hæresis suspensionem venisse se sentiebat , moriens ea de re mentem suam sic explicat , subditque : *Insuper si quæ alia sermocinando , conferendo , dogmatizando , decendo , seu aliter quovis modo diximus , prædicavimus , vel scripsimus circa præmissa , vel alia , quæ fidem concernant Catholicam , sacram Scripturam , vel bonos mores , ea in quantum consona sunt fidei Catholice , determinationi Ecclesie , Sacre Scripturæ , ac bonis moribus approbamus : aliter autem illa habemus & haberi volumus pro non dictis , prædicatis & scriptis , & ea revocamus expresse ; ac ea quæ de prædicta visione , & omnia alia dicta , prædicata & scripta nostra de quacumque materia , ubicumque & in quocumque loco , ac in quocumque statu , quem habemus , vel habuerimus hætenus , summittimus determinationi Ecclesie & Successorum nostrorum .*

Odor.  
Rain. T.  
xv. an. 1334  
num. 17. &  
ep. 1. Joa.  
xxij. T. xj.  
Cone. p.  
16-9.

Quid se infallibiliter dixisse , prædicasse , docuisse , dogmatizasse , scripsisse credidit , qui hæc , moriens iudicioque divino proximus profitetur ? an non clarè & liquidò status quoque Pontificii dicta scriptaque Ecclesie determinationi subicit ? Ecclesie verò suos successores addit pro dignitate sua specialiter appellandos . Huic igitur potestati sua omnia examinanda & iudicanda subicit . Quid autem est subicere , nisi retractanda atque examinanda omnia rursus , si Ecclesie ita visum sit , recognoscere ? Diceret saltem subicere se determinationi Ecclesie , quæ ut privatus Doctor docuerit : saltem decretales eas , quas de fide conscripsit , exciperet . An verò eas exceptas voluit , qui disertè exprimit , *quacumque , quovis modo , quovis tempore , quovis loco statuque positus , de quacumque materia , nec tantum de visione beatifica , sed etiam de quacumque alia re , quæ fidem concernat Catholicam , quæ Scripturam , quæ bonos mores , quanta potuit diligentia , explicavit .* An fortè quæ decretalibus definivit , non sunt eorum numero quæ *scripsit , dogmatizavit , atque prædicavit , cùm ea vel maximè omnium prædicavit ?* Ea ergò etiam determinationi Ecclesie subicit , & quidem hæc professus est nullius errati sibi conscius ; sed id tamen volens , ut si quid errasset , Ecclesia corrigeret . Neque verò hæc omnia tanquam per impossibile dixit : absurdum enim esset fidei professionem de impossibilibus rebus edere ; sed sibi conscius infirmitatis humanæ , ac divina iudicia , rebus etiam quas optimo animo gesserat , reformidans , totum se resolvit in Ecclesie fidem .



## CAPUT XXVIII.

*Ejusdem JOANNIS XXII. de animarum statu speciatim publico diplomate declarata fides, à BENEDICTO XII. successore ad examen revocatur.*

Ap. Rainald. ib.

**I**LLE verò Pontifex, non modo generatim sua omnia, quæque publicè, quæque privatim egerat, determinationi subijcit Ecclesiæ, sed etiam ea quæ speciatim & expresse de fide exponenda censuisset. Cerrè in ea, quam nunc commemoramus, fidei confessione, de animarum statu hæc speciatim edidit: *Ecce quòd nostram intentionem, quam cum Sancta Ecclesia Catholica circa hæc habemus, vel habuimus serie præsentium, ut sequitur declaramus. Fatemur siquidem & credimus, quòd animæ purgatæ separatæ à corporibus sunt in Cælo, & vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clarè, in quantum status ac conditio patitur animæ separatæ. Quæ cum expressissimè declarasset, ut suam & Ecclesiæ Catholicæ fidem, nihilo secius declarationem eam, Ecclesiæ & successorum determinationi subijcit.*

Hic rogare libet eos, qui à Romano Pontifice editam fidem, non aliam esse putant, quam ipsissimam Ecclesiæ Catholicæ fidem, qua ratione putent Ecclesiæ Catholicæ fidem à Joanne XXII. Pontificio diplomate declaratam, ipsius Ecclesiæ ac successorum suorum determinationi subijci potuisse, iterum examinandam.

An respondebunt à Joanne declarari fidem eam, quam privatus profiteretur, non verò quam Pontifex? Atqui fidem eam consignari voluit publico diplomate, præfixoque, ut in aliis, consueto titulo.

An verò causabuntur has Pontificias literas *grossatas* quidem fuisse, non tamen *bullatas*, superveniente obitu Joannis XXII. ut Benedictus XII. successor attestatur? Ad has ergò ineptias (r) talis quæstio devolvitur. *Bened. xij. ep. j. T. Atqui quod per tempus Joanni non licuit, Benedictus supplevit, bullatam- xi. Conc. que epistolam ad omnes dimisit Ecclesias, Pontificatus sui anno primo, P. 1793. Christi 1334.*

Neque eò secius fidem antecessoris, quam suam quoque esse edito diplomate confirmaverat, revocavit ad incudem, quæstionemque de clara visione per duos annos tractavit de integro; ac demùm desinivit anno Pontificatus III. CHRISTI 1336. Ergò existimavit Romanorum Pontificum authen-

Rainald. an. 1336. n. 1. 2. 3.

tico diplomate declaratam fidem, adhuc in quæstionem revocari posse. Nondum enim, inquires, rem dixerant, adhibitis omnibus solemnitatibus;

(r) *Has . . . ineptias* ) Quàm verò ineptiæ! Dehonestant enim non co-  
honestant Sanctam Sedem illi Theologi, qui rata nolunt esse decreta Apostoli-  
ca, nisi formalis vestiantur, iisque minutissimis, & Patribus nostris prorsus  
incognitis. Papæ auctoritas, quam colere debent omnes CHRISTIANI labefacta-  
tur, imò oppugnatur ab iis Ultramontanis, qui Pontificum decreta, alioquin  
ex doctrina Scripturæ, & Traditionis accuratè composita, eo uno irrita di-  
cunt



bus ; nondum ab omnibus tenendam sub anathemate , aut contrariam sententiam esse hæreticam : tanquam Romanam fidem , non nisi sub anathemate declarari oporteret ; cum profectò anathemata , non nisi suborta hæresi decerni soleant : vera autem fides , ut ante omnem hæresim atque omnia anathemata constitit ; ita absque anathemate declarari potest .

## CAPUT XXIX.

## GREGORII XI. ac PII IV. professio .

**Q**uo animo Joannes XXII. moriens , eodem animo Gregorius XI. Apostolica Sede in Urbem restituta nobilis , in iisdem appetentis lethi angustiiis constitutus , hæc edidit : *Volumus , dicimus & protestamur , ex nostra certa scientia , quòd si in Consistorio , aut in Concilio , vel in sermonibus vel in collationibus publicis , vel privatis , ex lapsu linguæ , aut alias ex aliqua turbatione , vel etiam lætitia inordinatà , aut præsentia Magnatum ad eorum forsitan complacentiam , seu ex aliqua distemperantia , vel inadvertentia , aut superfluitate , aliqua dixerimus erronea contra fidem Catholicam , quam coram Deo & hominibus , ut tenemur præ cæteris , profitemur , colimus & colere cupimus ; seu forsitan adhærendo opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter , quod non credimus , vel etiam ignoranter ; aut dando favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus ; illa expresse & specialiter revocamus , detestamur , & haberi volumus pro non dictis .*

Testam.  
Greg. XI.  
Tom. vj.  
Spicil. pag.  
676.

Quibus verbis æquè complectitur ea quæ in Consistorio , inque Concilio , ac ea quæ in colloquiis ; omniaque in se recognoscit , quorum causa quicumque mortalis scienter , vel ignoranter , privatim ac publice errare potuit .

Extat in eandem sententiam Pii IV. in Consistorio habita oratio , cum de Francisci Mommorancii Annæ filii matrimonio ageretur . Ea causa Romam missus D. DE LA HAYE , Doctor Theologus , hanc rei gestæ narrationem scripsit , quam Castelnavius \* diligens & candidus scriptor , commentariis suis integram inseruit . Is ergò Pontificem in Cardinalium cœtu , in hæc fere verba perorasse memorat : *Ego vos congregatos velui , ut à vobis audiam rem haud mediocris momenti ; utrum scilicet conjugium contractum per verba de præsentì , nostra potestate solvi possit . Diligenter advertite quæ dicam : non verba de futuro aut simplicem promissionem dicimus : querimus an conjugium per verba de præsentì initum , quod verum conjugium , verumque est Sacramentum secundum saniores Theologorum sententiam , à nobis solvi possit . Ne , quæsumus , tempus terite in colligendis antecessorum nostrorum exemplis & factis , quæ nos profitemur ita sequi velle , si cum Scripturæ auctoritate & Theologica ratione consentiant . Neque enim sum dubius , quin ego & antecessores mei ali-*

\* Seu potius LE LABOUREUR in iis quæ addit commentariis Castelnavi.

Le Laboureur, addit. aux mém. de Casteln. Tom. ij. p.

quando cunt esse , quòd Bullata non fuerint ; id est , quòd Secretarius sigillum plumbeum , cum imagine Petri & Pauli apponere neglexerit . Si ita est ut volunt ; ergò non ipse Papa est infallibilis , sed qui apponit sigillum Secretarius ; aut saltem Papalis tum cœpit infallibilitas , cum neoterica ea formula primùm invec̃ta est .



Aug. lib.  
de nat. &  
grat c. xxiv.  
n. 42. Tom.  
x. p. 144 &  
alib. pass.

quando falli potuerimus, non solùm in hoc facto, sed etiam in aliis. En quid Pontifices ritè interrogati, ut pro Pontificio officio respondeant, decernant, dispensent, de se ipsis sentiant. Hæc retulerunt ii qui nihil de Theologicis quætionibus cogitarent; sed rem, uti gesta, uti nota, uti divulgata erat, ita enarrarunt. Neque quidquam novi Pius IV. loquebatur: ab antecessoribus consentanea audivimus, qui in exequendo Apostolico officio contra veram à Scripturis traditam fidem, errare se potuisse senserunt. Hunc igitur sensum illis ipsa fidei veritate insitum credimus; qua etiam veritate est insitum Christianis omnibus, ut se quotidie peccare multa sentiant: atque utrosque credimus, non modo humiliter, sed etiam veraciter confiteri; ipsamque humilitatem non verbis, aut falsa sententia, sed veritate niti, ut Patres Carthaginenses, & Sanctus Augustinus docent.

## CAPUT XXX.

*Ecclesiæ Catholicæ auctoritas multis casibus Ecclesiæ Romanæ laborantis auctoritatem supplet: primum exemplum, sæculi X. invasores.*

**O**PERÆ pretium erit considerare attentius ut Ecclesiæ Catholicæ auctoritas laborantem ac periclitantem adjuverit Romanam Ecclesiam, simulque, seipsam omni Romanorum Pontificum auxilio destitutam, Sancti Spiritus fulta præsidio sustentarit. Primum igitur tantisper redire in memoriam volumus sæculi X. infamiam; quo sæculo per septuaginta fere annos flagitiosissimi invasores Petri Cathedram occuparunt; postquam scilicet Imperatoria concidit auctoritas, Romæque omnia per vim ac libidinem gerebantur.

Bar. an.  
912 T. x.  
P. 679. &  
noto hoc.  
T. pass.

Ac Baronius quidem de his invasoribus sic agit, ut Sedes Apostolica vacasse videatur: eos enim appellat non modo abortivos, monstra, Sedisque Apostolicæ inquinatores; verum etiam, quod aperte ad nullitatem pertineat, invasores, intrusos, illegitimos, nullo pacto legitimos, ac nomine tenus Pontifices, Pontificis nomen usurpantes, pseudo Pontifices, qui non sint nisi ad consignanda tempora in Catalogo Romanorum Pontificum scripti. Neque tantum ait per vim ac metum in Petri Cathedram violenter immisos; sed etiam aliis causis cassos nullosque, Joannem XI. ac XII. (s) vix puberes: illum etiam spurium ac Sergii jam tum Papæ filium\* ac postea successorem; quod nihil magis canones abominantur; cui non ætas, non natalitia, non legitima suffragaretur electio; qui non nisi nomen Pontificis malis usurpatum artibus retinsret, Tales interim Pontifices ad multos annos sacrilegum Pontificatum prorogabant. Joannes certè X. (t) quo nullius fuit flagitiosior electio,

\* ex Ma-  
rozia cele-  
bri tunc  
scorto ge-  
nitum.  
Idem ib.  
an. 933. P.  
707.

atque  
(s) Joannes XI. ) Viginti quinque annos natus, Joannes XII. vix de-  
sem & octo Sedem Apostolicam invaserunt.

(t) Joannes X. ) Ravennatis Ecclesiæ minister, cum sæpius à suo Archie-  
piscopo



atque administratio tetrior, ad octodecim ferè annos. Quorum temporibus non Presbyteri, non Diaconi, sed foedissima scorta sacrosanctam potestatem administrabant; qui denique haud scio, an majore flagitio non pellerentur quàm intruderentur.

Hos ergò aded nullos Baronius existimare videtur, ut eò referat illud Actorum, quod ægros *umbra Petri* ab infirmitatibus liberaret: ut profectò habeantur, non pro veris Petri successoribus, qui ejus dignitatem, sed pro invasoribus, qui ejus umbram tantum ac speciem gererent.

Hinc idem Baronius Sedem Petri solis intar ac Lunæ perfectam, tamen confitetur *eclipses* esse passam: neque debere nos, *nimis rigide in Apostolica Sede majora requirere, quàm quæ in Symbolicis signis (u) fuerint divinitus demonstrata*.

Hæc igitur vacasse Sedem demonstrare videntur sub his propudiosissimis invasoribus. Addit tamen Baronius *accedente consensu Cleri* toleratos, ne Ecclesia schismate scinderetur; quosdam novis comitiis electos, atque hinc pro legitimis Pontificibus cultos: quod non ita contigisset, *nisi de facta*, inquit, *postea legitima electione constitisset*.

Nos nulla ejusmodi nova comitia legimus; nullas electiones novas; neque consensus Cleri Romani quidquam hic juvat, cum ipse Clerus nihil sani aut corruptus cogitaret, aut oppressus agere posset. Id quidem certum est, qui Sedem Petri tenere viderentur, eos per totam Ecclesiam agnitos atque observatos fuisse; nempe quòd Ecclesia Catholica præstabilius judicaret, pravum caput habere, quam nullum.

Hinc igitur illis Pontificibus certior affulget auctoritas ex consensu Catholicae Ecclesiae eos agnoscantis, quæ Sancti Spiritus auctoritas est. Hæc auctoritas Ecclesiae Romanae Ecclesiarum matri succurrebat, cum nihil opis afferre posset ipsa sibi. Hæc Ecclesiae Catholicae auctoritate suppleta sunt, quæ talium Pontificum electioni & administrationi deerant. Hujus auctoritatis plenitudine factum est, ne quæcumque fierent, hoc defectu cassa conciderent.

piscopo Romam dirigeretur, videbat Maroziae sororem Theodoram, scorum impudicissimum, & cum ea scelestissime commiscebatur. Illis autem temporibus, tantum in Ecclesia Romana poterat Theodora, ut illius impulsu, Joannes crearetur Bononiensis Episcopus, mox Ravennensis Archiepiscopus, demum, mortuo Landone Papa, in Sedem Apostolicam collocaretur. Timebat enim illa, inquit post Luitprandum Baronius, *ne Anastasi ducentorum miliarium interpositione, quibus Ravenna sequestratur à Roma, rarissimo concubitu potiretur*. Bar. an. 912. p. 61.

(u) *Symbolicis signis &c.*) Hæc ut intelligantur, sciendum est Baronium ad Sedem Apostolicam accommodare illam Davidis prophetiam: *Sedes ejus sicut sol in conspectu meo & sicut Luna perfecta in æternum Ps. lxxxviii. Ea Sidera*, inquit Baronius, *interdum obice nubium minus lucent & eclipsibus intercurrentibus redduntur obscura*. . . . Non ergò aded mirandum homines peccatores in Sede Apostolica sedisse. Sed David hic loquitur de Throno CHRISTI inconcussò semper futuro, qui Thronus idèd dicitur similis Soli & Lunæ, five quia ea signa manent semper eadem, licet nostris oculis nunc clatiora, nunc obscuriora videantur; five quia David sic perfectum Solem mente conciperet, qui *obice nubium* nunquam obscuraretur, & Lunam perfectam quæ nullas pateretur eclipses. Hanc hujus loci explicationem afferunt omnes Scripturæ interpretes, & ipse D. BOSSUET comment. in Ps. Nos tamen Baronio non admodum succensemus hæc verba ad Sedem Apostolicam accommodanti; sed observandum erat ea de solo CRISTO & æterno ejus Throno propriè verèque debere & posse intelligi.

Bar. loc.  
sup. cit.  
Act. v. 15.

Bar. an.  
897. p. 641.

Ib. p. 640.

Ibid.



rent. Est ergò Ecclesiæ Catholicæ plenissima ac suprema & universalis auctoritas, qua, quæcumque deficiant etiam in Ecclesia Romana suppleantur.

## CAPUT XXXI.

*Alia exempla: turbæ sub SERGIO III. ordinationum FORMOSI Papæ gratia: AUXILII Presbyteri locus: aliæ turbæ sub JOANNE XII. turbæ graviores, atque incertior status in d'uturno schismate inter URBANUM VI. & CLEMENTEM VII.*

**M**AJORE perturbatione res erant Stephani VII. & Sergii III. temporibus, anno CHRISTI 897. & 908 Hi enim præter quàm quòd per vim intrusi sunt, ad malorum cumulum multa insuper addiderunt. Hinc illa in Formosum Papam atrox sententia, (x) quòd à Portuensi Episcopatu in Sedem Apostolicam translatus esset. Tunc ejus Cadaver projectum in Tiberim à Stephano VII. & quanquam Stephani acta Joannes IX. resciderat, Sergius tamen III. Episcopus omnes à Formoso ordinatos, item Presbyteros, sive ab illis Episcopis, sive ab ipso Formoso ordinatos, aut abjiciebat, aut de novo ordinabat. Quo tempore ordinationes, *exordinationes*\*, ac *superordinationes* contigerunt eæ, quas Auxilius eorum temporum egregius Presbyter deploravit.

\* Id est ordinationes irritæ.

Vid. lib.

Auxil. de

sacr.ordin.

Tom. xvij.

Bib.Pat.p.

4. & seq.

Ib. cap.

xxvij.p. 9.

Ib. cap.

xxxiv.p.10.

Id.Dial.

ad Leon.

Nol.Episc.

c. xvij.1b.

P. 17.

Ibid.

Idem. de

sacr.ordin.

c.xl. p. 10.

Dial.c.xxx.

xxxj. p.21.

Is igitur propter Formosi causam, cùm à Sergio III. exordinatus esset, in ministerio stetit; aliisque eadem causa deiectis, ut starent, auctor fuit, ea vel maximè causa, quod si omnis ordinatio à Formoso profecta cassæ esset, Italiæ regiones longè latèque *jam circiter viginti annos absque Christiana religione, absque Sacerdotio, absque sacramentis vixerint.*

His aliisque de causis jussu à Sergio sub excommunicationis pœna, Sacerdotali ministerio abstinere, edito libro *de Sacris ordinationibus*, ac postea Dialogo, qui inscribitur: *Insenfor, & Defensor*; respondit; quod pastoribus injusta jubentibus obediendum non esset; quòd excommunicatio ejus rei causa lata nulla haberetur; quòd aliud sunt *Pontificales Sedes, aliud Præsidentes*; quòd *honor & dignitas uniuscujusque Sedis venerabiliter observanda sunt*; *Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt, hoc est, si contra fidem, vel Catholicam Religionem agere cœperint.* En quod Romano Pontifici exprobraret. Addebat non observandam excommunicationem eam, quæ ad *committendum facinus pertineret.* Usque aded fieri potest, ut quis ad facinus à Romano Pontifice etiam sub excommunicationis pœna adigatur. Concludebat verò sic, suo & sociorum suorum nomine: *Idèoque in sacro ordine, quo consecrari sumus permanentes, præstolamur universalis Concilii æquissimum examen.* Quin etiam illud Concilium non à Pontifice, qui omnia conturbaret, sed ab Imperatore expectabat. Adeò in Ecclesia Romana intestinis

(x) *Atrox sententia.* Quis non miretur de unius Episcopi translatione tam anxie religiosos esse Papas eos, qui religionis nulla habita ratione, se tot sceleribus commaculabant Vid. eorum Vitas Tom. ix. Conc. Labb.



intestinis discordiis laborante, nihil erat opis : ac dum Synodus, consentientibus Episcopis, cogeretur, ipse à Sergio habitus communionis expertus, Ecclesiæ Catholicæ, eique connexæ Romanæ Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ communione gaudebat.

Auxilium Presbyterum Sigebertus primum, atque ipse Baronius honorificè memoravit. Et Baronius quidem ait, hæc quæ Auxilius deploravit, *perpetrata ab invasoribus & intrusis in Apostolicam Sedem, Pontificis nomen usurpantibus*. Verùm Auxilius non ita se tuetur; neque respondet Sergium illegitimum Pontificem à se impunè contemni; sed recurrit ad ea quæ veris Pontificibus prava jubentibus obtemperari vetarent. Quo certum omnino est, adversus Pontificem pro vero ac legitimo habitum, sed potestate in Ecclesiæ perniciem usum, universalis Synodi opem imploratam, cum nulum aliud præsidium superesset.

At enim, inquires, extraordinaria hæc, neque in exemplum trahenda: quæ nos ultro confitemur. Illud autem volumus: gravissimos, divino iudicio, multos incidisse casus, quibus Ecclesiæ Romanæ oppressæ ac laboranti nihil præsidii, nisi in Ecclesiæ Catholicæ toto Orbe diffusæ auctoritate superesset.

Ac fateamur necesse est talia contigisse cum Joannes XII. flagitiosissimus Pontifex ab Othone I. Imperatore, Concilio congregato, depositus est, & Leo VIII. huic substitutus. Baronio facilè concedimus illegitimum illud fuisse iudicium. Interim pars Orbis maxima, Joannem ejusque successorē \* averfabatur; Leoni ejusque successoribus adhærebat. Bona profectò fide, sub incerto, imò nullo Pontifice, haud minùs Christo ejusque Ecclesiæ conjuncti vivebant.

Quæ mala Ecclesiæ incubuere graviùs in illo longo schismate inter Urbanum VI. & Clementem VII. eorumque successores. Quo in schismate, ubi locorum esset Sedes Apostolica per quadraginta annos multi viri boni sanctique nesciebant, nullusque sedebat Romanus Pontifex; siquidem illud Bellarmini valet: *Pontifex dubius, Pontifex nullus*. Quibus turbis Sedes Apostolica non nisi auctoritate Ecclesiæ Catholicæ; ultrò in Pisanam Synodum confluentis, emergere potuit. Atque interim Christus hæc duo demonstravit: Primum, Ecclesiam Romanam occulto iudicio in ea incommoda turbasque labi posse, undè se ipsa extricare non possit, & ab Ecclesiæ Catholicæ auctoritate pendeat: tum illud, sub dubio ac fluctuante, imò sub nullo ac falso Pontifice, certam remanere, longo etiam tempore, Ecclesiæ Catholicæ, non modo unitatem, sed etiam auctoritatem, qua rebus necessariis consulatur.



## CAPUT XXXII.

*Ex his ostenditur, et si quis Romanus Pontifex falsa definiat, Catholicam tamen Ecclesiam sedemque Apostolicam manere suo pondere constitutam.*

**H**IS convincuntur ii qui Ecclesiam Catholicam statim interituram putant, si quis Romanus Pontifex falsa definiat: tanquam una ea res sit, quam Ecclesiae Catholicae auctoritas supplere non possit. Atqui alia quae memoravimus, cogitanda erant. Nempe certum est Romanum Pontificem à Deo esse positum, qui Catholicae Societatis communionisque esset vinculum. Stat semper invictum illud Optati de Romano Pontifice: *Cum quo nobis totus Orbis in una Communionis Societate concordat*, & illud Hieronymi ad Damasum: *Qui tecum non colligit, spargit*; & illud Cypriani, illud Ambrosii, illud omnium, ut cum Episcopo Romano, id est cum Ecclesia Catholica communicemus. Atque hinc etiam valet illud \*, absque Romano Pontifice non colligi Synodos: quippe quo duce Ecclesiae uniri, conjugique debeant. Hæc à Christo instituta, hæc in ævum duratura sunt. Neque ed secius, Deo permittente, ea interdum eveniunt, quibus viri boni sanctique, Pontificiae communionis exfortes manere debeant, ut Auxilio Presbytero contigisse vidimus, ne fateri cogeretur, cessasse in Italia per viginti annos legitimum Sacerdotium legitimamque sacrorum administrationem. Quid in illo schismate, cum inter duos tresve Pontifices, viri boni, ipsaque Ecclesia fluctuaret, & à duobus delusa, ab utriusque se obedientia subtraheret? An abrupta erat illa tessera Christianae fraternitatis in Romani Pontificis communione à Christo constituta? Absit. Ad eam enim in integrum refarciendam votis omnibus anhelabant, Romano Pontifici, si non actu ac re ipsa; tamen animo, affectu, voluntate conjungebantur. Interim Ecclesiae Catholicae, quod sæpè dicendum est, eique connexae Sedis Apostolicae communionem gaudebant; & cum omnino Synodo opus esset, Romani Pontificis ad eam colligendam officium, Ecclesiae Catholicae, hoc est, Spiritus Sancti supplevit auctoritas. An ergò officium confirmandi in fide fratres, si casus occurrat, eadem Ecclesia supplere non possit? Absit. Certè infandi illius ac diuturnissimi schismatis tempore, foedæ hæreses, Wiclefi, Hussique tota Ecclesia vulgabantur; quibus interim certa Ecclesiae Catholicae auctoritas resistebat: adversusque eos multa sunt edita ejusdem Ecclesiae decreta gravissima, quibus Catholici firmabantur, hæretici profligabantur. Quin ipsi hæretici nihilo secius in Sedis Apostolicae Ecclesiaeque Romanae verba fidemque adaecti sunt, & ad illam Petram æquè allisi, ac si Romana Sedes suo præside frueretur. Nec mirum; neque enim Romana Sedes aut fides in vocatione interit, neque interitura est, etiam si graviora ac diuturniora impedimenta contigerint. Cur ergò ed magis aut Sedes Apostolica aut Catholica Ecclesia collabatur, si quis Romanus Pontifex falsa definiat? Nempe in uno hoc casu deficiet Ecclesiae, ille à Christo datus, ut in ea maneret spiritus?

Optat.  
Milev. de  
schism. Do-  
nat. lib. ij.  
c. iij p. 28.  
ed. Dup.  
Hieron. ep.  
ad Damas.  
xiv. al. xvij.  
Tom. iv.  
part. ij. p.  
10.  
\*Dictum  
Socratis.  
Soc. lib. ij.  
c. viij.  
Sup cap.  
xxxj.



ritus? Nulla erit super, quæ succurrat, aut Synodum colligat, auctoritas? Quid si Romanus Pontifex hæresim non jam definitione sanciat, sed tamen prædicet? Quid si sit apertè jam obstinatèque hæreticus? Quid si simoniacus? Quid si schismaticus? Quid si contumaciæ nomine merito deponendus? Quid si bonos viros à sua communione depellat? Quid si mente captus? Quid si detentus? Quid si ea tam multa contingant, propter quæ ei necessario obstitatur? Hæc enim partim evenisse, partim evenire potuisse omnes confitentur. Quid dicam de Marcellino, quem thurificasse multi crediderunt? Quid de illa, quam adversus eum collectam memorant, Sinuessana Synodo (y) trecentorum Episcoporum? Falsane, an vera sit, nihil hic nostra refert. Veram certè esse ipsa rei summa defendit Baronius: veram eam esse plerique Canonistæ per trecentos annos existimant; eoque exemplo pro certo habuerunt, quibusdam in causis Synodum ultro convenire posse, non quidem ad judicandum, sed ad convincendum, atque increpandum Romanum Pontificem, ut saltem pudore victus abdicare cogatur. At enim, inquit, causæ eæ sunt necessariæ cur Synodus fiat, etiam invito Romano Pontifice: tanquam ulla causa magis necessaria sit, quam læsæ fidei; aut adversus Romanum Pontificem valeat Ecclesia, si hæresim prædicavit, inermis verò atque omni præsidio destituta jacent, si certas formulas ac solemnitates adhibeat: quo quid absurdius? Et tamen quando quidem in eo causa stat, jam exempla afferenda sunt, atque infirmiores animi ipsa experientia confirmandi, ne quid fidei metuant, si quis Romanus Pontifex, quod absit, officio desit.

Conc.  
Sinuess. T.  
j. p. 930.  
Bar. ann.  
303. T. ij.  
p. 771. 772.

CA-

(y) De . . . Sinuessana Synodo) nulla nunc extat inter doctos controversia. Hanc enim manifestè supposititiam arguunt stylus barbarus & sententiæ planè absurdæ. Unum est quo Ultramontani probari posse putent celebratam fuisse hanc Synodum; nempe quòd nulla alia nominetur quæ Marcellinum idolis thurificantem absolverit. Atqui fabulosa est illa Marcellini thurificatio, de qua nullus veterum loquitur. Quin imò Theodoretus, Lib. I. cap. III. dicit *Marcellinum persecutionis tempore inclaruisse*, quod non diceret de Pontifice idolis thurificante. Et quidem Marcellino Donatistæ idolatriæ crimen inferebant; at falsum nulloque teste firmatum, quemadmodum solebant accusare multos alios, eosque Sanctissimos Pontifices, Melchiadem, Marcellum. & Sylvestrum. Cæterum nunquam ab eis commemorata est ea Synodus trecentorum Episcoporum, nec ab Augustino in suis adversus Petilianum libris. Neque erat ad id facile persecutionis tempore trecentos Episcopos congregare; cum vix in summa Ecclesiæ pace, Constantinus hunc numerum accire potuerit in Concilio Nicæno. Hæc in ineptam fabulam dicta sufficiant. Credo ipsum Baronium non aliter sensit. Sed timebat, si Concilium id supposititium confiteretur, ne manibus ejus elaberetur illud ejusdem Concilii axiomata rories deinde decantatum: *Prima Sedes non judicabitur à quoquam*. Qui plura de ea re voluerit, adeat P. ALEX. Tom. IV. p. 652. Pagi 2n. 302. n. 16. & seq. TILL. Tom. v. persec. Diocl. not. xxi. p. 613.



## CAPUT XXXIII.

*Lapsus Romanorum Pontificum nihil Ecclesiæ, nihil fidei, nihil Sedis Apostolicæ nocuerunt: LIBERIUS ordine temporum primus recensetur.*

**H**IC necessario repetendi sunt Romanorum Pontificum in causis fidei pertractandis, non modò cunctationes periculosa interdum, sed etiam lapsus. Etsi enim animus refugit commemorare ea quibus imbecilles animi commoveri soleant; tamen hæc me spes sustentat, fidei omnia profutura, cum evidens futurum sit, Romanis quoque Pontificibus, in injuncto officio confirmandi fratres deficientibus, tamen illud officium haud minus postea viguisse, haud minus immotam persistisse Ecclesiam Catholicam, eique conjunctam Sedem Apostolicam ac Romanam fidem.

Hic primo loco occurrit Liberius. Neque verò animus est tractare questionem de Sirmiensibus formulis: qua in controversia doctissimi quique dubitare se potius, quam certi aliquid tenere se fateantur. Nos in eam sententiam propendimus, ut Liberius ei formulæ \* subscripserit, quæ esset omnium maximè innocua. Hæc interim certa sunt; pessimè fecisse Liberium, qui cum Arianorum artes fraudesque nosset, ei fidei subscriberet, qua CHRISTUS substantialis ejusdemque cum Patre substantiæ taceretur. Illud enim erat initæ cum hæreticis consensionis indicium ac tessera: atque aded per Liberii subscriptionem Ariani id obtinebant, quo Nicænam infringere & infamarent fidem. Quare Liberius nec ipse dubitavit, datis foedissimis ac miserabilibus literis, cum omnibus Arianis communicare, atque à sua & Ecclesiæ Romanæ communione segregare Athanasium, cum quo communicasse pars Ecclesiasticæ atque Catholicæ communionis habebatur. Hæc à Liberio perpetrata, satis amplam causam dederunt, cur ei hæc agenti anathema ab Hilario diceretur, & cur ille ab Hieronymo & aliis in hæresim subscripsisse memoraretur. Quo etiam factum est, ut a Romanis haud aliter reciperetur, quam ut qui fidem prodidisset, ac se Ariana communione maculasset, hæreticisque per omnia communicasset, *excepta rebaptizationis infamia*, (z) ut in vitis Romanorum Pontificum disertè scriptum legimus.

Neque ommittendum illud, quod est gravissimum; Liberium, postquam Arianorum communione pollutus Romam rediit, à maxima Cleri & populi Romani parte rejectum; Sanctum Damasum gravissimum ei tempestat. Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, ac postea Liberii successorem præ cæteris ab ejus communione abhorruisse, ac Felici in ejus exulantis locum substituto adhæsisse; quodd hic viceversa, Catholicam Ecclesiam contra Constantinum tueretur. Hinc *ab eo die*, quo scilicet, Liberius in urbem ingressus est, *fuisse persecutionem maximam in Clero, ita ut intra Ecclesiam Presbyteri & Clerici complures necarentur, & Martyrio coronarentur.* Hæc in vitis Romanorum Pontificum

(z) *Excepta rebaptizationis infamia.* Hic annotat Binius *Arianos nondum rebaptizasse Catholicos ad se deficientes, & ea verba ab aliquo fuisse addita, quod verisimile est.*

\* Primæ  
videlicet  
quæ adver-  
sus Photi-  
num à Sy-  
nodo depo-  
situm excu-  
si fuit.  
Vide Bar.  
Tom. iij.  
an. 357. n.  
30.  
Ep. Li-  
ber. vij.  
viii. ix. x.  
T. ij. Conc.  
pag. 751. &  
seq.  
Hilar.  
fragm. vj.  
p. 1337. ed.  
Bened. vid.  
Hieron. in  
Chron. &  
de scrip.  
Ecclef.  
Vit. Li-  
ber. pag. T.  
ij. Conc. p.  
740.  
Ibid.  
Vit. Felic.  
ij. lib. pag.  
143.



Pontificum scripta recipit Baronius ; quibus profectò rebus Liberius non confirmabat, quam potius omni ope infrangebatur fidem . Nunc quid ad hæc respondeant audiamus .

Bar. Tilij.  
an. 357. n.  
43. 46. p.  
713. 7. 1.

## C A P U T XXXIV.

*Adversariorum effugia præcluduntur : nostra argumenta firmantur .*

**P** R I M U M quidem ajunt , ad hæc misera & infanda , vi adactum Liberium , tædio scilicet victum exilii , ut scribit Hieronymus . Id ipsius Liberii , quæ supersunt miserabiles testantur literæ : satis enim constat , etsi districtos gladios non legimus , tamen intentatos necis metus . Sed nihil magis infregit Liberium , quam prava cupido tantæ recuperandæ Sedis , quod etiam Baronius confitetur , verèque memoravit eam fuisse Dalilam , quæ hunc Samsonem corruperit . Utcumque est , si verba Christi dicentis : *Rogavi pro te* , omnino eo pertinent , ut Petri successor nusquam fidei desit , nusquam officio confirmandi fratres ; Liberium haud minus ab ipso metu tutum esse oportebat , quam à cæteris pravis cupiditatibus . Quis enim non videat , id promississe Petro Christum , ne ulla animi infirmitate vinceretur ? Quo loco si metum excipimus , nimium stultè in re tanta ludimus . Atque hoc animi robur ad Petri successores manasse oporteat , siquidem omnes eos promissionis ejus hæredes esse constet . Tum & illud quærimus , si hæc Liberius non metu , sed vel imperitia , vel alia prava cupiditate fecisset ; an ideo cessuri erant Eusebius & Damasus ac Romana Ecclesia ? Imò tantò amplius restitissent . Fateamur ergò Romanam fidem , Romanam Ecclesiam , non modò adversus metum , sed adversus omnem aliam cupiditatem potuisse consistere . Denique si vel maxime metum causari placet , quid fiet Liberio , non jam metuenti ac persecutionem passio , sed ultrò persequenti fratres , ut ad impiam communionem cogerentur ; & quæcumque adversus Catholicam fidem gesta erant , etiam concitata persecutione firmanti . Alia profectò quærenda sunt , quibus Liberius excusetur .

Bar. ib.  
nn. 33. p.  
709.

Hic ergò Bellarminus ac Baronius omni ope contendunt , ne Liberius hæresi subscripsisse videatur . Quo operæ pretio ; cum saltem sit certum subscriptam ab eo , probatamque formulam qua fides Nicæna taceretur ? At enim , inquit , Hilarius quoque hanc probavit formulam ; probavit verò tanquam omnino integram ac perfectam ? An potius id egit , ut qui ea uterentur , eos alliceret ad Catholicam fidem , à qua non penitus abhorreere viderentur ? Cæterum ut à veris orthodoxis , ac fidei Nicænæ defensoribus subscriberetur his formulis , quibus fides Nicæna taceretur , non probavit Hilarius : non probavit ut eo silentio & Episcopatus redimeretur , & pax cum perfidis iniretur ; id inquam , Hilarius neque probavit , neque fecit . At id nemo dubitat fecisse Liberium .

Bell. de  
Rom. Pont.  
lib. iv. cap.  
ix. Bar. an.  
357. n. 37.  
Tom. iij.

Aliud est , inquit , tacere , aliud negare . Non profectò aliud est , cum ad eum articulum devenitur , ut tacere negare sit . Neque enim quidquam aliud Arianæ volebant , quam ut fidem Nicænam tacendo lubruerent ; eoque de-



Luc. ix. 26.

Matth. x.  
33.

ducta res erat inter Catholicos & hæreticos, ut utrimque contenderetur; ab illis, ne fides Nicæna silentio premeretur; ab his, ut ipso silentio tolleretur; neque id Liberius, aut quisquam ignorabat. Quo tempore tacere, apertè negare est. Neque enim frustra CHRISTUS dixit: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet*. At qui sciens tacet, cum professionem res postulat, profectò erubescit, imò etiam negat: unde quod apud Lucam legitur: *Qui me erubuerit*, legitur apud Matthæum. *Qui me negaverit*. Negavit ergò Liberius, dum tacuit id, quod tùm vel maximè oportebat confiteri eum; in agone ipso scilicet, in ipso martyrii, hoc est, testimonii articulo constitutum. Quo in articulo constitutus, dum pudendo silentio Sedem Apostolicam redimit, nempe quantum in ipso est, omnes docet patere communionem cum Cathedra Petri, iis qui Nicænam tacerent fidem. Neque id tantum: sed etiam negari iis, qui illam tuerentur: cum non alia causa Arlani Athanasium à communione Liberii segregatum vellent. Neque in his cogitandum est, quid subtiliter dici possit, sed ipsius rei summa, quid faciat in hominum animis. Neque etiam est quod dicant vituperari à se Liberii factum, defendi fidem quam intus haberet. Nos profectò ipsum rectè sensitse, & contra id quod sentiret scripsisse, & fecisse intelligimus, & ideo fidei defuisse; & talia facta ad ipsam fidei confessionem pertinere, nec ipse Baronius negaverit.

Ceterum, id si putant promissioni CHRISTI tutandæ satis esse, ut Romanus Pontifex intus rectè credat, quidquid profiteatur, amplam nobis januam aperiunt. Ecce enim dicemus Romanum Pontificem benè intus sentientem, prava tamen aliqua cupiditate seductum, adversus fidem suam pronuntiaturum. Id si non sufficit tutandæ CHRISTI pollicitationi, ne his excusent Liberium: sin autem sufficit, en casus quo Pontifex, ipsis fatentibus, salva pollicitatione CHRISTI, falsa desinat.

Has quidem cavillationes sat scio viros graves & æquos facilè contempturos; & tamen adversarii ad hæc minuta & futilia, sua subtilitate nos redigunt.

Placet etiam illud quærere; per eam temporum necessitudinem, an Romano Pontifici Arianorum societate polluto, communicari oporteret? At non illud Damasus, non Eusebius, non alii Catholici sentiebant: hoc enim ipsum erat, seque & Ecclesiam Catholicam Arianorum communione maculare. An fortè per eam temporum intercapedinem, Liberius cessavit esse

Vid. Baron.  
con. a. 357.  
m. 34.

Romanus Pontifex? Quid ita? Hæreticus scilicet, atque ipso facto depositus: id enim videtur significare Baronius. Atque ipse Baronius, Bellarminus, & alii id vel maximè agunt, ne hæreticus fuisse videatur. An igitur alias, præter expressam, ut ajunt, hæresim, causas admittimus, propter quas Romanus Pontifex cassus sit? Hæc si volunt, ab alio ducentur in aliud, neque eis quidquam erit integrum. Tum si in eo res vertitur, ut Romanus Pontifex ideo errare non possit, quod statim atque erraverit, desinat esse Pontifex, quid vetat nos quoque in eam arcem confugere? Certè & id nobis profiteri licet; à Romano quidem Pontifice falsa judicari ac determinari posse; sed eum confestim non esse Pontificem. Si hoc dicto tuti sumus, vicinus: at si quid ulterius à nobis exigunt, in Liberii lapsu, quod ipsi confugient? Fortasse

ad



ad illud, ista qualiacumque sunt, brevissimo temporis intervallo transacta esse. At profecto durarunt septem ad minus menses. An verò contendunt CHRISTI promissionem vel ad certa quædam momenta vacillasse? Denique alia memoramus, quæ non ea celeritate effluxisse constet. Verum utcumque est, certè illud tenemus, cum dicitur Petri fides, Romana fides Sedesque Apostolica perire non posse, Romano Pontifici deberi obedientiam, cum Romano Pontifice à quocumque Catholico communicari oportere: hæc summa ipsa valere & estimari, non ad minutias redigenda. Omnino enim deficiente Liberio, Petri fides stetit: fides stetit Sylvestri, Marci, Julii, aliorumque Romanorum Pontificum, qui Liberium præcesserant. Hæc enim fides Romanos Presbyteros sustentabat, quemadmodum ipse testabatur Eusebius, à se teneri fidem, quam à Beato Julio ordinatus suscepisset. Neque Sedes Apostolica, neque Ecclesia Romana concidit; neque casura erat, si etiam Liberius pejora moliretur; & cum ab eo abstinerent, haud minus Ecclesiæ Catholicæ Sedisque Apostolicæ fovebantur sinu; Romanoque Pontifici tanto impensius adhærebant, quanto magis eum orthodoxum vellent.

Vid. act. Euseb. ap. Mombric. T. i. p. 515. & Baluz. Miscel. T. ij. p. 141. 142.

## C A P U T XXXV.

*Sanctus ZOZIMUS CÆLESTII Pelagiani confessionem apertè hæreticam probat: ejus epistola ad Africanos Episcopos: Sancti AUGUSTINI loci.*

**D**E Sancto Zozimo Papa, Sancti Innocentii successore, Sanctus Augustinus hæc scripsit; Cælestium ab Africanis condemnatum, ad eum edidisse libellum fidei, in quo hæc inerant; *Quod peccatum Ade ipsi soli obfuerit, & non generi humano: quod infantes qui nascuntur, in eo statim sint, in quo fuit Adam ante transgressionem.* Et illud: *In remissionem peccatorum baptizandos Infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur &c.* Apertissima hæresis, nulla verborum ambiguitate prodica, quod etiam Augustinus agnoscit. Sanè Cælestius in fine professionis hæc apposuit: *Si fortè, ut hominibus, quispiam ignorantia error obrepserit, vestra sententia corrigatur.* Atque interpellatus à Zozimo de Innocentii literis: *se omnia, quæ Sedes illa damnavet, damnaturum esse promisit.* His igitur auditis refert Augustinus à Sancto Zozimo Cælestii libellum Catholicum dictum esse, in quo tam apertæ hæreses legebantur.

Aug. de pecc. orig. c. ij. iij. vj. Tom. x. p. 253. 254. 255. Id. ib. c. vj. & lib. i. de grat. Christ. cap. xxxij. num. 36. p. 245. Id. de pecc. orig. c. vj. n. 70. p. 256. Id. c. vij. n. 8. Id. Lib. ij. ad Bonif. c. iij. n. 5. p. 434.

Non tamen Cælestius ab excommunicatione solutus, scriptumque est in Africam, atque ad duos menses dilata res, quoad inde rescriberetur. In Zozimi epistola, Episcopi Africani præcipitantiæ arguuntur, quòd Lazaro & Heron viris levissimis ac nefariis de Cælestio nimium credidissent.

Hic

Id. de pecc. orig. c. vij. num. 8. p. 256.

Zoz. ep. iij. ad Episc. Afr. T. ij. Conc. pag. 1559.



Ibid.

Ibid.

Hic placet excusari ea, quibus de Africanis Patribus, deque Lazaro & Herote viris Sanctissimis, optimo Pontifici impositum est. Non equidem scio quo modo id excusari possit, quod de fide Cælestii scribit: *Censuimus innotescere Sanctitati Vestrae, super absoluta Cælestii fide nostrum examen*. Ac paulo post de Cælestii accusatoribus: *Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire quàm libellis & confessione contexit, aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii Vestra Sanctitas resedisse cognoscat*.

\* in Bizacena.

\*\* Vixit sæculo sequenti.

Facund. pro defens.

trium Cap.

Lib. vij. c.

iiij. p. 277.

edit. Sirm.

& Tom. x.

Bib. Pat. p.

55.

Aug. lib.

ij. ad Bonif.

loc. ant. cit.

Zoz. ep.

iv. ad Episc.

Afric. Tom.

ij. Conc. p.

1561. & seq.

Zoz. ep.

iiij. lib. pag.

1559.

Aug. lib.

ij. ad Bonif.

loc. jam cit.

Ibid.

Idem. de

pecc. orig.

c. vij. n. 8.

p. 256.

Res igitur examine & iudicio Zozimi eò redacta erat, ut fides à Cælestio exposita integra & Catholica procul dubio haberetur; illud quærendum superesset, an probari posset eum aliter quàm libello dixerat docuisse? Sic nihil deerat quominus absolutum completumque esset de dogmate iudicium, resque omnino deducta ad facti quæstionem.

Itaque Facundus, Hermianensis Episcopus \*, huic ævo proximus \*\* memorat, *Beatum Zozimum Apostolicæ Sedis antistitem, contra Sancti Innocentii decessoris sui sententiam, fidem ipsius Pelagii, ejusque complices Cælestii tanquàm veram & Catholicam laudantem, insuper Africanos culpantem Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur; non quòd Zozimus speciatim præceperit, credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci: id enim ab eo factum speciatim Augustinus negat; sed quod approbavit ut Catholicam eam Cælestii confessionem, in qua illa hæresis perspicuè continetur. Neque mirum est Zozimum, datis paulo post ad eosdem Africanos Literis, fuisse Pelagio, qui sententiam suam miris verborum ambagibus involverat. Id mirum Cælestii approbatam fidem, qui manifestissimas hæreses admisisset.*

Neque enim usus erat ullis verborum involucris, sed planè nitidè rem elocutus est, atque omnino, ut ait ipse Zozimus, quid de fide sentiret evidenter expressit.

Sanè Augustinus qua erat modestia, & charitate, excusat Zozimum. Quod enim in fine libelli Cælestius instrui se velle professus est, ea occasione Augustinus sic scribit: *Voluntas emendationis, inquit, non falsitas dogmatis approbata est, & propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholice mentis est velle corrigi si errasset. Rectum etiam illud, quòd Cælestius Sancti Innocentii susceperat literas, quibus, si sincero animo crederet, facile, ut idem Augustinus ait, omnia sua errata respiceret. Itaque sic Zozimi acta interpretatur, ut Cælestium levibus fomentum perductum ad sanitatem vellet. Quæ tamen profectò efficere non debebant, ut ejus fides tam clario iudicio probaretur.*

Patres verò Africani ita responderunt: *Non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quòd se generaliter Innocentii Episcopi literis consentire fatebatur; sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat; ne, si id non fecisset, multi parùm intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apostolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum esse Catholicum, quàm emendata, propter illud, quòd se Papæ Innocentii literis consentire ipse responderat.*

Hæc sanè non absolvunt Zozimum; sed docent qua modestia ac reverentia docendi sunt Romani Pontifices, etiam cum Sanctos gravesque Episcopos immeritò



immeritò & asperè objurgant , ac mala non malo animo faciunt : qua Zozimus benignitate atque admonitione correctus , Cælestium ac Pelagium toto Orbe damnavit .

Interim prima illa Zozimi sententia & Episcopale judicium , etiam si Pelagium ac Cælestium obduratos hæreticos , peiores non facerent , quis dubitet infirmos his moveri potuisse ? Certè id effecit , ut hæretici Romanos Clericos arguerent , tanquam eos , qui *jussionis terrore percussi , non erubuerint prævaricationis crimen admittere , contra priorem sententiam suam , qua Catholico Dogmati adfuerant* . Qua oratione , presso licèt nomine , Papam ipsum , qui fidem Cælestii approbasset , facilè designabant .

Aug. ib.  
p. 433.

Memorable verò est , id quod respondet Augustinus : *Sed si , quòd absit , ita tunc* ( post acceptas scilicet Concilii Africani literas ) *fuisse de Cælestio & Pelagio in Romana Ecclesia judicatum , ut illa eorum dogmata , quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverant , approbanda & tenenda pronuntiarentur ; ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda : ut intelligeremus sibi , non veritati , non Ecclesiæ Romanæ , aut Sedi Apostolicæ nociturum Zozimum , si talia judicasset* . Id ergò Augustinus abominandum , infaustum , miserum , non verò impossibile judicavit , idque ad Bonifacium Papam Zozimi successorem scripsit .

Ib. p. 434.

Et qui jam id impossibile esse clamant , perpendant quæ facta sint . Nempè cum doctrinam apertissimè hæreticam non satis cogitans Zozimus approbavit , nihil hoc Ecclesiæ , nihil fidei Romanæ nocuit : ita sanè intelligant , si Zozimus in postremo illo judicio per eandem indiligentiam falsus esset , haud minùs Sedi Apostolicæ provisorum Deum , ne prava coalescerent , nec Ecclesia Catholica caput suum Romanam Ecclesiam amitteret . Cætera prosequamur .

## CAPUT XXXVI.

HORMISDÆ atque HONORII gesta uno verbo repetuntur ; JOANNES VII. TRULLANAM Synodum , qua Romana Ecclesia erroris accusatur , suo judicio subditam , relinquit intactam .

QUA acerbitate Sanctus Hormisdas optimam propositionem : *Unus de Trinitate crucifixus* , respuerit , quid postea successores ejus rei veritate , atque Ecclesiæ Catholicæ consensione victi fecerint commemoratum à nobis est ; constititque Catholicissimæ propositionis defensores à Sancto Hormisda , egregio licèt Pontifice , conturbatos potius quàm confirmatos fuisse ; ac post consultum Papam , tamen ab Oriente veritatis lumen exoritur : adeò liquet multa quæ ad fidei elucidationem spectent , à doctis Pontificibus , etiam interrogatis , etiam pro officio agentibus prætermitti , nec minùs aliunde affulgere veritatem .

Sup. hoc  
lib. c. xvj-  
& seq.

De Joanne VII. Anastasius Bibliothecarius in vitis Romanorum Pontificum hæc scribit : *Hujus temporibus Justinianus Imperator (secundus nomine)*

Vit. Joan.  
vij. per A-  
nastaf. T.  
vj. Conc. p.  
illicò 137.



\* De quo illico ut palatium ingressus est, propriumque adeptus Imperium \*, tomos, quos dejectus fuerat antea sub Domino Sergio Apostolicae memoriae Pontifice, Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanae Ecclesiae contraria scripta inerant, per duos à Leontio, Metropolitanos Episcopos demandavit, dirigens per eos sacram, per quam Tiberio Absumaro. denominatum Pontificem conjuravit, ac adhortatus est, ut Apostolicae Ecclesiae Concilium aggregaret, & quaeque ei visa essent stabiliret, & quae adversa, renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam tomos emendans, per supra fatos Metropolitanos direxit ad Principem; post quae non diu in hac vita duravit. Quod divinae ultioni imputatum tenor ipse verborum ostendit.

Conc. Hi tomi continebant Canones Synodi in Trullo habitae, quae Quini-sexta  
Quin-Sex. dicitur. Hæc Synodus Ecclesiae Romanae ritus multos, nominatim in his,  
can. xiii. lib. ipsam toto Occidente receptam, atque ab antiqua & Apostolica Traditio-  
ne manantem cælibatus legem Presbyteris & Diaconis indictam, condemnabat;  
P. 1148. ut quae Evangelicis atque Apostolicis testimoniis repugnaret. Quod quidem si verum est, jam inde à primis sæculis Romana, totaque Occidentalis Ecclesia incidit in hæresim. Hos canones Joannes VII. primum quidem vano metu territus, rogante Imperatore, emendare noluit: sanæque doctrinae debitum officium denegavit. Quin potius probasse apparet: non enim ait Anastasius, nihil egisse Pontificem, neque ita scribit: nihil respondit Pontifex, aut, tomos remisit intactos: sed tomos nihil emendans dixerit ad Principem: quo ritu bona probaque mitti ac dirigi solent.

Vit. Serg. Non ita Sergius prædecessor, qui eodem jubente Justiniano, non acquie-  
per Anast. vit, nec eosdem tomos suscipere, aut lectioni pandere passus est; hoc est, ne  
ib. p. 1291. librum quidem aperire, aut evolvere sustinuit: Porro eos ut invalidos respuit, atque abiecit, eligens ante mori, quam novitatum erroribus consentire.

Sup. lib. Honorium vidimus à tribus Patriarchis de fide interrogatum ea respon-  
vij. c. xxj. disse, quibus per totum Orientem hæretici firmarentur, Catholici turba-  
& seq. rentur; quæ denique à sexta Synodo, ac secutis Pontificibus, ut Apostolica doctrinae adversa damnarentur. Quàm futile, quàm levia, quàm absurda respondeant, vidimus: quis enim sanus hæc ferat; pro privato Doctore respondisse Honorium à tot tantisque Ecclesiis de fide interrogatum, neque docere voluisse universam Ecclesiam? Rogamus, in Honorii epistolis, ad docendam Ecclesiam quid desiderent? Rem ipsam, ut revera doceat Ecclesiam, an formulam, ut exprimat docere se velle. Certè ipsa res adest, docet Ecclesias principales, & in eis universam, quantum in ipso est Ecclesiam. Neque magis Leo ad unum Patriarcham Flavianum scribens, totam Ecclesiam docuit, quàm Honorius scribens ad tres Patriarchas. Redigunt se ad formulas, tanquam à formula non possit excidere, qui ipsa re, ipsa summa cecidit.



## CAPUT XXXVII.

STEPHANI II. GREGORII II. SERGII III. GREGORII VII.  
*ejusque occasione BONIFACII VIII. decreta & gesta referuntur :*  
*decretalis Unam Sanctam .*

**E**XTANT in Conciliorum actis Gregorii II. egregii Pontificis responsa ad interrogationes Sancti Bonifacii Episcopi Moguntini ; quorum secundum sic habet : *Quod proposuisti , quod si mulier infirmitate correpta , non valuerit debitum reddere , quid ejus faciat jugalis ? Bonum esset , si sic permaneret , ut abstinentiæ vacaret ; sed quia hæc fortitudo magnorum est , ille qui se non poterit continere , nubat magis .* Hæc est illa decretalis , de qua memoravimus dixisse Gratianum : *Hoc Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum ; nec immerito .* Ac notandum illud : *Si mulier infirmitate correpta , quod apertè designatur infirmitas , conjugio jam inito , superveniens .* Conjugium verò , etiam quoad vinculum , ex ea infirmitate dissolvi , & viro suaderi tantum , non autem præcipi abstinētiā , tanquam necessariā , sed novum permitti conjugium , manifestè pugnat cum hac CHRISTI sententia : *Quod Deus conjunxit , homo non separet .* Neque hic dici potest Gregorium II. pro privato Doctore respondisse : interrogatus enim à Sancto Bonifacio Moguntino , respondebat ea , quæ ad novellam Ecclesiam Germanicam instituendam pertinerent . Quare Gregorius hæc scripta esse memorat , *ex Apostolicæ Sedis vigore : suamque illam vocat , Apostolici vigoris doctrinam per Beatum Petrum , à quo & Apostolatus & Episcopatus principium extitit , ut alio jam loco diximus .*

Stephani II. responsa ad varia consulta tueri nemo potest. Responsum tertium : *Si quis in aliena patria ancillam duxerit in consortium , postea in patriam reversus ingenuam acceperit , & iterum contigerit ut ad ipsam , in qua antea fuerat , patriam revertatur , & illa ancilla , quam prius habuit , alii viro sociata fuerit ; hic talis potest aliam accipere ; tamen non illa vivente ingenua , quam in patria propria habuit .*

Hoc Stephani II. responsum procedere videtur ex falso intellectu decreti Sancti Leonis , quod sic habet : *Ancillam thoro abjicere & uxorem certæ ingenuitatis accipere , non duplicatio conjugii , sed profectus est honestatis .* Leo tamen non agebat de vero & iusto conjugio , quod cum ancilla ini- retur ; sed de illicita copula quæ ad arbitrium solveretur , cum persona servili : quippe cui nullum jus , nulla actio , nulla querela contra hominem liberum legibus relinquatur . At Stephanum II. hinc loqui patet de ea ancilla , quæ iustis nuptiis conjuncta sit ; cum redire permittat in ejus consortium , nisi alteri viro sociata fuerit . Quare ancillæ conubium solvit , ingenuæ solvi vetat : quale discrimen , conditione cognita , nescit Evangelium , neque Canones patiuntur , quos talia prohibentes multos invenias apud Gratianum Dist. XXIX. quæst. II. & alibi passim .

Y

Idem

Greg. ij.  
 ep. xlii ad  
 Bonif. Mo-  
 gunt. n. 2.  
 T. vj. Conc.  
 p. 1448.  
 Dissert.  
 præv. n. Lij.  
 vid. in app.  
 lib. iij. c. x.  
 Decret.  
 dist. xxxij.  
 quæst. vij.  
 Quod pro-  
 posuisti pa-  
 rag. Sed  
 illud .  
 Matt. xxix.  
 6. Mar. c.  
 x. 9.  
 Diff. præv.  
 loc. jam cit.

Resp. Steph.  
 ij. art. iij.  
 T. vj. Conc.  
 p. 1650.

Leo. Mag.  
 ep. ij. alias  
 xcij. ad  
 Rust. Nar-  
 bon. inquit.  
 vij.



Resp. Idem Stephanus responso XI. *Si quis in vino, propterea quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla ei adscribitur culpa; in- art. xj. loc. fantes sic permaneant in ipso baptismo.* jam cit.

Qua responsione & infantis perperam baptizati periclitabatur salus, & simili errori ampla patebat janua. Sed hæc & alia, à Petri licet successoribus ritè interrogatis, prolata responsa, ultrò conciderunt; quòd ea non admisit Ecclesiæ Catholicæ summa & indeclinabilis auctoritas.

Nec magis probata est illa Nicolai I. egregii licet doctique Pontificis responso ad consulta Bulgarorum, qua baptismum, *si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in CHRISTI nomine* collatus fuerit, omnino valere, neque iterandum esse decernit; falsumque, certè dubium baptismum cum Conc. pag. vero certoque æquè firmat; ac Bulgarorum nascentem Ecclesiam falsi baptismatis exponit discrimini: neque id obiter, ut vulgò in scholis ludunt, distinct. iv. sed expresso decreto, atque ex Actis Apostolorum & Beato Ambrosio auctoritate adducta, ne id leviter dixisse videatur.

Sup. hoc. Vidimus à Sergio III. sub anathematis pœna, de ordinationibus \* lib. c. xxxj. imperata ea esse, *quæ ad facinus pertinerent, quæ contra fidem & Catholicam Religionem agerentur*; quæ per viginti annos in universa Italia, atque aded in ipsa Romana Ecclesia sacerdotium, Sacramenta, atque ipsam Christianitatem extinguere. Hæc profitentem, hæc suo & sociorum nomine conquerentem Presbyterum Auxilium, & universalis Concilii judicium expectantem nemo damnavit, imò Catholici susceperunt.

Sup. lib. Gregorium VII. ejusque successores liquidò demonstravimus Evangelicæ veritati, & antiquissimæ Traditioni repugnasse, cum Reges deponere aggressi sunt. Ac tamen eam, quam tot anathematibus nequebantur, animi sententiam neque expresso Canone firmarent, neque in Ecclesiasticum dogma redigerent; tamen Ecclesiasticæ potestati constabant ingentem invidiam; schismaticis & hæreticis occasionem præbebant; Catholicos in errorem inducebant, nedum in fide confirmarent; eaque omnia ided non nocent, quod Ecclesia Catholica nunquam ea approbarit, nunquam ut fidei doctrinam admiserit.

Sub. lib. Bonifacium verò VIII. qui decretali, *Unam sanctam*, hæc quoque cap. xxij. niti visus est in Ecclesiæ dogma redigere, excusavimus quidem nos, quod xxiv. xxv. expositioni ipsa definitio minimè respondeat, ut vidimus: at illud constitit, & in expositione Scripturas à vero sensu contra Traditionem apertè detortas, & multa intolerabilia ad infirmam potius quam ad confirmam fidem fuisse collecta. Ad hæc alii urgent, ex ipsa expositione definitionem explicandam, atque ided ab errore manifesto non posse defendi. Nec desunt, qui omnia à Bonifacio exposita, ut ab ipso asserta, ac vera Sedis Apostolicæ placita tueantur, nec erubescant habere pro errantibus, aut etiam hæreticis, qui fidem his non præbeant. Quæ tamen Bonifacii decreta, utcumque se habent, fidei non nocent; quòd, tacentibus cæteris, Ecclesiæ Catholicæ tanta pars Ecclesia Gallicana apertè reclamavit, Romanosque Pontifices ad temperandam Bonifacianæ doctrinæ acerbiter adduxerit.



## CAPUT XXXVIII.

PASCHALIS II. gesta LATERANENSIS Synodi : GUIDONIS Viennensis, mox CALLISTI II. decreta in Synodo Viennensi à Sede Apostolica comprobata : hujus decreti verba ad Papam ; Nos à vestra obedientia repelleris .

POST Gregorium VII. interferebat oportebat quæ Paschalem II. à Gregorio VII. tertium speciatim tangerent ; sed nos rerum connexio extra temporum seriem tantisper abripuit .

Notum omnibus , quale privilegium Henricus V. Imperator à Paschale II. per vim extorserit , nempe ut electi non consecrarentur , nisi ab Imperatore per baculum prius investiti . Id ita ferè est habitum , ac si Papa in hæresim consensisset . Itaque Lateranensi III. Concilio congregato , plus xij. centum Episcoporum , mitram ac mantum , ut vocabant Pontificalem , hoc est , purpuream cappam , seu pallium abjecit : Patres hortatus est ut juberent ipsum jam non esse Pontificem . Cæterum quòd liberet , sine ipso Ecclesia ordinaret . Hoc enim Godfridus Viterbienlis diserte scripsit , inconditis quidem ineruditisque versibus , tamen ad historiæ fidem compositis . Ac sic Papam loquentem inducit .

*Me quoque Pontificem non fore jussa dato .*

Tum illud : *Ordinet Ecclesia sine me quidquid placet , inquit .*

Quin etiam , quantum in ipso fuit , se ipse deposuit . At Patres non assensi sunt , eumque pristino loco esse voluerunt : at privilegium condemnarunt , ut quòd esset , contra Spiritum Sanctum & Canonica Institutionem . Igitur id decretum à duodecim Archiepiscopis , quatuordecim , & centum Episcopis quindecim Presbyteris , atque octo Diaconis Cardinalibus factum esse in actis memoratur , nulla Papæ mentione , data quoque sententia excommunicationis in Regem , non à Papa qui juraverat nunquam hoc se facturum : sed ab Ecclesia injuriam sui patris vindicante . Ita refert hujus temporis manuscriptus codex , actis Conciliorum insertus . Decreta Concilii toto Orbe vulgata sunt : Sic optimo Pontifici , cum intelligeret rem à se , ut oportebat , non posse peragi , Ecclesiæ Catholicæ succurrit auctoritas .

Hæc gesta sunt anno 1112. , quo item tempore Guido \* Archiepiscopus Viennensis , postea Callistus II. Papa Viennense Concilium habuit , cujus decreta legimus in Conciliorum actis . Ipse Guido decretorum summam ad Paschalem Pontificem perscribit his verbis : *Igitur distante Spiritu Sancto , investituram omnem rei Ecclesiasticæ de manu Laica , hæresim esse judicavimus : scriptum illud , quod Rex à vestra simplicitate extorsit , damnavimus ; in ipsum Regem nominatim & solemniter , & unanimiter sententiam anathematis injecimus .*

Vid. sup. lib. iij. cap.

Conc. Later. iij. sub. Pasch. ij. T. x. p. 767.

God. de Vit. Chro. part. xvij. p. 508.

Conc. Later. loc. cit. ib. p. 770. ib. p. 771.

\* Burgundia Comitis filius & Adelaidis Ludovici

Grossi uxoris confanguineus .

Conc. Vienn. ib. p. 784.

Ep. Conc. ib. p. 785. vid. differt. pr. n. Lxxix.



Horum à Papa confirmationem petit, subditque : *Si verò quod minimè credimus nostræ paternitatis (parvitatìs seu fraternitatìs legendum) assertiones prædictas roborare nolueritis, propitiùs sit nobis Deus; quia nos à vestra obedientia repellitis.*

Quo loco futurus, id si contingeret? An extra Ecclesiam, ac Sedis Apostolicæ communionem? Absit, sed tamen ita incidebant eæ temporum necessitudines, quibus Sancti quoque Episcopi à Papæ obedientia repellentur.

Ep. Pasch. Paschalis II. hanc Synodum confirmavit, datis literis *Guidoni & cæteris*  
 ij. ib. pag. *Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, seu dominis Sacerdotibus Viennæ con-*  
 786. *gregatis*: quæ literæ in Conciliorum acta referuntur.

Iv. Carn. Quo sensu, qua veritate, qua nonnullorum ejus ævi Episcoporum ac  
 ep. ad Joan. maxime Ivonis Carnotensis discrepantia, investitura hæresis haberetur,  
 Arch. Lugd. non est hic disceptandi locus. Hæresim proprio strictoque significato fuisse,  
 id quod Paschalis II. indullerit, vix quisquam sanus dixerit; & tamen  
 hujus rei gratia de Pontifice Romano talia decernebant.

## CAPUT XXXIX.

ALEXANDRI III. in exponenda Scriptura manifestus error, omnium.  
*sententia reprobatus: Caput, Cum esses de Testamentis: Item.*

INNOCENTII III. falsa Scripturæ expositio: Cap. Per venerabilem, QUI FILII SINT LEGITIMI.

Decr. Greg. **G**Rave illud est quod de testamentis ab Alexandro III. definitur his verbis:  
 ix. lib. iij. *Proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quòd testa-*  
 tit. xxvj. de *menta, quæ sunt in ultima voluntate, penitus rescinduntur; nisi cum*  
 Testam. c. x. *subscriptione septem vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ*  
 Cum esses *decernunt: Quia verò à divina lege & Sanctorum Patrum institutis, & à*  
 Matt. xvij. *generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum, cum scriptum sit;*  
 16. **IN ORE DUORUM VEL TRIUM TESTIUM, STABIT OMNE VERBUM:**  
*præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta quæ Parochiani coram*  
*Presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis, in extrema*  
*fecerint voluntate, firma decernimus permanere, sub interminatione ana-*  
*thematis prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta:*  
**Cap. CUM ESSES, DE TESTAMENTIS.**

Atqui hæc testamenta quotidie rescinduntur, valetque in multis regionibus jus civile Romanum, quod Alexander III. ex Scriptura, ex Traditione, ex universali consuetudine, adhibita etiam excommunicatione proscripserat; tantaque auctoritate facta decretalis abjicitur.

Hanc quidem decretalem, ad ea quæ relictæ Ecclesiæ sint, Glossa restringit, auctoritate capitis sequentis: *Relatum est*; quamquam Alexander III. in eodem capite, *Cum esses*, generatim de testamentis dixerat, quæstionemque de legatis Ecclesiæ relictis, ex lege generali deciderat. Sed quid nostra, cum  
 nec



nec in ejusmodi legatis ea decretalis valeat, quam Pontifex Scripturis, Traditione, universalis Ecclesiæ sensu, hoc est iis omnibus, quæ certam fidem faciunt, assererebat?

Argumentum istud longè difficillimum teste Melchiorre Cano, sic ab eo solvitur: *In decretis Pontificiis, duo imprimis distinguenda sunt; unum est tantquam intentio, conclusioque decreti, alterum quasi ratio & causa à Pontifice reddita ejus rei, quam constituerat. Atque in conclusione Pontifices Summi errare non possunt, si fidei questionem ex Apostolico Tribunali decernant; sin* Melch.  
Can. de loc.  
Theol. lib.  
vj. c. viij.  
*verò Pontificum rationes necessariae non sunt, ne dicam aptae, probabiles, idoneae, in his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis nos à Pontificibus redditis, tanquam pro aris & focis depugnamus. Id postquam multis exemplis argumentisque asseruit, concludit valuisse Alexandri decretalem, in locis Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum ditioni subiectis; quod id Pontifex decernere sua auctoritate posset: quanquam Scripturam, & Traditionem perperam allegavit.*

Mitto quòd Melchior Canus, decreta generatim à Summo Pontifice edita, redigere ad eas regiones nititur, quæ sint Ecclesiasticae ditionis, cum soleant Pontifices accuratè notare, quæ faciant & decernant, tanquam Principes, *ubi Apostolica Sedes & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & summi principis exercet potestatem: Cap. PER VENERABILEM, QUI FILII SINT LEGITIMI.* Quod autem idem scriptor Pontificii decreti conclusionem à Sacrae Scripturae allegatione distinguit, ac valere conclusionem, ex falsa etiam probatione contendit; facile assentimur, ubi aliæ probationes adhibentur, vel adhiberi possunt. Cæterum cum Alexander III. nihil hic aliud alleget, aut allegare possit, præter unum Scripturae locum malè ex confesso intellectum; apparet eum falso fundamento nitum, ad id decretum sub excommunicationis poena edendum profilisse.

Haud pluris valet ab Innocentio III. allegata Deuteronomii auctoritas, qua docet, *cum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobari; ut quod ibi decernitur, in novo testamento debeat observari.* Ibid.  
*Cap. PER VENERABILEM; QUI FILII SINT LEGITIMI.*





## CAPUT XL.

*Ejusdem ALEXANDRI III. decretum, quo anteriorum Pontificum, de Matrimonio per verba de presenti, statuta solvuntur: INNOCENTII III. de revelanda confessione rescriptum ad Cistercienses: idem INNOCENTIUS III. CÆLESTINI III. erroneam decretalem solvit.*

*Ibid. tit. iv. de sponsa duorum cap. iij. Licet prat. solit.* **I**DEM Alexander III. postquam judicavit id, quod est certissimum, valere conjugium per verba, *de presenti*, utroque dicente: *ego accipio te in meam & ego accipio te in meum*; ac tale conjugium non dissolvi contracto alio connubio, atque etiam copula consecuta, addit: *Quamvis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris fuerit judicatum*. Confuli ergo judicarunt, contra id quod est postea ab Alexandro III. totaque Ecclesia judicatum.

*Disq. art. j. n. II. & 161.* Neque verò eos juvat Nicolaus Dubois, hanc errori manifesto excusationem obtinens: *Fuit olim dubium in Ecclesia, an Matrimonium solo consensu firmatum dissolvatur per Matrimonium subsequens cum alia, & consummatum . . . . hinc factum quod diversi Episcopi, & Archiepiscopi, Salernitanus, Paduanus, Senensis, Norvicensis, Januensis &c. Sanctam Sedem consuluerint. Rectè & ordine; tunc enim vel maximè consulendi Summi Pontifices, cum casus arduus est & ambiguus. Quid tunc postea? Nempe illi à tot Episcopis consulti pessimè responderunt. Ergo vel maximè constat Apostolico officio defuisse, cum tot Ecclesiæ Apostolici officii opem requirerent.*

*Cæs. Monach. Cist. Hist. mem. lib. iij. cap. xxxij. vid. Bibl. script. Cisterc. c. j.* Innocentius III. à toto Capitulo Cisterciensi consultus, an Monachi confessionem sacrilegam, ab ipso Confessario revelari oporteret? vocatis Cardinalibus sic respondet: *Ego dico in tali casu, confessionem esse prodendam; quia potius est blasphemia quàm confessio: nec debet Confessor tantam blasphemiam ac insaniam celare, per quam periculum toti Ecclesiæ poterit incumbere. Et placuit sententia Innocentii omnibus; & scripsit sequenti anno ad Capitulum Generale, quod à se fuerat determinatum. En ex canonum præscripto ad Romanum Pontificem gravis relata quæstio, ex qua periculum toti Ecclesiæ incumbere videatur: en matura, & canonica deliberatio, totoque anno dilata; tum ad universum Cisterciensem Ordinem, tota diffusam Ecclesia, perlata responsio, ac determinatio, quam juri divino ac naturali repugnare Theologi Canonistæque uno ore consentiunt. Hæc doctissimis & consultissimis Pontificibus ritè consultis, ritè deliberantibus excidunt, ad testificationem humanæ infirmitatis: audens dixerim (absit verbo injuria) & ad infallibilitatis præsumptionem retundendam.*

*Decret. Greg. ix. lib. iv. tit. xix. de divortii cap. vij. Quanto te novimus. Ib. lib. iij. tit. xxxij. de conversione infidelium cap. j. Laudabilem* At idem Innocentius III. cautè reprobavit antiquiorem decretalem Cælestini III. qui Matrimonii vinculum inter Christianos, superveniente alterutrius hæresi, solverat. Hunc sui prædecessoris errorem Innocentius III. modestè reprobat his verbis: *Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur. Quod quidem dat honori antecessoris sui, qui perspicuè Matrimonii vinculum*



vinculum solveret. Glossa quoque absolute, verbo *prædecessor*, hæc habet; scilicet *Cælestinus*, *cujus dictum habuisti decretali LAUDABILEM*. DE CONVERS. INFID. & male *Cælestinus*; quare decretalis ejus è corpore juris exclusa est. Gloss. cap. Quo-  
tanto te  
novimus.  
loc. cit.  
Ant. Aug.  
Collect. de  
cret. coll. ij.

Et quidem habemus hujus decretalis verba apud Antonium Augustinum, (a) quæ sic habent: *Cum Christiano viro propter odium uxoris Christum negante, & sibi copulante Paganam, & ex ea filium procreante, Christiana in opprobrium JESU CHRISTI relicta est; tamen assensu Archidiaconi sui, ad secundas nuptias convolarit, & filios suscepit ex ipsis; non videtur nobis, quod si prior maritus redeat ad unitatem Ecclesiasticam, eadem debeat recedere à secundo, & resignari priori; maximè cum ab eo visa fuerit, Ecclesiæ judicio recessisse.*

Hic verò Nicolaus Dubois, Adrianum VI. reprehendit, quòd Cælestinum III. hujus decretalis gratia hæreticum judicavit: *Nondum enim*, inquit, *res erat ab Ecclesia definita; nec erat contrarius totius Ecclesiæ consensus, qui vim haberet definitionis.* En interim ille consensus, quem tot vanis, stultisque incessit irridetque dictis, ab ipso quoque agnitus. Addit: *Cælestinus, tantum respondit per verba, NON VIDETUR NOBIS; ut patet ex textu: nihil adhuc verò definivit. Quomodo ergò Adrianus potest hæreticis annumerare Cælestinum? Quid nostra? Quis enim contendit Cælestinum fuisse hæreticum, qui nulla contumacia hæc scripserit? Id tantum cum Adriano VI. volumus, Romanum Pontificem de questione ad fidem pertinente ordine interrogatum respondisse id, quod reverà est certissimè hæreticum; eumque Pontificem imposito confirmandi fratres officio defuisse, cujus sententia, vir iusta uxore privatus, mulier adultero copulata manserit; pessimum verò Archidiaconi iudicium confirmetur.* Nic. Dub.  
Refut. arg.  
art. xiv. n.  
146. 147.  
Disquis.  
art. viij. n.  
107. p. 38.  
refut. arg.  
&c. p. 78.  
vid. in ap-  
pend. lib.  
ij. c. ij.

## CAPUT

(a) Antonium Augustinum Hispanum, Ilerdæ Episcopum; deinde Tarraconensem Archiepiscopum, virum illo ævo doctissimum, & in antiquitate Ecclesiastica veratissimum, qui in Concilio Tridentino sua doctrina maximè inclaruit, multis sæpe laudibus, & quidem meritò, concelebrant FRA PAOLO & qui ejus historiam Gallicam fecit P. LE COURAYER. Errorès, qui in textu Gratiani innumerati irrepserant, Antonius Augustinus sua diligentia & impigro labore correxit, atque ipse multa edidit à doctis probata. Vid. ei. operum catal. ad calc. tract. de Correct. Grat. à Steph. Baluz. edit. an. 1672. & Baluz. præf. vid. etiam D. DUP. Bibl. xv. sæc.



## CAPUT XLI.

*Franciscana controversia : primo loco ponitur Decretalis Exiit NICOLAI III. probatur hanc veram esse definitionem doctrinalem ac dogmaticam .*

**U**LTIMO ponimus quæ Nicolai III. seu IV. ac Joannis XXII. temporibus contigerunt .

Sext. Decr. lib. v. tit. xij. de verb. signif. cap. iij. Exiit qui seminat. Nicolaus III. ut Sancti Francisci regula perfectè observaretur , & complerentur illi , qui hæc instituta mordebant ; ejus interpretationem edidit decretali *Exiit qui seminat* . ( b ) In eo verò versatur quàm maximè ut altissimam Franciscani Ordinis paupertatem exponat ; cujus Articuli hæc summa est : Quod *abdicationis proprietatis , tam in speciali , quàm in communi , meritoria est & sancta , quam Christus & verbo docuit , & exemplo firmavit , ut etiam primi Ecclesiæ Fundatoris ; quod CHRISTUS loculos interdum habuisse dicitur , id egisse infirmorum persona suscepta ; quo condescensu factum sit ut & infirma ageret , sicut interdum in fuga parat , & in loculis* .

Hoc igitur fundamento posito , distinguit in rebus temporalibus , proprietatem , possessionem , usumfructum , jus utendi , & simplicem facti usum ; quod ultimum , nempe simplicem facti usum , ab ipso etiam utendi jure discretum , solum relinquit fratribus ; propterea quod id *condecens fuerit , ei professioni , quæ sponte devovit CHRISTUM pauperem in tanta paupertate sectari* .

Sic igitur docet , CHRISTUM quoque id paupertatis & abdicationis genus fuisse sectatum , distinctèque declarat , sic à se intelligi usum simplicem , *qui facti est tantum , in utendo , præbet utentibus nihil juris* . Hunc igitur usum sanctum ac meritorium esse definit , quippe qui exemplo CHRISTI confirmetur . Atque hæc summa doctrinæ est , qua etiam ipsissimam Instituti Franciscani rationem ac perfectionem , CHRISTI imitatione constantem , expressam esse voluit .

Neque verò in hoc simplici facti usu , consumptibilia , putà vestimenta ac cibos , distincta voluit ab inconsumptilibus , putà ædibus ac cellis : imò verò disertè expressit ea , *quæ ad usum necessariæ sustentationis , pertinerent , quæque fierent , pro necessitatibus infirmorum , & aliis fratribus induendis* , ut fratres in his quoque ad simplicem facti usum redigantur , nullo interim utendi jure ipsis reservato .

Ergo quæ data essent utenda fratribus , in dominio dantis permanere posse

( b ) *Exiit qui seminat* . ) Nicolaus cum duobus Cardinalibus , Franciscani Ordinis Præposito generali , & multis Provincialibus , duos menses integros in edenda ea Bulla consumpsit . Interea cæteræ res Curiae Romanæ , aut pendebant interruptæ , aut aliis præter solitum mandabantur . Ipsi Romani Curiales stupebant , ignorantes quod tantum negotium tam secretò à Papa ageretur . Vid. D. FLEURY Lib. LXXXVII. n. 33.



posse voluit: & quoniam qui hæc darent fratribus ita affecti esse viderentur ut à se concessa verè dimittere, atque ad alios transferre cupiant propter Deum; ne talium rerum, quæ fratribus utendæ dentur, incertum videatur esse dominium, illud exemplo Innocentii IV. ad se & Ecclesiam Romanam transfert; omnimodum ulum relinquit fratribus, concessa etiam potestate vendendi & commutandi libros & alia mobilia, prout fratrum usibus conveniret.

Sic deinde concludit: *Cum ex prædictis & aliis multa maturitate discussis, regula ipsa licita, sancta, perfecta, & observabilis, nec ulli patiens discrimini evidenter appareat, ut hæc constitutio sit perpetua firmitatis hæc, sicut ceteræ constitutiones vel decretales epistolæ legatur in scholis, ac fideliter exponatur ad literam: nullis additis glossis, quocumque prætextu, sub excommunicationis pœna, nisi iis, per quas verba, seu verbi sensus, seu constructio, quasi grammaticaliter exponatur.* Sic sancta esse debuit hæc Constitutio; sic non tantum ad fratres, sed ad scholas, universamque dirigitur Ecclesiam, ut omnes fideles instruantur, quid de hac regula sentire debeant.

Hæc igitur definitè determinatèque dicta, nemo negaverit. Tum in fine subditur: *Qui contra prædicta determinaverint, seu prædicarint, excommunicationis sententiæ subjacere;* quo nihil est clarius ad definitionem dogmaticam exprimendam. Jam verò quanti hæc sint, sequentia demonstrabunt.

## CAPUT XLII.

*Decretalem Exiit confirmarunt CLEMENS V. Clementina Exivi, & JOANNES XXII. extravagante Quia quorundam: mox idem JOANNES ejusdem decretalis auctoritatem infringere aggreditur.*

**S**UBORTIS postea circa hanc decretalem aliquot scrupulis, eam Clemens V. elucidatam voluit, decretali inter Clementinas; *Exivi de Parado, de verborum significatione;* quâ disertè probat, rerum utendum ad Ecclesiam Romanam translatum dominium ac proprietatem, dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo usu facti simplicis.

Clem. lib. v. tit. xi. d. verb. signif. c. I. Exivi de Parado.

Fratres contenderunt hanc Clementinam vel maximè fuisse irrevocabilem; quippe quæ à Concilio Viennensi approbata fuerit; quod falsum (c) esse constat. Nec minùs interim constat Apostolica auctoritate comprobata fuisse à Clemente V.

Circa has decretales Nicolai III. & Clementis V. Joannes XXII. edidit Extravagantem *Quorundam*, quâ eorum declarationes vocat salubriter editas, solidas, quidem & claras & lucidas: alibi, *limpidas*. Ipse de vestium simplicitate ac forma, deque habendis cellis frumentariis ac vinariis, quid

agen-

(c) *Falsum.* Nam approbata fuit tantum in Consistorio secreto 5. Maii 1312. & lecta postmodum in sessione III.

Tom. II,

2



Extrav. tit. agendum sit, superiorum permittit arbitrio, Pontificatus anno III. CHRISTI. XIV. de verb. STI 1318.

fig. c. 1.  
Quorum-  
dam.

Etenim multi ex fratribus, fallace delusi paupertatis imagine, vanissima quæque in deformandis vestibus comminisci cœperant. Non ullis monitis, non ullis parere superiorum imperiis; seque eò pauperiores ac perfectiores arbitrari, quò infaniora cogitarent.

Rainald.  
T. XV. an.  
1318. n. 53.

Neque verò Joannes ea decretali tantos motus comprimere potuit; quin potius hinc exorti Fraticellorum insani clamores: Joannem hac decretali fecisse contra Evangelicam pauperatem & per consequens contra Evangelium CHRISTI; & idè factum hæreticum, ac Papalem potestatem perdidisse, si in hoc perseveraverit.

Extrav.  
loc. cit. c.

II. Quia  
nonnun-  
quam.

Rainald.  
jam. cit. loc.  
an. 1322.  
n. 55. & seq.

Tantæ postea exortæ sunt circa illam inglossabilem Nicolai III. Constitutionem difficultates & rixæ, tam turbidi motus, tam insana deliria, ut idem Joannes XXII. eam paulatim, quàm minima poterat antecessoris contumelia convellere cogeretur. Ac primum illud glossandi interdictum sub excommunicationis pœna à Nicolao positum, ad beneplacitum suspendit, edita extravagante; *Quia non nunquam* anno Pontificatus VI. CHRISTI 1321. Quo tempore decretalis *Exiit*, cœpit vacillare auctoritas; multaque adversus eam scripta prodierunt quæ Rainaldus edidit. Imprimis impugnabant illud quod erat in ea decretali dictum: CHRISTUM habuisse loculos, infirmorum suscepta persona, quemadmodum fugam præcipit: quæ omnia gravissime refutabant, & utrumque suo modo ad perfectionem pertinere contendebant; cùm perfectionis sit providere suis & egenis, ac per fugam dare locum iræ, nec temerè aggredi pericula.

## CAPUT XLIII.

JOANNIS XXII. *Extravagans*, ad conditorem Canonum: ea, decretalis: *Exiit dogma rejicit*.

NEQUE ita multò post Joannes XXII. progressus ulterius, duas decretales edidit, quibus concitati fratres adversus Joannem, ut apertum jam hæreticum, unà cùm Ludovico Bavaro (d) Imperatore diramoliti sunt, totaque Ecclesia famosas illas ac miras tragœdias excitarunt.

Extrav. loc.  
cit. c. II.  
ad condito-  
rem, &c.

Anno igitur Pontificatus VII. Christi 1322. Extravagantem edidit: *ad conditorem canonum*; qua rerum fratribus utendarum ad Ecclesiam Romanam translatum dominium, à se & Ecclesia Romana amovet, exceptis rebus sacris; vetat moveri lites, aliaque quæ à fratribus Ecclesiæ Romanæ procuratorio nomine agebantur.

Hac

(d) Ludovic Bavaro &c. Cùm Joannes XXII. Imperatoris nomen ei denegaret, ille Franciscanorum partibus favit. Venit ergò in Italiam, ac postquam Mediolani & Romæ coronatus est. Joannem Imperiali decreto exautoravit & Papam constituit Petrum Corberium, qui inter Franciscanos rebelles erat pertinacior. Vid. Rain. ab an. 1323. ad an. 1330.



Hac autem decretali miris modis exagitat simplicem facti usum ab utendi jure distinctum; docetque eum nec esse possibilem, nec verum, nec fratribus utilem, ad perfectionem paupertatis obtinendam, aut mundi sollicitudines removendas: ad hæc non esse justum, nedum ad perfectionem ullam pertineat; cum injustum sit aliqua re uti eum, cui jus non competat utendi; reservationem quoque dominii ac proprietatis Romanæ Ecclesiæ attributam, pari modo nec esse possibilem nec veram aut sinceram, nec justam, ac nedum Ecclesiæ Romanæ utilis fuerit, in illius notam atque injuriam redundare: Igitur se, qui veritatem colere teneretur, dignum & congruum arbitrari, ut professores dicti Ordinis, non verbis tantum, non simulatis actibus; sed operibus clavis veritate suffultis, perfectionis status, ac altioris paupertatis sibi prærogativam, præ aliis mendicantibus vindicarent. Simul declaravit consulere velle se, honori sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ejus obnubilari posset gloria, si tam perversæ simulationi, quæ profectio & ipsis simulantibus officit, & aliis scandali materiam subministrat, dissimulando illi occurrere consentiret.

Addebat nolle se in posterum, sub pretextu, seu pallio talis dominii temporalis, verbalis, nudi & enigmatici, tanta bona, quanta dicti fratres faciunt infici. Quibus sanè verbis Nicolai III. usum facti simplicem, ab eoque ortam perfectionis, altiorisque paupertatis ideam, non modò subruebat, sed etiam irridebat. Tamen prædecessorem, quibus verbis poterat, excusabat, qui pia consideratione motus, supradicta ordinavit. Curabat autem vel maxime, ut quod erat absurdissimum ab eo amoliretur, nempe vindicatam Ecclesiæ Romanæ rerum etiam consumptibilium proprietatem. Ejus igitur verba mollebat, sensum ad meliora vertebat. Id autem vel maxime inculcabat; Neminem sapientem æstimare debere, quòd Nicolaus III. absurda, injusta, nec possibilia intenderit; non sanè addebat omnino impossibile esse, ut talia definiret, quique id fieri posse sentirent, schismatis, aut erroris reos; qualia nunc venditant.

## CAPUT XLIV.

JOANNIS XXII. Extravagans, Cum inter nonnullos: ea decretalis Exiit, doctrinam de Christi & Apostolorum paupertate hæreseos damnat: à Romanis Pontificibus erronea definiri posse demonstrat: Franciscani appellantes in materia fidei à Papa ad Concilium, ejus rei gratia nullam censuram ferunt.

SUPERERAT illud à fratribus prædicatum, à Nicolao III. approbatum in Christo & Apostolis per simplicem usum facti, altissimæ, ut putabant, paupertatis exemplum. Id Joannes XXII. omnino subruit, edita Extravagante. Cum inter nonnullos, anno Pontificatus IX. Christi 1324. qua propositiones duas examinat; alteram, quòd Christus & Apostoli in speciali non habuerint aliqua, nec in communi; alteram, quòd in iis, quæ ipsos habuisse Scriptura testatur, nequaquam in ipsis jus utendi competierit. Has ritè examinatas,

Extr. Cum inter nonnullos. Ib. c. IV.



erroneas, & hæreticas judicavit; hanc verò postremam, doctrinæ Catholice eò maximè inimicam, quòd Redemptori tribuat usum & gesta non iusta: usum scilicet, sine jure utendi, ut erat expositum superiore decretali, ad conditorem.

Vid. ib.  
extr. *Quia*  
*quorundam*  
c. V.

At Minores id gravissimè tulere. Itaque Joanni XXII. Nicolai decretalem objiciunt: illum etiam apertè hæreticum inelamant, quod illa, quæ *per clavem scientiæ in fide ac moribus, à summis Pontificibus semel definita sunt, eorum successoribus revocare non licet in dubium*. Hos ut motus compesceret Joannes XXII. aliam eodem anno edidit Extravagantem: *Quia quorundam*; qua quidem Nicolaum excusat, ut potest, negatque aut ab ipso, aut ab aliis prædecessoribus definita, quæ fratres tanto studio de facti usu simplice asseriebant: ac si vel maximè definissent, *constitutiones illas fore invalidas, erroneas & infirmas*. Neque verò quod nunc somniant, id *per impossibile* dixit, aut omnino negavit evenire posse, ut à Romano Pontifice talia definiantur; sed duntaxat hæc scribit: *Quod usum talem non iustum conditor canonis fratribus intellexit reservare, probabile non videtur*. Profectò non putat rem esse impossibilem, qui id causatur tantum, probabilem non videri.

Et quidem Joannes ad Nicolaum excusandum hæc scripsit: *Non apparet ipsum dixisse, sustentationem Christi & Apostolorum ejus in solo & nudo simplici consistere usu facti*. Verum id nihil est; nam, etiamsi verum esset, concessisse Nicolaum Christo & Apostolis non modo usum facti simplicem, sed etiam aliquando ipsum jus utendi; tamen asseribat interim usum illum simplicem, non modò esse iustum, sed etiam perfectum, & in Christo præluxisse, atque ex ejus exemplo ad fratres propagatum; cum Joannes usum illum, & injustum esse universim definiret, & in Christo admittere hæreticum judicaret.

Ibid. §.  
*Rursus* 2.

Quàm profectò sententiam decretali *Quia quorundam*, luculentissimè confirmavit. Ibi enim docuit, illam expropriationem, quam in usu facti simplici, absque jure collocabant, neque à Christo *observatam*, neque *Apostolis impositam*, neque *sub voto ab ipsis fuisse receptam*. Id enim in Evangelica historia non fuisse traditum: atque hæc Christo tribuere, cum per se iusta non sint, hæreticam, damnatam, blasphemam, pestiferam esse doctrinam. Ergò satis conitat Nicolaum, edita decretali, ut perfecta laudasse, ac præscripsisse fratribus, quæ Joannes XXII. injusta de Christo dixisse, quæ idem Pontifex, non modo nova & in Scripturis inaudita, sed etiam blasphemum atque hæreticum declaravit.

Mich.  
Cæf. Trac.  
cont. error.  
Jo. XXII.  
Goldast.  
Monarch.  
Tom. II. p.  
1236.  
Rainald.  
loc. cit. an.  
1331. n. 11.  
& seq.

Quæ cum ita sint, omnes, credo, intellexerunt, id egisse Joannem, ut Nicolai decretalem tanto apparatu conditam, tanta auctoritate promulgatam, honestissimè quidem ac modestissimè quoad fieri posset, sed tamen efficacissime hac in parte subrueret.

Huc accedit Michaellem Cæsenatem fratrum Minorum Generalem, ejusque socios à tribus Joannis decretalibus, conceptis verbis, ad sanctam Romanam Ecclesiam, & ad generale Concilium universalis Ecclesiæ publicè & solenniter appellasse, & appellationem Joanni transmississe. Id & testantur acta, & Rainaldus constitetur, neque adversarii negant, has duas decretales; *Cum inter nonnullos, & Quia quorundam*, quibus duæ propositiones de-



declarantur hæreticæ , ad fidei definitionem omnino pertinere . Jam verò doceant , Minores , qui ab eis appellarint , qui professi sint Papam de fide pronunciantem errare potuisse , eò certè nomine à Joanne fuisse damnatos . Nihil reperient tot inter Apostolicas literas , quibus eos coercuit ; cum nihil prætermiserit , quo impudentissimos , atque ineptissimos Sycophantas argueret .

## CAPUT XLV.

BELLARMINI ac RAINALDI *effugia* .

**N**unc inutile est copiosius narrare , quæ recentiores , Bellarminus primum , ac recentissimè Rainaldus dixerint . Summa est hæc : Nicolai decretalem malè intellectam , neque vero suo sensu à Joanne damnatam ; tum in quibus variant illi Pontifices , *non ad fidem & morès pertinere* , sed esse de re metaphysica , interim pro certo habitum à Romanis Pontificibus , definita circa fidei quæstiones , rata esse & irretractabilia ; quæ omnia putamus satis clarè refutata ex ejus ævi scriptoribus , & ipsis decretalium verbis .

Bell. de  
Rom. Pont.  
lib. v. c. xiv.  
Od. Rain.  
Tom. XV.  
an. 1322.

Et quidem de usu facti simplice , definitionem Joannis , decretali *ad conditorem* editam , Rainaldus tueretur , Bellarminus impugnat , & Joannem *in controversia ad fidem non spectante errasse* decernit ; cum Joannes decretali , *Quia quorundam* , eum qui decretalis , *ad conditorem definita* convellat , *tamquam contumacem , & rebellem Romanæ Ecclesiæ ab omnibus haberi* jubeat .

Rain. an.  
1324. n. 32.  
Bell. loc.  
cit.

Quid quòd idem Joannes non alia causa , illum , absque jure , usum facti simplicem in CHRISTO admitti , blasphemum , hæreticum , impium judicavit , quàm quòd usus ille sit non justus , in quo eum Bellarminus errasse asserit , ac duas Joannis de fide decretales subruit .

Neque verò concesserim in re metaphysica & vana versatum esse Joannem . Omnino enim è re Ecclesiæ erat , ut evanesceret è fratrum animis , illa quam Nicolaus foverat , fallæ atque inanis perfectionis idea ; cum illam etiam CHRISTO adscribere , auctore Nicolao , minimè vererentur , eaque dementati , sibi tantopere placuerint : neque modò ad horrenda facinora , verum etiam ad hæreses & schismata proruperint .

Quòd autem Constitutionem *Exiit* , ut decretum de fide haberi noluisset , quia id Papa *non expresserit* ; neque sua pronunciata , *de necessitate credenda proposuerit* ; tamen contra ea *determinare ac prædicare* , sub excommunicationis pœna vetuerit , nos quanti hæc valeant lectori dijudicandum relinquimus . Interim intelligimus , procul ab officio confirmandæ fidei abfuisse Nicolaum , qui definitione edita , ad id induxerit animos , quod Joannes XXII. injustum , aut hæreticum declaravit .

Sed jam de Joannis decretalibus duabus : *Cum inter nonnullos* ; & *quia quorundam* , nec habent quod hiscant , cum eas decretales , adhibitis licet omnibus , quibus decretum fidei nunc constare volunt ; tamen à glossa cor-

pori



pori juris inserta, pro retractabilibus habitas, & ab ipso Bellarmino sub-  
rutas videant; ut profectò pateat, subtile illos infallibilitatis Pontificie  
defensores, dum ad inania ac minuta nos redigunt, tandem aliquandò in  
has coarctari angustias, ex quibus nullis se scholasticis argutiis extricare  
possint.

## CAPUT XLVI.

*Quæstio de visione beatifica ante universalem resurrectionem : in ea JOAN-  
NES XXII. falsa prædicat, & suadere nititur : Gallis obfistentibus,  
Ecclesiæ Catholicæ consensio cedit.*

**S**UB eodem Pontifice Joanne XXII. anno ejus 16. CHRISTI 1331. teste  
Rain. T. Rainaldo, *agitari cæpta est in Pontificia Curia quæstio de visione ani-*  
xv. an. 1331. *marum, controversa inter Theologos ejus temporis. Et quidem pro cer-*  
n. 45. *to erat, purgatas animas in cælum mox recipi; idque ipse Joannes in-*  
Ib. & an. *structione edita ad Ofnium (e) Regem Armeniæ definiverat, ut habet*  
1318. n. 10. *idem Rainaldus. An in cælum receptæ visione facili fruerentur, dubium*  
*videbatur, & negabat Joannes; atque ut ait Rainaldus: Maxima sollici-*  
Ibid. an. *tudine undique argumenta pro parte negante conquirere, & varia ex Pa-*  
1331. n. 44. *tribus testimonia contexere cepit; atque ea tanquam privatus Doctor in*  
*suis concionibus repetere, ut Præsules, Doctoresque ea argumenta diligen-*  
*tius discuterent. (f) His quidem Joannes se ipsum postea defendebat,*  
*his eum excusatum volebant, qui ex ejus auctoritate, & concionibus pu-*  
*blicè in Ecclesia ad populum habitis, periculum fidei verebatur. Cæ-*  
*terum, si ea volebat tantum discuti à Doctoribus, quorsum pertinebat*  
*prædicari ad populum? Omnino certum est, id quod etiam tota Eccle-*  
*sia, ac maximè in Gallia divulgatum ac creditum, cum errorem à Joan-*  
*ne publicè prædicatum.*

Ibid. an. His Galli nostri movebantur; tum verò vel maximè cum Geraldus Otho  
1333. n. 44. generalis Minorum Minister, Pontifici intimus, atque ab eo Internuncius  
1334. n. 30. ad Gallias missus, illum errorem Parisiis pro concione sacra exponendum  
suscepisset; ac passim ferebatur, alia licet specie, hujus rei gratia, à Joanne  
sum-

(e) Ad Ofnium) misit Joannes XXII. eam fidei professionem, quam Clemens  
IV. an. 1264. ad Michaelera Paleologum Imperatorem miserat, Male ergò hic argu-  
mentatur Odoricus Rainaldus, qui Joannem XXII. ab errore immunem eò vult esse,  
quòd fidei professionem ab alio Papa editam, quamque, non sine gravi scandalo,  
immutare poterat, de verbo ad verbum accuratè descripserit. Quanquam si ipse hanc  
fidei professionem edidisset, non propterea erroris exors omnino videretur. Nam in  
eo errabat quòd crederet, animas purgatas, sive essent, sive non essent in cælis,  
non esse visuras faciem Dei ante generale judicium.

(f) Argumenta discuterent.) Hoc quidem dicit Odoricus Rainaldus, licet histo-  
rici memorent Joannem suo errori adeò pertinaciter adhæsisse, ut eum errorem Cardina-  
les Avenione prædicaverint, sive ut Papæ placerent, sive ei ne displicerent. Et  
quidem F. Thomas Valles Anglus è Dominicanorum familia, cum in sacra con-  
cione hanc opinionem oppugnasset, sic exarsit Pontifex, ut juberet illum in carce-  
rem trudi. Vid. Nang. p. 758. Hist. Univ. Tom. IV. p. 235. FLEURY Lib. XCIV.



summissum, ejusque erroris Pontificem auctorem ac significum esse.

Philippus verò VI. Valesius (g) dictus, Francorum Rex, extrema minabatur iis, qui claram visionem beatis animabus denegabant: ad quem Pontifex epistolam scripsit, quam Rainaldus profert. Ibid. an. 1333.n.45.

Hac epistola scribit, quæstionem dubiam etiam Augustino visam; variare Doctores; se quidem hujus rei in sermonibus habuisse mentionem, quæstionem jussu suo, ut sic plenius posset inveniri veritas, disputatam.

Subdit hæc postea: *Et quia, fili dilectissime, forsitan tibi dicitur, quod nos non sumus in Theologia Magister, audi quid unus sapiens dicat. NON QUIS, inquit, sed QUID DICAT, intende: aded & ad se quoque pertinere intelligebat illud, ut non quis, sed quid diceret, cogitemus. Pergit: Utinam, fili, sicut & alias meminimus nos scripsisse, vellet audire, quæ in nostris sermonibus diximus, Regia celsitudo, & ut prædiximus, unum verbum de capite nostro non protulisse reperiesset, sed quæ vel CHRISTUS, vel Apostoli, vel Sancti Patres & Doctores Ecclesiæ protulerunt. Sic dubitantis specie, quam sequebatur doctrinam Regiis auribus innotabat.* Ib.n. 46.

Tum Regem dehortabatur ab insectandis iis, qui claram visionem negabant animabus; neque enim hoc ad Regium honorem pertinere: atque omnino permetteret utramque liberè disputari, ac prædicari sententiam; donec aliud per sedem Apostolicam declaratum fuerit. Hæc scripsit XIV. Kal. Decemb. Pontificatus anno 17. qui erat annus CHRISTI 1333.

Nihil his motus Philippus, non multis post diebus, quam epistolam acceperat, Dominica scilicet IV. Adventus, Magistros Parisienses congregavit, jussitque eos de quæstione ferre sententiam; qui omnes unanimi consensu in id convenerunt, ne clara visio beatis animabus negaretur. Quam censuram Facultatis habemus integram, ejusdem jussu Principis scriptam, pendentibus Magistrorum sigillis.

Testatus quidem Rex erat, nihil à se quæri quod Papam tangeret, quem omni honore prosequeretur: at Doctores præfati erant, audisse se, quod quidquid in hac materia sua sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando, protulerit, sed tantummodò recitando: adeo verebantur, ne Pontificum animam offenderent.

Hujus censuræ exemplum, teste continuatore Nangii hujus ævi historico, \* Rex misit ad Papam, mandans sibi à latere, quatenus sententiam Magistrorum de Parisiis, qui melius sciunt quid debet teneri & credi in fide, quam Jurista clerici \*\*, qui parum aut nihil sciunt de Theologia, approbaret, & quod susinentes in contrarium corrigeret. \* Monacho nempè sancti Dionysii.

Facinus audax, inquires, ut Galli Romanum Pontificem fidem ipsam docerent. Tanta erat fiducia agnitæ veritatis; atque his quidem Joannes celsisse videtur. Certè anno sequente, sui Pontificatus ultimo, CHRISTI 1334. editam voluit professionem eam, quæ cum Catholica Ecclesia fatebatur, quod Vid. contin. Nang. ap. Duch. Tom. V. \*\*Romani.

[g] Philippus Valesius ] Ministro generali Minorum sic respondit: *Vous êtes hérétique; si vous ne vous rétractez, je vous ferai mourir comme Patarin; & si le Pape lui-même vouloit soutenir cette opinion, je le condamnerois comme hérétique.* Verba sunt D. FLEURY. lib. XCIV. n. 35. Porro Patarini ii erant, qui tunc in vulgus multa impia Manichæorum dogmata spargebant.



*animæ purgatæ vident divinam essentiam facie ad faciem*. Atque adeo Ecclesiæ Catholicæ consensione, in veram certaque veritatis fidem, non jam cunctabundus aut fluctuabundus adductus est.

Rain. an.  
1336. n. 2.  
3. vid. in  
Bull. Rom.  
T. I. Bull.  
Benedictus.  
§. 3. 4. 5.  
p. 241.

Rom I.8.

Extrav.  
Cum inter  
nonnullos de  
verb. signif.  
c. IV.

Quodd autem eam fidem Benedictus XII. asseruit, eique obfistentes hæreticos judicavit; nihil aliud quam publicum & stabilem Ecclesiæ Catholicæ eam in rem consensum declaravit, quem jam Parisienses, quem ipse Joannes XXII. moriens agnoverat. Neque interim illud admittimus, quod est à Rainaldo aliisque responsum: quæ idem Joannes adversus eam fidem publice in Ecclesia prædicavit, ea ab ipso fuisse prædicata, ut privato Doctore. Omnino enim prædicatio in eminentissima Ecclesiæ Romanæ arce edita, ad Apostolicum officium pertinet; veramque fidem oportet in Ecclesia Romana, non modò definiri prolato anathemate; sed etiam ita doceri, prædicarique, ut inde *annunciatur per universum Orbem*: cui planè officio Joannes XXII. defuit. An ergo cum ille falsa prædicaret, nutabat ea, quam Ecclesia Romana prædicabat, fides? Aut Ecclesia Romana Sedisque Apostolica falsa & hæretica prædicavit? Aut quæ prædicanti Papæ, eadem judicanti ac definienti non obstitisset Ecclesia Catholica; defuissentque vires, quibus falsa definitio solveretur? Absit: dictum enim de Joanne XXII. esset, quod ipse de Nicolao III. dixit: si quid falsi definisset *Constitutiones eas fore invalidas, erroneas, & infirmas*; neque eo secius existimassent stetitisse immotam Ecclesiæ Catholicæ Sedisque Apostolicæ fidem. Ergò intelligamus, quæ Romani Pontifices prædicarint, crediderint, declararint, nondum esse Romanæ Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ, quoad à Romano Pontifice promulgata, totaque Ecclesia recepta obtinuerint & coaluerint, atque hanc esse Romanam, hanc Petri, hanc Sedis Apostolicæ fidem, quæ deficere non possit.







# DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI, DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

## LIBER DECIMUS.

Quo probatur convenire cum Declaratione Gallicana hæc : Quod Romana Sedes fidesque nunquam delectura sit ; & quod prima Sedes non judicetur a quoquam .

### CAPUT PRIMUM.

*Fides PETRI quid sit : verba PETRI, Tu es CHRISTUS : & CHRISTI, Tu es PETRUS &c. PETRI fides Ecclesiæ fundamentum : ad locum Matth. XVI: 16. & seq.*



**N**E quid tam necessariæ disputationi desit , placet exponere luculentius illud immotum , quod in fide Petri omnis ab origine agnovit antiquitas . Id duplici modo à Patribus intellectum : primum , ut Ecclesia Catholica in Petri fide immota consistat ; tum , ut immotum aliquid & invictum in Ecclesiam quoque peculiarem Romanam ac Sedem Apostolicam , Petri fide , prædicatione , sanguine , auctoritate , ac successione translatum fuerit .

Et quidem immotum illud , quodd à Petri fide in universam Ecclesiam diffundatur , Sancti Patres ducunt ab illa egregia Petri confessione : *Tu es CHRISTUS* , ac deinde subsecuta CHRISTI sententia : *Tu es Petrus* .

Petrus enim Apostolus , jam primus Apostolorum à CHRISTO constitutus , jam à CHRISTO *Petrus* dictus , atque his causis omnium primus ab Evange-

Tom . II.

A a

li-

Matt. XVI.  
16.  
Matt. X.  
2. Marc. III.  
16. Luc. VI.  
14.



listis omnibus appellatus, quod ipse textus Evangelii prodit legentibus; cum CHRISTUS quæreretur: *Quem me esse dicitis?* Omnium nomine confessionem hanc edidit, qua fidei Christianæ summa continetur; *Tu es CHRISTUS filius Dei vivi*. Quæ cum Petrus dixisset, hoc statim audivit à CHRISTO: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quibus verbis CHRISTUS, qui suam maximè unam volebat Ecclesiam, creavit Magistratum amplissima præ cæteris potestate, ac majestate præditum, qui omnes moveret ad unitatem, maximè in fide. Atque his duo quidem confirmavit: alterum, haud immeritò Petrum omnium nomine respondisse, qui omnium Princeps ab ipso Magistro CHRISTO constitutus esset: alterum, quoties successores Petri communem Ecclesiarum fidem, ex communi Traditione, pro officio promerent, eorum decretum, prædicationem, fidem, fore Ecclesiæ fundamentum.

Hinc CHRISTUS pollicetur, hac Petri contentis fide Ecclesiam æternam constitutam: *Super hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; neque Ecclesiam, ea fide nixam. Quo loco Sanctus Leo: *Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget*. Hæc idem Pontifex passim inculcat; hæc omnes uno ore Romani Pontifices; hæc denique Patres omnes; ut in re clara & confessa plures locos congerere supervacaneum sit. Omnino fixum illud est & immotum; cum Ecclesia Catholica ædificio comparetur, eam quam Petrus confessus est fidem, æterni ædificii æternum fundamentum esse.

Leo. Serm.  
III. in ann.  
Assump. c.  
just. cap.  
II. vid. in  
append. ed.  
Quest. n. 4.  
Serm. Leon.  
ad scrip. c.  
II. al. serm.  
II. in natal.  
Apost.

## C A P U T II.

*Ipse PETRUS & PETRI successores propter injunctum officium prædicandæ & asserendæ fidei, Ecclesiæ fundamentum: huic officio merito adjunctæ Claves.*

**N**Eque minùs ipse Petrus, ejusque successor Romanus Pontifex, tanto in ædificio fundamenti loco est, ut qui ex commisso munere, Ecclesiastici regiminis Princeps, præcipuusque ac fundamentalis officii, prædicandæ scilicet & asserendæ fidei, caput executorque sit.

Qua ex re, si quis sequi putat, Romanum Pontificem commissi officii gratia fundamento comparatum, idè in exponenda fide esse infallibilem, fallitur: aliud enim est, ut ei aliquid officii injungatur; aliud, ut illud procul omni dubio præstiturum esse constet.

Atque ut officium, quemadmodum oportet, ab ipso effectu secernamus, advertendum superest, cui rei Christus æternæ stabilitatis promissionem adjecerit: an ipsi Pontifici, an verò Ecclesiæ? Ecclesiæ certè, ut verba declarant: *Et portæ, inquit, inferi non prævalebunt adversus eam*, Ecclesiam scilicet, ut & verborum docet ipsa connexio, & Leo atque alii Patres luculen-

Matth. xvi.  
1.



lentissimè profitentur . Cui loco convenire alia CHRISTI dicta jam vidimus , quale illud est : *Si Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus : Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi : Et , Cum venerit ille Spiritus veritatis , docebit vos omnem veritatem .* Quæ ad unitatem Apostolici ordinis manifeste referuntur . Unde etiam extat illud Apostolici primi Concilii : *Visum est Spiritui Sancto & nobis ;* cui contra-ruit illud in symbolo item Apostolico , quod attributum est toti & soli Ecclesiæ , certissimum Spiritus Sancti Magisterium : *Credo in Spiritum Sanctum , Sanctam Ecclesiam Catholicam ;* nihil ut sit clarius , quàm ipsi Ecclesiæ Catholice primitus promissionem , & vim æternæ stabilitatis adiunctam .

Ib. xviii. 17.  
Ib. xxviii.  
26.  
Jo. XVI.  
13.  
Act. xv. 28.

At enim , inquirunt , Petra ipsa , fundamentum ipsum , per sese est stabile ; ipsoque adeò ædificio stabilius ; quippe quo ædificium id habeat ut firmum ac stabile sit . Id qui dicunt , non satis advertunt , ipsa etiam fundamenta posse convelli . Quare CHRISTUS æternum structurus ædificium , non in eo præcisè reponit æternam ejus ædificii soliditatem , quod in tali ministeriali fundamento . Petro scilicet ac Petri successore , sit positum ; sed quod ipso CHRISTO ædificante confurgat : *Super hanc ,* inquit , *petram ædificabo Ecclesiam meam , & portæ inferi non prævalerunt adversus eam ;* propter ædificantem scilicet CHRISTUM , qui & fundamentum posuit , & extruxit ædificium , & invicta virtute utrumque continet .

Quod ergò moderni quidam eò usque provehuntur , ut in Petro & successoribus , certiorum & clariorem , quàm in ipsa Catholica Ecclesia , stabilitatem agnoscant ; nè illi nimii sunt , neque tolerandi , quibus clarius ac firmitus videatur : *Credo Romanum Pontificem infallibilem ,* quàm , *credo sanctam Ecclesiam Catholicam .*

Certum quidem est , Ecclesiam Catholicam , constituto Principe , tanquam totius regiminis fundamentum , factam esse firmiorem . Neque tamen tu mihi fundamenti similitudinem sic urgeas , ut Ecclesia collapsura sit , si quando Principis cesset officium ; alioquin eum , qui summa in Ecclesia potestate fungatur , non modò infallibilem , sed etiam immortalem esse oportebat : aut si ad extremum urgeri placet fundamenti rationem ac vim , aliud certè est , ut ipsum fundamentum penitus subruatur : aliud , ut sit aliqua in fundamento labes . Primum si acciderit , ruit ædificium ; secundum , non ita non nunquam enim opus est ipsum refici fundamentum . Aliquis Petri successor , sive Liberius , sive Honorius , sive quivis alius in tacenda fide officio desit , atque ipsi etiam fidei adversetur ; en aliqua in ipso fundamento labes , quæ ab Ecclesia facillè reparari possit ; non item , si Petri officium in totum tolleretur , CHRISTI institutione contempta .

Illud ergò officium , ut constituere , ita destruere nulla humana vis potest ; statque illud immobile à CHRISTO constitutum Ecclesiastici regiminis fundamentum .

Quare & illud certum est , in ipsa ministeriali petra , Romano scilicet Pontifice Petri successore , vim esse ; præcipuam illam quidem ac principalem , sed tamen partialem , ut vocant ; ita ut totum ipsum parte sit firmitus .

Namque & aliquatenus aptis lapidibus ædificii compages sese ipsa sus-



tentat; mutuamque sibi operam fundamentum ipsum, compagesque præstant: atque ut compages fundamento sustentatur, sic fundamentum compage protegitur. Quin ut in Papatu maxima, ita in Episcopatu magna est à CHRISTO indita vis; suntque Episcopi capita & fundamenta particularium Ecclesiarum, ex quibus universa coalescit, & in vivo ædificio vivi lapides sese ultrò coagmentant; ipsique fundamento præcipuo, scilicet Romanæ Sedi, non modo tantum obsequio, sed etiam adunati auctoritate provident. Sic illa in infando schismate \* horrenda fundamenti labe, totius compagis ope sanata refectaue est.

Stat ergo aeternus ille in Ecclesia CHRISTI, ab ipso CHRISTO constitutus Magistratus, ad unitatem movens, fideique firmitati ex officio providens. Cui quidem officio meritò attributæ claves, solvendi que ac ligandi tanta potestas; ut quidquid in terra solverit vel ligaverit, in cælo quoque solutum, ligatumque sit; quibus verbis designari, non personæ injuncto officio defungentis infallibilitatem, sed ipsius officii efficaciam ac vim, omnes consentiunt.

Hæc igitur pertinent ad illud CHRISTI dictum : *Tu es Petrus*, constituitque omnino, Petri officium esse Ecclesiæ fundamentum, eò quod Ecclesia unitate consistat, cujus Sacramentum ac radix in Petro est.

C A P U T III.

*Locus* ; Rogavi pro te : & Confirma Fratres tuos, *Luc. XXII. 32.*  
*Aliud præceptum, aliud promissum : præceptum, Confirma Fra-*  
*tres, quid sit.*

**E**odem pertinet aliud CHRISTI dictum ad Petrum : *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* : In hac CHRISTI sententia, ut in priore, rursus distinguimus ea quæ ad officium Petri pertinent; *Confirma fratres tuos*; ad CHRISTI promissionem certam : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

Hoc ergo ex officio Petrus habet: hoc Petri successores in Petro acceperunt ut fratres confirmare jubeantur, non profecto, ut ei officio nunquam defuturi sint.

Si enim jubendo CHRISTUS id præstat, ut præceptum ipsum impleatur, jam omnes sunt impeccabiles; Romanusque Pontifex, cui CHRISTUS in Petro dixit: *Pasce oves meas*, non modo in doctrina nunquam peccaturus est; sed nec in ulla parte pastoralis officii, cum nulla profectò sit, quam non illa vox complectatur.

I. Theff. III. I. Jam quod ajunt, ipsa confirmandi voce, supremum & indeclinabile judicium, eamque auctoritatem indicari, qua nulla major esse possit, falsum est: nam *confirma*, hoc est, quantum in te est enitere ut firmi sint. *Misimus enim Timotheum*, inquit Apostolus, *ad confirmandos vos; & cui-*  
cum-



eumque Episcopo dictum est : *Esto vigilans , & confirma cetera , quæ* Apoc. III. *moritura erant* . Et ostendunt Scripturæ passim , confirmare vacillantes animos , per omnia Ecclesiastica ministeria fufum . Quod Petro ejusque successoribus singulari titulo attributum efficit quidem , ut præ cæteris , ut erga cæteros , atque etiam erga fratres & Apostolos illud facere jubeantur : non autem , ut id certissimè præstent . Nam quod objiciunt , cuique officio suam esse à Deo providentissimo adjunctam gratiam , quis id nesciat ? Adjungitur quidem ut omni officio , ita etiam Papatui , perpetua Dei benignitate , gratia singularis ; at gratiam singularem non propterea sequitur semper accipientis certa fidelitas : alioquin nunquam in eo officio peccaretur , quod est falsissimum .

## CAPUT I V.

*Promissio in illà precatione ; ut non deficiat fides tua : fides PETRI quid sit ? nunquam defectura , neque in ipso PETRO ; neque in Catholica Ecclesia ; neque in Sede Apostolica ; seu peculiari PETRI Ecclesia .*

**A**Tque hæc sunt , quæ pertinent ad CHRISTI præceptionem ; *Confirma fratres tuos* . Jam ad promissionem ista : *Rogavi pro te , ut non deficiat fides tua* : quæ quidem promissio multipliciter intelligi potest , pro multiplice personæ Petri intellectu .

Est enim primum Petrus singularis homo , cui CHRISTUS , teste Augustino promiserit ; *Ut haberet in fide liberam , fortissimam , invictissimam perseverantissimam voluntatem* . Quo sensu promissio solum Petrum spectat , non autem successores , quos in fide confirmatos , nemo , credo , nisi insipientissimus dixerit .

Et ea quidem promissione ad exequendum officium Petrus juvabatur . Quis enim dubitet promptius illud fuisse ac certius , ut confirmatus in fide confirmaret : quòd , CHRISTUS Petro significavit his verbis : *Simon , Simon , ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum , ego autem rogavi pro te , ut non deficiat fides tua* . Quo loco Leo præclare : *Pro fide Petri propriè supplicatur , tanquam aliorum status certior sit futurus si mens Principis vincta non fuerit* . Neque propterea Petri successores id haberent , ut in fide confirmarentur , sicut non omnes habent illam eminentissimam charitatem , quæ Petrus plus cæteris CHRISTUM diligens audire meruit ; *Pasce oves meas* .

Hoc igitur est quòd Petro in propria persona promissum est , neque ad posteros transitorium ; nempe ut in fide & gratia confirmetur . Jam quod sit ad posteros transitorium , ex alia duplici Petri persona pendet .

Petrus enim præter personam suam , aliam personam gerit nempe Ecclesiæ universæ ; quod ipsum ad ejus Primatum pertinet , sicut Augustinum dicentem audivimus : *Petrus Ecclesiæ gestabat in figura personam , propter Primatum quem in discipulis habuit* . Cum ergò Petro dicitur pro hujus personæ

Aug. de  
corrupt. &  
grat c.viii.  
n.17.T. X.  
p. 759.

Luc. xxii.  
31. 32.  
Leo.Serm.  
III.in. an.  
Assump. e-  
juss.c. III.  
ed. Quesn.  
4. p. 109.  
Jo. XXI.  
17.

Sup. lib.  
viii. c.xix.  
Aug.in Pf.  
cviii. n. 1.  
p.115. T.  
IV.



sonæ ratione: *Non deficiet fides tua*, hoc nempe est, non deficiet Ecclesiæ Catholicæ fides, cujus tu figuram atque personam propter Primatum geris; ac jubetur postea *confirmare fratres*, qui Primatu imposito tantam personam induerit.

Neque immeritò Petro dicitur: *Non deficiet fides tua*; fides illa scilicet, quæ cum sit Christianorum omnium, vel maxime est tua; quod eam primus omnium atque omnium nomine prædicaveris.

Aug. de  
Corrupt. &  
grat. c. XII.  
n. 38. T. X.  
p. 772. Hunc sensum Interpretes sæpe memorati secuti sunt; ad eumque alludere videtur Augustinus: *Dicente CHRISTO, rogavi pro te ut non deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui ædificatur super petram*, hoc est, omnibus in CHRISTO perseveraturis.

Hic ergò secundus sensus, pro secundo intellectu personæ Petri, totam in se repræsentantis Ecclesiam, ac maximè electos. At tertio modo, Petrus intelligi potest strictiore significato, ut qui non modò Ecclesiæ universæ personam susceperit, sed successores in Primatu suos, eorumque curæ commissam peculiarem Ecclesiam, Romanam scilicet, singulari titulo repræsentet. Quo etiam sensu, meritò Petro dicitur: *Non deficiet fides tua*; cum nunquam futurum sit, ut Petri successores eorumque universa series atque successio, sedesque cui præsent, atque Ecclesia, quam docendam & regendam susceperint, a vera fide evellantur.

## CAPUT V.

PETRUS ejusque successores *cuidam peculiari Ecclesiæ ac sedi præsidere debent*: PETRI fides in PETRI Sede, & in successorum serie non deficit.

**E**T quidem de successorum serie satis constat; cum Catholici omnes uno ore fateantur, Petri officium, hoc est, Papatum ipsum atque Primatum à CHRISTO institutum, nunquam in Ecclesia desitutum. Sed Petri successores, cum ordinandi fuerint à cœlo lapsuri non sunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari, commoverique oportebit. Necessè ergò est, aliqua ut sit Catholicæ Ecclesiæ pars, ex qua existant, alique aliis subrogentur. Quare ita constituti sunt, ut non modo universæ Ecclesiæ præsent; sed quemadmodum cæteri Episcopi, peculiarem habeant quam regant Ecclesiam; nempe Romanam, quam Petrus fundaverit & rexit, imò quàm semper & foveat & regat. Hæc ergo Ecclesia ex avita atque Apostolica Traditione, eo jure, ea dignitate est, ut quemcumque sibi, eundem etiam Ecclesiæ universæ ducem Pastoremque eligat; nec nisi ab orthodoxa, orthodoxum eligi par est. Hæc igitur Cathedra, hæc Sedes, hæc Ecclesia est, quæ pro sui Pontificis dignitate uniendæ Ecclesiæ necessaria, nunquam à vera Ecclesia, nunquam à verâ fide abrumptur.

Neque objiciant, Sedem à sedente Pontifice minimè distinguendam. Hunc enim errorem, multis jam veterum testimoniis sublatum esse credimus.



mus . Vel sanctum Leonem audiant de Sede Antiochena dicentem ; *aliud sunt Sedes , aliud Præsidentes .*

Leo. ep.  
ad Anat.  
C.P. lxxx.  
al. liii.

Neque propterea dicimus , ipsam Sedem aliquid exercere posse potestatis aut jurisdictionis , aliter quam per ipsum Præsidentem ; sed si Præsidentis erraverit , errorem eam statim repellendum , neque coaliturum .

Neque verò distinguimus à Romanorum Pontificum fide , Romanæ Ecclesiæ fidem ; quam scilicet non aliter quam à Petro primo , atque à Petri successoribus Romani didicerint .

Neque huic fidei oberit , si aliquot Pontifices officio defuerint , atque à verâ fide , eique conjuncta fidei professione aut prælicatione aliquando aberrarint . Stat enim Romana fides , ab eorum antecessoribus stabilita , ab eorum successoribus statim vindicanda ; ut factum in Liberio , Honorio , aliisque vidimus , nullo Romanæ fidei , aut Romani Primatus detrimento . *Etsi enim , inquit Leo , diversa nonnunquam sunt merita Præsulum , tamen jura permanent sedium :* quæ magis permanent jura in Sedem Apostolicam per Petrum , auctore CHRISTO collata .

Sup. lib.  
IX.

Leon. ep.  
ad Maxim.  
Antioch.  
xcii. al.  
lxii. c. iii.

Accipiendi ergò Romani Pontifices tanquam una persona Petri , in qua nunquam fides penitus deficiat ; atque ut in aliquibus vacillet , aut concidat , non tamen deficit in totum , quæ statim revidetur . Nam & Petrus negavit , & incredulus fuit , postquam etiam audivit illud : *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua ;* sed statim exsurgit , confirmaturus fratres , atque omnium nomine communem prædicaturus fidem , sicut in Actis legimus . Sit ergò in Leone ; sit in Agathone ; sit in aliis egregiis Pontificibus Petrus , fratres confirmans : sit etiam in Liberio ; sit in Honorio Petrus ad horam nutans & negans ; sed statim respiciente Domino convalescens , seque ipso validior ; ut firmitudini , Domino providente , etiam lapsus ipse serviat ; neque superfit ullum errati vestigium . Id in Ecclesia Romana contigisse multa exempla docuerunt , neque porro aliter ad consummationem usque sæculi in tota Pontificum successione eventurum esse , certa fide credimus .

Id autem beati Petri meritis tributum volumus . Omnino enim Apostoli ad CHRISTUM recepti , discipulorum ac successorum suorum regunt Ecclesias : neque illa vacat Ecclesiæ oratio Dominum deprecantis ; *ut gregem tuum , Pastor æternæ , non deferas ; sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias ;* certumque est id , quod subditur ; *iis Recloribus Ecclesiam gubernari .* Quando magis Petrus omnium Princeps , in propria Sede vivit , ac præsidet , ut & sanctus Leo egregie docet , & universa Ecclesia in œcumenicis etiam Conciliis sæpe confiretur .

Præs.  
Miss. Apost.

Vid. Leon.  
Serm. I. II.  
III. in die  
Assump.  
ejusd.

Sic ergò tertio sensu intelligatur Petri nunquam defectura fides ; quod eam Ecclesiæ Romanæ semel traditam , in eadem Ecclesia , ipsaque successorum serie , conservat ac fovet . Quibus hæc magna & præclara , seculisque Apostolicæ majestatis digna non sufficiunt , si ut se in minuta atque oppido absurda ac falsa conjiciant , non ratiociniis , sed jam experimentis vidimus .

Vid. tot.  
lib. IX.



## CAPUT VI.

*Traditio Patrum de fide & Ecclesia Romana, deque Sede Apostolica nunquam defectura: Romanorum Pontificum de suæ Sedis dignitate tuenda Traditio.*

**H**Æc, ita uti diximus, se habere universa agnovit antiquitas. Sancti enim Patres ab ipsa Christianitatis origine, dum quærunt illud immotum in fide, quod Ecclesiæ principali, Romanæ scilicet, inesse necesse sit; non Romanum Pontificem Doctorem publicum, quem à Romano Pontifice homine singulari, atque ut peccatis, ita erroribus obnoxio, discernendum cogitant; id enim postremæ ætatis inventum est; sed ipsam Romanam Ecclesiam, ac Romanam fidem, ipsam Petri Cathedram, ac Sedem Apostolicam uno ore commemorant.

Primus omnium Irenæus occurrit, dum *maximam, antiquissimam, & omnibus cognitam, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo, Romæ fundatam & constitutam Ecclesiam* celebrat. *At hanc enim, inquit, Ecclesiam, propter potentioris principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab iis qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio. (a)*

Hæc Irenæus noster Gallicanæ Ecclesiæ lumen.  
Tertull. de præscr. hæret. cap. XXXVI. p. 215. edit. Prior. Cypr. ep. ad Cornel. LIX. edit. Amstel. p. 265. al. LV. \* Felicissimi affectu.  
Ludunt qui *potentioris principalitatis* nomine Urbis amplitudinem designari putant. Agit enim Irenæus, non de Urbe, quam propter imperium frequentari; sed de Ecclesia fundata ab Apostolis, ad quam ea causa convenire, in qua conservare omnes *undique fideles* vitam & *Apostolicam Traditionem* oporteat: Neque aliter Tertullianus: *Habes Romanam, unde nobis quoque (Africis scilicet) auctoritas præsto est. Ista quàm felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* Inde auctoritas, & illa apud Christianos jam inde ab origine Romanæ Ecclesiæ præcipua commendatio.

Neque Cyprianus rem tantam conticescit: *Navigare, inquit, audent \* ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est. En unde principalis, quod Irenæus dicebat, & jam sermone Ecclesiastico frequentatum. Hunc locum Petri, & Cathedræ Sacerdotalis gra-*

[a] *Ab Apostolis Traditio* Hic Irenæus Ecclesiam Romanam magnificè verèque laudat. Duo autem dicit: 1. hanc Ecclesiam esse Christianorum communem patriam; adeo ut in ea, omnes iis bonis frui debeant, quæ, ipso jure civili, ejusdem urbis civibus sunt communia: 2. reliquarum Ecclesiarum Traditionem residere in Ecclesia Romana, quæ nimirum, omnium Traditionem eò planius habet cognitam, quod cum singulis est conjunctior necessitudinibus, & ad consilia simul communicanda promptior. Atque ea duplex est causa, verbis exquisitissimis Irenæus memorat, in ea semper ab iis qui sunt undique, conservatam fuisse eam, quæ est ab Apostolis Traditionem



gradum ; hanc Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem , Ecclesiasticæ unitatis originem idem Cyprianus sæpe commendat . Neque ab ejus Ecclesiæ principalis unitate & fide deflectere se putabat , cum Stephani Papæ de hæreticorum non iterando baptisinate decretum , tot undique conquisitis Scripturarum locis , vehemens accusator urgebat .

Nec taceam illam Optati unicam singularemque Cathedram , quam Petrus primus infederit *Apostolorum caput* ; quam Petri successores , Optato referente , usque ad Siricium , ac cæteri deinde teneant usque ad sæculi finem ; qua Donatistæ careant ; quam frustra occupare satagerent , constituto Romæ suæ sectæ vano Episcopatu ; quam sola Catholica , nulla schismatica habeat Ecclesia : quæ proinde Cathedra , si concidere posset , fieretque jam Cathedra , non veritatis , sed erroris & pestilentiae ; Ecclesia ipsa Catholica non haberet Societatis vinculum ; jamque schismatica ac dissipata esset , quod non est possibile .

Hinc illud Concilii Aquileiensis ad Gratianum Valentinianum & Theodosium Augustos : *Totius Orbis Romani caput Romanam Ecclesiam , atque illam Sacrosanctam Fidem Apostolorum , ne turbari sineret , obsecranda fuit Clementia vestra : inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant .*

Hinc Hieronymus , Oriente dissidiis \* agitato , *Cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam* , censuit consulendam ; atque ad Theophilum Alexandrinum scribit : *Se Patrum non transire terminos , semperque meminisse Romanam Fidem Apostolico ore laudatam , cujus se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur .*

Veneratur & Augustinus Romanam Ecclesiam , *in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus* : & in ea Romanam Fidem , quam in Ambrosii scriptis etiam hæretici Pelagiani suscipere cogerentur .

Hanc celebrat Gelasius ad Anastasium Imperatorem totumque Orientem confidentissimè scribens : *Quia mundo radix est Apostoli Petri gloriosa Confessio* . Qua voce designari solet Ecclesiastico stylo sacer ille & omni honore prosequendus locus , quo Apostolorum condita corpora , Ecclesiæ Romanæ , totique Christianitati , nec minùs Orbi , quam Urbi tutelæ sunt . Sic enim idem ad Euphemianum Constantinopolitanum Patriarcham : *Veniamus , frater Euphemiane , ad illud pavendum Christi tribunal ; ubi comprobandum inquit , utrum Beati Petri gloriosa confessio cuiquam eorum , quos regendos accepit , quicquam subtraxerit ad salutem* : Ecclesiam Romanam nominat à potissima parte , ab ipso Sacratio , quo Petri reliquæ requiescunt ; quo ex loco Ecclesia Romana Primatum repetebat suum . Inde scilicet facta est Ecclesiarum caput , quòd Apostolorum Princeps in ea Sedem fixerit , in ea Martyrium fecerit , eam sanguine dedicavit ; quem ad locum videas , priscorum quoque Pontificum tempore , Synodos celebratas , tamquam à Petro deductis Apostolicæ doctrinæ ac disciplinæ rivis .

Hujus ergo rei gratia Stephanus Metropoli Larissæus ad Bonifacium II.

& Synodum

Gelas. ep. viij. ad Anast. Imp. T. iv. Conc. p. 1183.

Id. epist. ad Euphem. C. P. ibid. p. 1162.

Tom. II.

B b

Opt. Mi.  
lev. de sch.  
Donat. lib.  
ij. c. ij. p.  
28. ed. Dup.  
ib. c. iij.  
ib. vid.  
Aug. de hæ.  
resib. hæref.  
Lxix. Tom.  
viiij. p. 21.  
cont. Cresc.  
lib. ij. cap.  
xxvij. n. 46.  
p. 434. lib.  
ij. c. xxxiv.  
n. 3. pag.  
454. T. ix.  
& pass.  
Epist. i.  
Conf. Ital.  
seu. Rom.  
seu. Aquil.  
an. 381. T.  
ij. Conc. p.  
999. & ap.  
Syrmon. in  
app. cod.  
Theod.  
\* Orig.  
nistarum .  
Ep. Hier.  
ad Damas.  
xiv. al. Lvij.  
T. iv. part.  
ij. p. 19.  
Id. epist.  
ad Theoph.  
Lvij. alias.  
Lxvij. lb.  
p. 597.  
Aug. ep.  
xliij. al.  
clxij. n. 7.  
vid. de grat.  
Christ. cap.  
xliij. num.  
47. T. x. p.  
249. & pass.  
in lib. cont.  
Pelag.



Ep. Steph. & Synodum Romanam hæc scribit: *Dixi, quia auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ à Deo & Salvatore nostro, summo Apostolorum data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit, in cujus confessione omnes mundi requiescunt Ecclesie.*

Est & illud Sancti Gelasii *Duodecim* certè fuere *Apostoli*, paribus meritis, parique dignitate suffulti; cùmque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, unum tamen Principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe, vel prima primum & præcipuum dirigeret Petrum, ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit; præstans Sedi quam ipse benedixit, ut portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus.

Audio quid dicant: Romanis Pontificibus, Sedis suæ dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa non esse credendum. Sed absit; pari enim jure dixerint, ne Episcopis quidem, aut Presbyteris esse adhibendam fidem, cùm Sacerdotii sui honorem prædicant; quod contra est. Nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque prærogativam contulit, iisdem inspirat verum de sua potestate sensum; ut ea in Domino, cum res poposcerit, liberè & confidenter utantur, fiatque illud quod ait Paulus: *Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Quod quidem hic semel dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem; profiteorque me de Sedis Apostolicæ majestate, Romanorum Pontificum doctrinæ & Traditioni crediturum: quamquàm eorum Sedem non ipsi magis, quàm reliqui, ac tota Ecclesia, atque Orientales haud minùs quàm Occidentales prædicant. Id sequentia declarabunt.

## C A P U T VII.

*Libellus à Sancto HORMISDA ad Ecclesias Orientales missus: ab eisdem Ecclesiis subsignatus mittitur eidem Papæ: tum Sancto AGAPETO, NICOLAO I. atque ADRIANO II. prædicata in eo libello Romana fides nunquam defectura.*

Exemp. **S**ANCTI Hormisdæ, ac Iustini Augusti tempore, Ecclesiæ Orientales libell. Joa. hanc adversus Acacium Eutychetis defensorem, à Beatissimo Papa missam formulam jussi subscripserunt: *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum Traditione nullatenus deviare; quia non potest Domini Nostri JESU CHRISTI prætermitti sententia dicentis; TU ES PETRUS ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio. Ergo ut semper servaretur, ad hæc Christi promissa referunt. Subdunt postea: Unde sequentes in omnibus Apostolicam*



*Apostolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia constituta, spero ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & verax Christianæ religionis soliditas: promittens etiam sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non in omnibus consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Hanc autem professionem meam, propria manu scripsi, & tibi Hormisdæ sancto & venerabili Papæ urbis Romæ obtuli. Atque hæc professio ab Hormisdæ Pontifice dictata, ab omnibus Episcopis Orientalibus eorumque antesignanis Constantinopolitanis Patriarchis est recepta. Qua de re Occidentales Episcopi, præsertim Gallicani, multum in Domino collætantur; ut certum sit, hanc formulam à tota Ecclesiâ Catholica comprobatam.*

Ep. Avit.  
Vienn. ad  
Hormisd.  
ib. p. 1445.

Eandem fidem Justinianus Imperator ad Sanctum Agapetum Papam à se subsignatam, iteratis vicibus mittit; (b) in secundâ verò subscriptione sic legitur: *Quapropter sicut præfati sumus, sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, quæ ab ea statuta sunt, prædicamus, ac promittimus ista inconcussè servari, & compellere, ut juxta tenorem libelli istius, omnes faciant Episcopi: ut Sanctissimi quidem Patriarchæ ad vestram faciant sanctitatem, Metropolitani verò Patriarchis, & alii ut suis faciant Metropolitanis, quatenus per omnia Sancta Catholica Ecclesiâ nostra suam habeat firmitatem; universali scilicet, ut sæpè diximus consensione constantem.*

1. Conf.  
Justin.  
ad Agap.  
ibid. pag.  
1790. ij.  
Conf. pag.  
1801. 1802.

Omnes ergò Ecclesiæ, subsignata formula profitebantur Romanam fidem, Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ fidem, integra & perfecta soliditate constare; ac, ne unquam deficiat, certa Domini pollicitatione firmatam. Nempè hanc fidem ab Episcopis ad Metropolitanos, ab his ad Patriarchas, à Patriarchis ad Papam mitti oportebat; ut omnium confessionem unus exciperet, ac pro confessione fidei, communionem omnibus, unitatemque rependeret.

Hanc professionem eodem initio, eadem conclusione, additis subinde hæresibus atque hæreticis, qui suis temporibus Ecclesiam conturbassent, persecuta sæcula frequentatam scimus. Hanc uti Sancto Hormisdæ Papæ, Sancto Agapeto, ac Nicolao I. omnes Episcopi fecerant; ita iisdem verbis Adriano II. Papæ, Nicolai successori factam in Concilio VIII. œcumenico legimus. Hæc ergò ubique diffusa, omnibus sæculis propagata, ab œcumenico Concilio consecrata, quis respuat Christianus?

Conc. viij.  
act. i. Tom.  
vii. Conc.  
p. 988. 989.

Interim id observemus, quid fixum ac divina pollicitatione firmatum ubique inculcetur: nempè id; Sedis Apostolicæ, atque Ecclesiæ Romanæ fidem minimè perituram.

Neque eò fecius per eadem tempora de ipsis Romanorum Pontificum definitionibus quæsitum, deliberatum, retractatum, factoque examine judicatum fuit, in Conciliis VI. VII. VIII. Neque obstitit Sancti Papæ Hormisdæ sententia adversus Scythas Monachos, quo minùs eorum de uno Trinitatis crucifixo doctrina, tota Ecclesiâ probaretur, ut suo loco vidimus.

Sup. lib.  
ix. c. xvj.  
& seq.

CA-

(b) *Iteratis vicibus mittit.* ) Hanc fidei confessionem jam ante miserat Bonifacio II. Vid. loc. cit. p. 1686. Eam itaque à se tertio subsignatam Agapeto misit.



## CAPUT VIII.

*Concilium Lateranense sub Sancto MARTINO Papa Sancti AGATHONIS ad Synodum VI. epistola : Item BENEDICTI XII. de visione beatifica decretalis.*

**I**N Concilio Lateranensi sub Martino Papa leguntur epistolæ ac supplicationes Orientalium æque ac Occidentalium, quibus Sedis Apostolicæ Romanique Pontificis dignitas & auctoritas mirifice commendantur; quod ejus sit definire de summæ fidei rebus, deponere hæreticos, rectam pronunciare ac firmare sententiam; aliaque ejusmodi, quæ ad ejus officium pertinere nemo Catholicus negaverit. Hæc igitur vehementer inculcant, ubi illud sempiternum exponunt, quod deficere non possit. Ecclesiam Romanam, Sedemque Apostolicam ejusque fidem prædicant: Cyprii quidem Episcopi: *Firmamentum à Deo fixum & immobile; atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit CHRISTUS Deus noster, dicens: TU ES PETRUS, &c.* Africani verò: *Magnum & indeficientem omnibus Christianis apud Apostolicam Sedem consistere fontem nubes ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, latissime irrigantes Orbem Christianum.*

Placet autem imprimis audire Stephanum Dorensem Episcopum, quæ prima erat Sedes sub Hierosolymitano Patriarcha. Is igitur contestatur, Oriente turbato per Sergium, Pyrrhum & Paulum Constantinopolitanos Præsules, advenisse se ad Apostolicam Sedem; quoniam Petrus Apostolorum Princeps à Deo claves sortitus, jussusque sit primus pascere oves: *Et ipse præcipue ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum, & immutabilem fidem, convertere aliquando, & confirmare exagitatos consortes suos, & spirituales meruit fratres: utpotè dispensativè super omnes, ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens & Sacerdotalem auctoritatem.*

Hoc igitur fundamento posito subdit: *Quod utique sciens beatæ memoriæ Sophronius quondam Patriarcha Sanctæ CHRISTI Dei nostri Civitatis, sub cujus Diocesiungebar sacerdotali officio, studuit humilitatem meam sine mora ad hanc Apostolicam magnamque dirigere Sedem. Ac paulo post: Duxit me indignum & statuit in Sancto Calvariæ loco, ubi CHRISTUS sponte crucifigi dignatus est, & ibi alligavit me vinculis insolubilibus dicens .... quantocius ergo de finibus terræ ad terminos ejusdem deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias, &c.*

Hæc igitur dicebat ille Sophronius, ille, inquam, qui Honorium confutans, responsum tulerat de tacendis una vel duabus voluntatibus. Neque verò his motus est; sed duas voluntates prædicare non desistit; neque existimavit Romanam fidem concidisse, eò quod Honorius, unus Pontifex pessima & Catholicæ pietati adversa præcepisset. Sed intellexit in Ecclesia Petri manere Petri



Petri doctrinam , atque *optima fundamenta* ; neque futurum unquam , ut illa Ecclesia à vera religione abstrahatur , quòd etiam successorum Honorii , atque imprimis Sancti Martini testabatur fides . Quare deficiente Constantino- politana Ecclesia , ac totum Orientem conturbante , veræ fidei rationem , in illa inconcussa Petri Sede quærebat .

Ex eodem Hierosolymitano tractu Romam advenerant Abbates sanctif-  
fimi , quorum supplicationem alio loco memoravimus . Hos , cùm pos-  
tulassent rectam & antiquam à Martino sacroque Concilio firmari fidem ,  
hæc subdidisse jam legimus : *Certissimè hoc scientibus vobis sanctissimis , quòd*  
*si aliter quàm à nobis pro pietate postulata sunt , quidquam omninò integri-*  
*tatem fidei corrumpens , à vestra terminetur ( id est definiatur ) Beatudine ,*  
*liberè sine dubio atque innocentes ab hoc quòd fiet , existimus .*

Sup. lib.  
ix. cap. xix.  
vid. Conc.  
Later. sub.  
Mart. j. loc.  
jam cit. p.  
117. vid.  
diff. num.  
Lxxxvj.

Cùm hæc sub dubio proponerent , non tamen dissentiebant ab iis , quæ reliqui de Romana fide semper invicta dixerant ; eosque Martinus ac Sancta Synodus suscepit æquè ac cæteros : quòd nempè intelligerent , non propte-  
reà Romanam abnegari fidem , si de alicujus Romani Pontificis judicio dubiteretur .

Sanctum Agathonem Papam à Synodo VI. susceptum vidimus hæc scri-  
bentem : *Quòd Petro adnitente , Apostolica ejus Ecclesia numquam à veritate*  
*deflexa sit : quòd ejus auctoritatem ac doctrinam Catholica Ecclesia , & œcu-*  
*menicæ Synodi semper amplexa sint : quòd eadem Ecclesia semper illibata per-*  
*manserit , propter eam CHRISTI promissionem : ROGAVI PRO TE , UT*  
*NON DEFICIAT FIDES TUA .* Hæc præclara , hæc magnifica , hæc vera sunt , ita ut ab Agathone dicta , & à sexta Synodo suscepta esse vidimus hoc est ipsa summa , successionis ipsius habita ratione ; atque omninò ita , ut cùm illis stent de ipsius Agathonis judicio habita quæstio , atque in Honorii rescriptum anathematis lata sententia . Quid plura ? Ipsa me charta deficiat , si referre aggrediar eos , qui quærentes illud immotum , quod in Ecclesia Romana sit , nihil aliud quàm ipsam Eccle-  
siam , ipsam Cathedram , ipsam Sedem Apostolicam memorarunt .

Sup. lib.  
xij. c. xxvj.  
vid. Con.  
vj. T. vj.  
act. iv. pag.  
636.

Nec Romani Pontifices unquam aliter locuti sæculo XIV. Benedictus XII. visionem beatificam sanctis ac purgatis animabus asseruit . Quo in Di-  
plomate , de Romanæ Ecclesiæ capitis Ecclesiarum principatu , multa præ-  
fatur , concluditque sic : *Pro qua ( Ecclesia ) ut in se ipsa subsistens alios*  
*informaret , passionis suæ tempore Salvator noster JESUS CHRISTUS*  
*patrem exorasse perhibetur , dicens : SIMON , SIMON , &c. EGO AUTEM*  
*PRO TE ROGAVI , &c. Sic ille ad ipsam Ecclesiam Romanam CHRISTI*  
*precationem refert : quo fieri asserit , ut in illa Ecclesia non dogmatizetur*  
*improvidum , inferatur incautum , in fide temerarium ingeratur .*

Bull. Rom.  
T. j. Bull.  
iv. Bened.  
xij. Benedi-  
ctus & ap.  
Raim. an.  
336. n. 2.  
vid. diff.  
præv. num.  
xlvij.

Hæc ait ille Benedictus , quem audivimus ita differentem , ut apertè  
fateretur , determinationes in causa fidei à Romano Pontifice editas ,  
posse esse falsas , & à successoribus retractari ; quin etiam aliquas à Joanne  
XXII. meritò retractatas . Quæ cùm is Cardinalis protulisset , non infir-  
mavit Papa , imò verò perspicuè confirmavit , dum editam à Joanne an-  
tecessore de beatarum animarum statu fidem & ipse promulgat ; & tamen  
post eam editam , ipsam quæstionem de integro tractat , ut supra  
vidimus .

Ergo



ibid.

Ergo ille cum ostendat, antecessoris suamque adeo fidem, toti Ecclesie propositam, rursus in questionem vocari à se posse; tamen Ecclesie Romanæ fidem immotam, inconcussamque prædicat: adeo hæc diversa sunt. Atque iterum id confidenter dixerim, cum Romani Pontifices, pro eo, ut par est, soleant in omnibus diplomatibus Sedis suæ dignitatem, auctoritatemque commendare, qui se, aut Romanum Pontificem in definiendis fidei questionibus infallibilem dixerit, ad hæc usque tempora neminem extitisse: adeo id in Ecclesia CHRISTI novum nimiumque est.

## CAPUT I X.

*Sancti GELASII Papæ epistola ad ANASTASIVM Imperatorem nobis obiiçitur.*

Ep. viij.  
Gelaf. ad  
Anast. Imp.  
T. iv. Conc.  
p. 1183.

**O**BIICITUR nobis insignis Gelasii locus in epistola ad Anastasium Augustum de Acacio Constantinopolitano, qui Synodum Chalcedonensem improbaverat. Eum à Felice III. excommunicatum & in excommunicatione mortuum, cum Orthodoxis Episcopis in sacra liturgia memorari optabat Imperator, agebatque cum Gelasio, ut id fieri vellet. At negabat Gelasius, Catholicam fidem pati, ut impiorum nomini communicaretur. Quæ de Catholicæ fidei sanctitate præfatus, de Sede sua hæc subdit: *Hoc est, quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa Confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur.* Nam, si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret; unde cuiquam resistere audeamus errori; vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde, si pietas tua unius Civitatis (c) populum negat posse pace componi; quid nos de totius Orbis terrarum sumus Universitate facturi, si, quod absit, nostra fuerit perversitate deceptus? Hinc triplex argumentum conficiunt: primum, si in Sede Apostolica ulla rima pateret pravitati, officio suo fungi non posset, quæ errori resistere non auderet; at Sedem Apostolicam suo officio fungi posse oportet: oportet ergo in illa nullam pravitati patere rimam. Alterum, Sanctus Gelasius fieri non posse confidit, ut in Sede Apostolica, ulla pravitati rima pateat; at si Romanus Pontifex de fide iudicando aberraret, rima pateret pravitati: ergo Gelasius id fieri non posse confidit. Tertium, si Romanus Pontifex erraret, totus deciperetur Orbis; at totus Orbis non potest decipi: ergo Romanus Pontifex à vero errare non potest.

Non his moverentur, si id quod Gelasius hic ageret, cogitare vellet; Id autem agebat, ut adversus pravitatem omnem, ne unquam irreperet, summa

(c) *Unius Civitatis.* ] Hæc ut intelligantur, sciendum est Anastasium eo maxime argumento persuadere voluisse Gelasio, sibi esse cum Acacii nomine communicandum, quod Constantinopolitani cives Acacium etiam mortuum adeo observabant, ut nomen ejus, non sine gravi tantæ urbis commotione, videretur à sacris dypticis expungi posse. Cui Gelasius responderet: non unam urbem, sed Orbem universum commotum iri, si cum Acacii nomine communicaret.



summa Sedis Apostolicæ cautio omnibus esset cognita ; subditque rationem : *Alioquin , unde resistere auderemus errori ? vel unde correctionem errantibus posceremus ?* Quo sensu à Domino dictum est : *Vos estis sal terræ , quod si sal evanuerit , aut insulsum fuerit , in quo salietur ?* Non quasi sal illud insulsum non possit fieri , sed quia , ne id fiat diligentissimè cavendum est . Quo item sensu , omnibus Episcopis Synodus Romana sub Damaso dixit : *Quemadmodum enim poterunt corrigere errata populorum , si ipsos error obsiderit ?* Quod non eò dictum est , ut se infallibiles cogitent ; sed ut falli metuant & caveant ; atque eò illa spectat à Sancto Gelasio prædicata sua & aliorum Romanorum Pontificum summa cautela adversus errorem ; ne si illis irrepserit , alios aut reprehendere non audeant , aut curare non possint . Quo loco si concludis , fieri ergò non posse , ut errent , pessima argumentatio ; ab eo quod fieri non debeat , ad id quod nequeat : aut ab eo quod fieri sine gravi detrimento non possit ; ad id quod fieri omninò non possit ; concludendumque erat , ne errent Doctores Orbis , omni ope cavendum , non tamen impossibile ; imò eò cavendum diligentius , quod impossibile non sit .

Matt. v.  
13. Marc.  
ix. 49.

Syn. Rom.  
ij. sub Da-  
mas. epist.  
ad Orient.  
part. i. Col-  
lect. Holst.  
& Tom. ij.  
Conc. pag.  
889.

Jam illud Gelasii : *Quid Deus avertat ; quod fieri non posse confidimus* , ut rima ulla errori aut pravæ hæreticorum communioni pateat ; profectò pium votum , pia fiducia est , non certa illa fides , quæ nunquam falli possit ; neque absolutam impossibilitatem denotat , sed summam difficultatem , spemque maximam , ut vigilantibus , attentis , caventibus , Deus obrepi non finat .

Cæterum absolutè impossibile esse , ut hæretici aliquandò per fraudes in Ecclesiæ Romanæ communionem obrepant , qua de re hic agebatur , ne ipsi quidem adversarii dixerint ; nemoque est , qui non videat sub Liberio , sub Honorio , sub reliquis Pontificibus suo loco memoratis , quam ampla pravitate errorique patuerit , non rima , sed janua . Quin etiam illi , qui possibile esse negant , ut Romanus Pontifex falsa definiat , possibile fatentur esse , ut falsa prædicet , summa etiam contumacia , tantosque adiutus errori aperiatur , ut loco movendus sit , ne error serpat latius : ut vel ipsis fatentibus , id quod dicit Gelasius , ad piam fiduciam , non ad omnimodam certitudinem referri necesse sit . Quod autem Gelasium movet ille metus , quid Orbi terrarum fieret , *si nostra* , inquit , *quod absit* , *fuerit prævaricatione deceptus* ; sensit ille quidem id fieri posse , ut quantum in ipso esset , totus deciperetur Orbis . Quantum enim in ipso est , totum Orbem decipit , qui docendi Orbis auctoritate pollens , prævaricatur officio . Neque tamen propterea necesse est totum Orbem decipi ; cui adversus errorem alia remedia adfutura sint . Sic enim Liberius , sic Honorius , sic alii , quantum in ipsis erat , totum Orbem deceperunt ; nec tamen deceptus est Orbis , quem adversus errantes vigilasse , ac steterisse legimus . Hæc scripsit ille Gelasius , quo nullus Pontificum de suæ Sedis amplitudine magnificentius dixit .



## CAPUT X.

## LEONIS IX. &amp; GREGORII VII. loci obiiciuntur nolis .

**A**N verò recentioris ævi Pontifices ab antecessorum Traditione deflexerint, videamus. Profert scriptor Anonymus Sancti Leonis IX. egregii Pontificis locum, quod pro solius Petri fide, ne deficeret, Dominus rogaverit: *Quæ, inquit, oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur, in throno illius, usque in sæculum sæculi; sed confirmabit corda fratrum . . . . . sicut usque Leo IX. nunc confirmare non cessavit.* Hæc Leo, sed quid contra nos, qui epist. v. ad quidem tanto conatu id agimus, ne illa Petri Sedes à vera unquam fide Petr. Ant. avellenda credatur? Quod autem ea Sedes in fide labascentes confirmare T. ix. Conc. non cesset, id à Sancto Agathone depromptum, eodem intelligendum p. 975. modo; nempe ut id ipsa series, ipsa successio, non ut singuli quique Anon. ib. præstiterint. Quin idem scriptor Anonymus ibidem impensissimè laudat n. 8. illum Sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani locum ad Nicolaum I. Ep. Ignat. C. P. ad quo allegata Christi sententia: *Tu es Petrus &c.* Sic concludit: *Et ideo Nicol. j. ab olim & prisco tempore, in exortis hæresibus, eradicatores & interemp- int. act. tores malorum zizaniorum MULTI MULTOTIES facti sunt, qui sancti Conc. viij. elitatem tuam illic (in Petri scilicet Sede) præcesserunt:* quam epistola act. iij. T. lam in Concilio VIII. lectam & susceptam Anonymus refert. Sed ad- viij. pag. vertat ad illa verba: *Multi multoties*, quibus constat communem eum esse Christianorum sensum, quod Romani Pontifices ei officio præpositi, tantam rem summa quidem ipsa præstiterint; non ut omnes, nemine excepto, nullis ejus partibus defuerint.

Idem Anonymus obiicit Gregorii VII. locum; quod Ecclesia Romana Anon. per *Beatum Petrum, quasi quodam privilegio, ab ipsis fidei primordiis, à Ib. Greg. vij. lib. viij. Sanctis Patribus omnium mater Ecclesiarum adstruitur, & ita usque in finem habebitur semper; in qua nullus hæreticus præfuisse dignoscitur, nec ep. j. a Archiep. Syn. unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. Ait T. x. Conc. enim Dominus Jesus: EGO ROGAVI PRO TE, PETRE, UT NON p. 249. DEFICIAT FIDES TUA.* Quæ omnino nihil ad rem. Non enim quærimus, an Romanus Pontifex possit fieri hæreticus, quod isti possent fieri passim consentire; sed utrum hæresim definire possit, quod etiam non hæreticum facere posse constat.

Neque enim necesse est, ut sit hæreticus, qui hæretica definiat, cum possit id facere non hæretico & contumace animo; atque ipse Cyprianus rebaptizationis hæresim, ipse non hæreticus, habito Concilio definierit. Jam quorsum id spectat, quod neget Gregorius VII. Romanæ Sedi ullum unquam præpositum fuisse hæreticum; nullum item præponendum esse, confidat? An eò ut nullus Romanus Pontifex futurus sit unquam hæreticus? Id ne ipsi quidem dixerint. Vel ergo Gregorius VII. nimius fuerit, vel pia illa sit ejus fiducia, non certissima fides, non dogma Catholicum; quod ipsa verba præferunt, si quis cautè attenderit.

Atque hinc liquido patet, quam indiligenter in hac quæstione versentur, qui



qui hos locos non satis consideratos lectosque venditant . Neque tamen mirum , si Gregorius VII. asseverare ausus esset , Romanum Pontificem non posse fieri hæreticum , qui etiam id asserere ausus est : *Quòd Romanus Pontifex , si canonicè fuerit ordinatus , meritis Beati Petri indubitanter efficitur sanctus* , ut etiam inter ejus dictatus fertur . Neque tamen ibi legimus , Romanum Pontificem errare non posse ; adèd id supra hominem in sanctis quoque visum est : sed hoc tantum , *Ecclesiam Romanam nunquam errasse ; nunquam erraturam ; Catholicum non haberi , qui non concordat Romanæ Ecclesiæ* : Quòd nos quoque credimus , omniq[ue] ope asserimus .

Greg. vij.  
lib. ij. int.  
dictat. post.  
ep. lv. ib. p.  
iii. vid.  
etiam l.  
viii. epist.  
xxj. ad  
Herim. p.  
273.

## C A P U T X I.

INNOCENTII III. ab Anonymo Auctore locus obiicitur , sed truncus & mutilus .

CENSORES nostros in impugnandis nobis , multa quidem , id autem vel maximè peccasse vidimus , quod officium pro re ; piam spem ac fiduciam , pro certa fide accipiant . Id verò confirmabit Innocentii III. insignis locus . Et quidem Auctor Anonymus id vehementer urget , quod est ab eo Pontifice dictum in Sermone II. consecrationis , qui locus sic incipit : *Cùm enim sim servus , debeo esse fidelis & prudens , ut dem familiæ cibum in tempore . Tria præcipuè Deus requirit à me , videlicet fidem cordis , prudentiam operis , cibum oris : hoc est ut sim fidelis in corde , ut sim prudens in opere , & dem cibum in ore .* Hæc quidem dixit , quæ ab ipso requirantur ; quæ præstare ipse debeat ; non quæ necessario ipse , aut alii exequantur . Pergit : *Nisi enim ego solidatus essem in fide , quomodo possem alios in fide firmare , quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere , Domino protestante : EGO , inquit , PRO TE ROGAVI , PETRE , &c. rogavit & impetravit , QUONIAM EXAUDITUS EST IN OMNIBUS PRO SUA REVERENTIA : Et idèd fides Apostolica Sedis , in nulla unquam turbatione defecit ; sed integra semper & illibata permansit , ut Petri privilegium persisteret inconcussum .* Hæc sunt , quæ Anonymus urget , aperta fallacia : quippè , cùm id quod Innocentius debeat ; id quod ab ipso requiratur ; id quod sit ejus , ut profiteatur , officii ; confundat cum eo , quod necessariò credatur præstiturus . Rogo enim , quid illud est : *Nisi ego solidatus essem in fide , quomodo possem alios in fide firmare ?* De qua fide loquitur ? De ea profectò quæ in corde sit . Tria enim , inquit , *Deus requirit à me , fidem cordis ; atque iterùm : Ut sim fidelis in corde .* Unde assert illum Apostoli locum : *Corde creditur ad justitiam .* An ergò Innocentius ita se in ea fide , quæ in corde sit ad justitiam , solidatum esse credit , ut infirmitatem humanam non jam reformidet , ab eaque tutum se esse jactet ? Id superbissimus , id insipientissimus , non profectò Innocentius dixerit . Quare illud quod ait : *Nisi ego solidatus essem in fide , quomodo possem alios in fide firmare* , ita intelligendum est , ut nisi sit in fide firmus , officium firmandi alios non pro eo ac par est possit præstare , non .

Anon. lib.  
vij. c. xij. n.  
16. vid. Innoc.  
ii. j. in  
consecr. T.  
j. pag. 188.  
ed Colon.  
an. 1575.

Hebr. v.

7.

Rom.

x. 10.



ut ipse se credat plenè & inconcussè , nulloque unquam metu ; in fide esse solidatum .

At enim eo loco Christi precationem affert , ut Petri fides non deficiat ; unde concludit fidem Ecclesiæ Romanæ nunquam defecisse , nunquam defecturam . Atqui hæc urget Anonymus , hæc continuò addita & contexta prætermittit : *In tantum enim mihi fides necessaria est , ut cum de cæteris peccatis Deum solum judicem habeam , propter solum peccatum , quod in fide committitur , possem ab Ecclesia judicari* . Ergò non credebat suam penitus inconcussam fidem ; sed quod ei Ecclesiæ præderet cujus fidem , pollicente Domino , inconcussam prædicaret , sibi accommodabat , quæ ad universam Petri successionem , eique conjunctam Romanam Ecclesiam pertinerent ; eo planè sensu , quo illud : *Ecce ego vobiscum sum* , toti Apostolico atque Episcopali Ordini dictum , singuli suo modo sibi applicant , pia ut diximus , fiducia , non certa & indubitata fide .

Inn. iij. *cum dicit ; CONFIRMA FRATRES TUOS ; auxilium impendit cum*  
 ferm. iij. de  
 consec. ib. ait ; EGO PRO TE ROGAVI , PETRE . *Exauditur enim IN OMNI-*  
 p. 19 . 194. BUS PRO SUA REVERENTIA ; DOMINUS MIHI ADJUTOR , NON  
 Psal. cxvij. TIMEBO , QUID FACIAT MIHI HOMO . Hæc an ad piam fiduciam ,  
 6. an verò ad certam pertineant fidem sequentia ostendant : *Propter causam*  
*verò fornicationis Ecclesia Romana posset dimittere Romanum Pontificem ;*  
*fornicationem non dico carnalem , sed spiritualem ; id est , propter infidelitatis errorem : quoniam QUI NON CREDIT , JAM JUDICATUS*  
*EST* . Tum subdit : *Ego tamen facile non crediderim , ut Deus permetteret*  
 Joan. iij. *Romanum Pontificem contra fidem errare , pro quo spiritualiter oravit in*  
 18. *Petro : EGO , inquit , PRO TE ROGAVI , &c.* Audis quid dicatur de  
 Romano Pontifice per infidelitatem fornicante ; quamque illud dubitantis  
 ac metuentis sit : *Non facile crediderim , &c.* ? Quòd ergò eò trahit Christi  
 precationem , non dogma fidei , sed pia fiducia , pia accommodatio est .  
 Huic favere licet , sperando & præsumendo ; pro fidei decreto hanc ha-  
 bere , novum ac temerarium est .

Sup. lib. *Atque alios quidem hujus Pontificis locos memoravimus , quibus no-*  
 ix. c. xxxix. *stra firmentur . Sed hic ostendisse juvat quàm hi quoque nihil sint : ut*  
 xl. *profectò illos pudere debeat , tantùm præsidii in iis collocasse , quæ non*  
*nisi imperitis , & cursim legentibus fucum faciant .*



## CAPUT XII.

*Petri Cardinalis de ALLIACO , de Sede Apostolica nunquam defectura  
deque Pontifice interim fallibili , & deviabili sententiâ .*

**U**LTIMO loco proferimus Petrum Alliensem & Joannem Gersonem de Romanæ Sedis æterna firmitate differentes ; ut eam cum Parisiensium sententiâ egregiè consentire constet .

Et quidem Petrus de Alliaco in illa Legatione nobili , quam adversus Pet. Montefonum Universitatis Parisiensis nomine , Avenione gessit , ad Cle-Allia. prop. mentem VII. ita peroravit : *Non ignoramus , sed firmissimè tenemus , & ad Pap. nullatenus dubitamus , quòd Sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Pe- cont. Mont. tri , supra quam , eodem Hieronymo teste , fundata est Ecclesia ; ut habe- int. op. tur in capitulo* Quondam vetus : & sicut dicit Cyprianus , xciii. dist. Gerf. ed. cap. Qui Cathedram ; de qua Sede in persona Petri in ea sedentis dictum j. P. 705. est : PETRE , ROGAVI PRO TE , UT NON DEFICIAT FIDES TUA . Luc. xxii.

In eadem Legatione tractatum edidit ad Papam & Cardinales , in quo Id. tract. hæc leguntur : *De hac Sancta Sede , in persona Petri Apostoli in ea præsi- fca apol. dentis dictum est : PETRE , ROGAVI PRO TE , UT NON DEFICIAT ad Pap. & FIDES TUA .* Luc. xxii. propter quod dicit Cyprianus xciii. dist. Qui Cardin. ib. Cathedram Petri , scilicet Sanctam Sedem Apostolicam , super quam fundata pag. 710. est Ecclesia , deserit , in Ecclesia se esse non confidat . Et Hieronymus vid. etiam. pag. 691. xxiv. quæst. i. Cap. Quoniam vetus ; dicit : *Quòd super eam fundata est Ecclesia , & quòd quicumque secum non colligit , dispergit , & in capite Hæc est fides , dicitur quod ipsa semper immaculata permansit , & in futuro permanebit : ex quibus omnibus satis patet , quòd ejus nunquam deficit fides .*

Hæc igitur cum dicat de Sede Apostolica nunquam defectura , nihilo fecius docet Romanum Pontificem in fide posse deficere : Ibidem enim hæc Ib. vid. habet : *In causa fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium gene- etiam pag. rale , sicut patet xix. dist. cap. Anastasius ; & manifestum est , quòd ad 688. ipsum pertinet Concilium in causis fidei definire , sicut patet ex auctoritate Gregorii xv. dist. cap. Sicut .*

Atque hæc , inquit , declarantur supponendo quid sit Sedes Apostolica : nam vel ipsa est universalis Ecclesia , vel aliquod generale Concilium universalem Ecclesiam repræsentans , vel particularis Ecclesia Romana , in qua scilicet Ecclesia sedet , id est , cui præsidet Summus Pontifex ; & id eo ipse & Sedes Apostolica non sunt idem , sicut non idem sunt sedes & sedens .

Cum ergò ex Petro Alliensi aliud sit sedes , aliud sedens , non mirum est aliquid convenire sedi , quod sedenti non conveniat ; nempe ut sedes deficere non possit , cum sedens sit deviabilis , etiam in iudicio de fide , quippe à quo judicante , etiam in causis fidei , ad Concilium generale , secundum eundem auctorem , appellare liceat .

Et quamvis doceat sic appellari posse ; haud minus disertè docet : Quòd ad



*ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet, auctoritate judiciali suprema, circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire: quia Sedes Apostolica, tametsi subiecta est universali Ecclesiæ, eamque representanti Concilio Generali, tamen suprema est respectu singularium Ecclesiarum; quemadmodum tradit, non modò schola Parisiensis, sed etiam ipsum Constatientie Concilium, ut sæpè diximus.*

Vid. in  
append. lib.  
j. c. vij. &  
Pet. Alliac.  
Tract. de  
aut. Conc.  
int. oper.  
Gers. T. ij.  
p. 949.

Huc spectat ejusdem Alliacenſis , alio loco relata ſententia, qua explicans illud privilegium, de non errando, quale ſit: *Aliqui, inquit, extendunt ad Romanam Eccleſiam: aliqui verò reſtringunt; ad auctoritatem univerſalis Eccleſiæ; ſed non poteſt extendi ad Papam*. Sic clarè & perſpicuè *Sedis indefectibilem firmitatem*, cum Romani Pontificis *defectibilitate* conjungi poſſe declarat.

## CAPUT XIII.

*Joannis GERSONIS eadem de re sententiā: confutantur qui putant  
variassē Gersonem: Dionysii Carthusiani loci repetuntur.*

JOANNES verò Gerson ejus discipulus hæc coram Alexandro V. præ-  
dieat : de Indis quidem : *Habent Christum*, inquit, *an purè ? Quis do-*  
*ceat ? Facile in eis sinceritas corrumpitur*, cum Ecclesiæ Romanæ non  
cohæreant, à qua fidei certitudo petenda est. De Græcis verò : *Illos*  
*mala tempestas à Sede Petri disjunctos*, non modò schismatis, sed nonnullius  
etiam hæresis macula sædasit. Latinitas ipsa purior et immaculatioꝛ sedem  
habet Petri, pro cujus fide ne deficeret, specialiter oravit ille, qui IN  
OMNIBUS EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA.

Gerf. ferm.  
Cor. Alex.  
v. in Ascen.  
Domini. T.  
ij. ed. Dup.  
P. 136.  
Ib. p. 134.

1b.p. 134. Hæc docet ille, qui ubique asserit Romanum Pontificem, etiam de fide judicantem, errare potuisse: & in eodem quoque coram Alexandro V. sermone prædixerat; *Quid, si quod perrarum est, Summus Pontifex labatur in hæresim, ut legimus Liberium Ariana hæresi subscripsisse. Cum* 1b.p. 135. ergo doceret talia, tamen Ecclesiæ Romanæ inconcussam prædicabat fidem. Id. prop. Hinc etiam illud: *Papa fluit, Papatus stabilise?*; quo scilicet ostende- facta coram Hinc etiam illud: *Papa fluit, Papatus stabilise?*; quo scilicet ostende- Angl.conf. ret, in Papa mortali, labili, atque ut vocat *deviabili*, inconcussam. iv. 1b. pag. tamen Papatus à Christo instituti stare rationem. 128. Necne audiendi qui dicunt variasse Cardinem curiam sub Alexan-

Ib. p. 135.  
 Id. prop.  
 facta coram  
 Angl. conf.  
 iv. ib. pag.  
 128.

128. Neque audiendi qui dicunt variasse Gerſonem eumque ſub Alex-  
 Vid. tract. dro V. infallibilitatis Pontificiæ defenſorem, circa Conſtantiſis Concilii  
 de Unit. Eccl. V. inſallibilitatis Pontificiæ defenſorem, circa Conſtantiſis Concilii  
 cleſ. confid. tempora in aliam ſententiam deſlexiſſe. Qui ſi legiſſent tractatum de uni-  
 x. ib. p. 117. tate Eccleſiaſtica, & conſiderationes de pace, anno 1403. editas; ſi propoſi-  
 confi. de tiones coram Anglicis ante Concilium Piſanum, anno 1408.; ſi tractatum de  
 pac. ib. p. auferibilitate Papæ; ſi conſiderationes quatuor, alioſque tractatus circa Ale-  
 69. & ſeq. xandri V. Pontificatum, facile intelligerent ejuſdem fixam invariabilemque  
 fer. Pap. p. ſententiam, Concilium Papæ, ut indeviabile deviabili, anteponi oportere.  
 209. & ſeq.

pac. lib. p.  
69. & seq.  
libel. de au-  
fer. Pap. p.  
209. & seq.

Certè



Certè hæc scribebat tum : *Jubebit exempli gratia Summus Pontifex* , Id. de au-  
*coram Theologis expertis* , quòd *fideles credant Spiritum Sanctum non proce-* ferib. Pap.  
*dere à Patre , & Filio* , *Theologorum erit doctrinaliter resistere* , &c. Ergò confid. xiv.  
 id jubere potuisse credebat , quod Evangelicæ doctrinæ repugnaret , haud ib. p. 218.  
 minus inconcussa Ecclesiæ Romanæ Sede .

Hæc quidem ostendunt non à Joanne Gersone diversis temporibus , Vid. Dion.  
 diversa dicta esse ; sed quæ isti diversa putant , in unam reverà coire Cart. tract.  
 sententiam . Quod item demonstrat pius ille doctusque Dionysius Carthu- de aut. Pap.  
 sianus , qui , & Papam in judicando *fallibilem* , & Ecclesiæ Romanæ fidem Tom. I. ed.  
 nihilo secius *nunquam defesturam* credidit . Aded liquebat , hæc duo si- Colon.  
 mul stare . Atque hinc utraque amplexi Gallicani Patres , & consen- Declar.  
 sum Ecclesiæ post Pontificalia decreta necessarium , & nihilo secius Cler. Gall.  
*Apostolicæ Sedis , in qua fides prædicatur & unitas servatur Ecclesiæ* , 1682. Præf.  
*reverendam omnibus gentibus majestatem prædicant* . & cap. iv.

## CAPUT XIV.

*Dubium resolvitur : Ecclesiæ sedisque Romanæ firmitas , ab Ecclesiæ  
 Catholica firmitate : Ecclesiæ Romanæ Traditio , universalis Traditionis  
 pars ac specimen .*

**D**ICES ex antèdictis , nec ipsam quidem Romanam peculiarem Ec-  
 clesiam , Sedemque Apostolicam satis esse firmam ; cum ostenderimus ,  
 de Romanorum Pontificum , Cælestini , Leonis , Agathonis , aliorum-  
 que decretis in Synodis œcumenicis habitam quæstionem ; cum ea de-  
 creta , toto Clero Romano consentiente , Agathonis etiam toto fere  
 Occidentali Concilio probante , & condecernente , edita fuerint .

Id qui objiciunt , non satis advertunt , quid immotum invictumque  
 dixerimus ; nempe id quod infixum penitus insertumque sit . Hæc est illa  
 Petri ; hæc est Romana fides , quam ipsa successio certi instar firmique  
 dogmatis attulerit . Neque verò probamus Turrecrematam , aliosque docere  
 visos , Papam quidem per sese errare in fide , etiam prædicando & de-  
 finiendo posse ; non autem si cum Cardinalibus ac Synodo sua deliberet ;  
 tanquam peculiaris Papæ Synodus , aut Cardinalium Collegium , id Pa-  
 pæ tribuant , ut errare non possit . Certiora cogitent oportet , qui Eccle-  
 siæ Romanæ , Sedisque Apostolicæ inviolabilem statum fidemque prædicent :  
 nempe id eventurum nunquam , ut quemadmodum Ecclesiæ , exempli  
 gratia , Constantinopolitanæ , Alexandrinæ , & nunc Anglicanæ , Danicæ ;  
 ita Ecclesiæ Romanæ error inhæreat ; quem contumace proposito tueatur ,  
 & à veræ Ecclesiæ se abrumpat sinu . Neque verò unquam Romani  
 Pontifices refugerunt , ut quod Cleri sui consensu judicassent , cum œcu-  
 menica Synodo , si res postularet , æquo animo retractarent . Quo profe-  
 cto contabatur , si aliquid fortè erroris irreperet , certè abesse contuma-  
 ciam , qua sola fit hæresis . Quin vidimus Sanctum Zozimum cum Cle-  
 ro suo sedentem comprobasse quidem Cælestii fidem , at nulla contumacia ;  
 atque



atque ab Africanis Patribus commonitum, statim ad meliora ac prisca rediisse. Quanto magis si tota Ecclesia, aut œcumenica Synodus ipsum commonuisset.

Unam ergo Ecclesiam Catholicam, utpote Spiritus Sancti Magisterio instructam, quæque eam repræsentet, Synodum œcumenicam, eam esse credimus, in quam circa fidem nullus unquam obrepat defectus, neque per contumaciam, neque per imprudentiam: Clerum verò Romanum, si quid erraret, ab Ecclesia Catholica, atque ejus œcumenica Synodo dirigi, revocari, doceri debere, perficique omnino, ne error inoleseat. Unde illa Romanæ Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ invicta firmitas, ipsa Ecclesiæ Catholicæ firmitate constat: quæ quidem Ecclesia Catholica, cum ex Christi promissione sit immobilis, Petri successionem, eique conjunctam principalem Ecclesiam, Sedemque Romanam, partem Ecclesiæ necessariam, ea vi quæ totum continet, stare quoque oportet.

Quamobrem firma quidem est Sedis Romanæ atque inconcussa Traditio; Aug. de sed illud robur Catholicæ Ecclesiæ Traditione constat. Unde Augustinus Bapt. cont. vim Traditionis exponens, id semper inculcat, ut quæ per universam Donat. lib. custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita & commendata credantur. Et Vincentius Lirinensis firmum & inconcussum id esse definit, quod n. 12. Tom. ix. p. 102. ubique, quod semper est. Cui congruit Tertulliani sententia: Quod lib. iv. cap. apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum; quo xxiv. n. 31. conclusit fieri non potuisse, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint. Tum illud præcipuum, possibile non fuisse, ut Spiritus Sanctus cxviii. n. 1. nullam earum in veritatem deduceret, ad hoc missus à CHRISTO ut esset T. ij. p. 124. Doctor veritatis. Atque hinc illud invictum, ut veritas nobis adjudiceretur, Vinc. Lir. quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à c. iij. Tom. Christo, Christus à Deo tradidit. Quæ clarè demonstrant, vim Traditionis vij. Bibl. in universalis Ecclesiæ consensione esse positam; in qua quippè sit certissimum Spiritus Sancti Magisterium. Neque ab ea sententia abludit Patr. p. 250. his antiquior Irenæus: Ecclesiæ enim, inquit, per universum Orbem. Tertull. de Præscr. hæret. cap. usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & à Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum. Ac rursus: Hinc prædicationem cum acceperit & hanc fidem Ecclesiæ, & quidem in universum Mundum Prior. pag. disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans. Pulchrè, ut 212. totius Orbis terrarum tam fida sit, quam unius domus consensio. Atque Ib. cap. iterum: Traditionem itaque Apostolorum, in toto Mundo manifestatam in xxxvij. pag. Iren. lib. omni Ecclesiæ adest perspicere omnibus, qui vera velint audire; & continuo hujus universalis Traditionis egregium specimen editurus, Ecclesiæ hæref. c. principalis, Romanæ scilicet, Traditionem adducit, qua, inquit, confundimus eos, qui quoque modo præter quàm oportet colligunt. Ac merito p. 48. Ib. n. 2. universali Traditione proposita, partem ejus necessariam, Ecclesiæ p. 49. Romanæ Traditionem commendat; cum profectò certum esset, non potuisse fieri, ut à reliquis Ecclesiis discreparet, in qua omnes unitatem Ib. lib. iij. c. iij. n. 1. p. 175. servare debeant. Ib. nu. 2.

Quæ cum ita sint, apparet Ecclesiam Catholicam primitus esse immotam cui dictum sit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, &: *Eccle ego vobiscum sum*: Ecclesiam verò Romanam ita esse immotam, ut partem Ecclesiæ principalem summèque necessariam; quæ mater ac magistra Ecclesiarum, totam ipsam Ecclesiam matrem ac magistratam agnoscat.

Atque



Atque hinc obiter illud solvitur, quod passim obiiciunt: *Non est discipulus super magistrum*: nec si discipulorum turba millies congregetur, idem magistrum auctoritate vincet. Id quidem Christum de se dicere, ut magistro unico, sequentia docent; *nec servus super Dominum suum*. Neque enim Christiani alterius quam Christi servi sumus; sed propter reverentiam quorundam Romanorum Pontificum, qui hunc sibi locum attribuunt, respondemus ex antedictis: in Christiana Ecclesia docendi auctoritatem acceptam à Christo per Apostolos Traditionis niti testimonio. Porro Traditionis omnes Episcopi testes sunt; ac vis testimonii testium consensu conitat. Summa ergo auctoritas in eo consensu est posita. Tum, Papa in Christi nomine, respectu Ecclesiarum particularium est magister ille quidem, sed respectu Ecclesiae Catholicae discipulus, cum in Ecclesiae Catholicae consensione manifestum appareat Spiritus Sancti Magisterium.

## CAPUT XV.

*Ex Sedis Apostolicae immobili firmitate concludi causas fidei ad eam Sedem referendas; non autem propterea infallibili iudicio finiendas: formulam interrogandi Romani Pontificis, de ejus iudicio piam praesumptionem, non tamen continuam certam fidem fuisse; cujus rei exempla proferruntur.*

JAM ex tota antecedente doctrina id facile consequemur, ut majores, ac praesertim fidei quaestiones, in ea potissimum Sede definiri oporteat, in qua error non obtineat; & ab eo potissimum Pontifice, qui in eam seriem intexatur, quae à fide penitus abrumpi nequeat. Id voluit Sanctus Bernardus loco celebri ad Innocentium II. *Oportet ad vestrum referri Apostolatuum pericula quaeque & scandala emergentia in Regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt: dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hec quippe hujus praerogativa Sedis. En Sedis universim ex antiqua Traditione; non singuli cujusque Romani Pontificis; qua tamen praerogativa Sedis id fit, ut de fidei periculis ad ejus Sedis Praesidem potissime referatur. Pergit: Cui enim alteri aliquando dictum est; EGO PROTE ROGAVI PETRE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA? Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur: ET TU ALIQUANDO CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TUOS. Exigitur certe; quis enim neget id à Petri successore postulari? An id officii sit semper ac necessario praestiturus, Bernardus non dicit; ac fidenter dixerim, ad Bernardi tempora dixisse neminem.*

Interim de Pontificis responso optima quaeque praesumebant; atque hinc illae formulae interrogandi de fide Romani Pontificis; Hieronymi quidem clamantis ad Damasum: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudinis tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus*

Hieron.  
ep. xiv. ad  
Damas.  
alias lvij.  
T. iv. part.  
ij. p. 19. 10.

Bern. ep.  
exc. five  
Tract. cont.  
Abel. ad  
Innoc. ij.  
Praef. Tom.  
r. Bened. p.  
643.



Sup. lib. ix. c. xvj. ep. ij. Just. ad Horm. T. iv. Conc. P. 1517.

nus est ; si quis in Arca Noe non fuerit , peribit regnante diluvio . Quæ de Sedis dignitate præfatus , de ipso Damaso hæc infert : *Quicumque tecum non colligit , spargit ; hoc est , qui Christi non est , Antichristi est* . Ac paulo post : *Decernite , obsecro : non timebo tres hypostascs dicere , si jubetis* . Cui cognatum illud supra memoratum Justiniani ad Hormisdam de uno Trinitatis crucifixo . *Hoc enim reputamus Catholicum , quod vestro religioso responso fuerit intimatum* .

Quæ formulæ ideò per totam Ecclesiam frequentatæ ; quòd in Clero Romano tanta lux , tanta doctrina esset , atque in docenda fide tanta cautio , tantum præterea in Sede nunquam defectura Christi præsidium ; ut facile præsumerent , ejus Sedis Prælulem officio non defuturum . Cæterum si hæc ad summos apices , non Sedi successionique universim , sed singulis quibusque Romanis Pontificibus tribuendum putant , jam dicant Liberio , dicant Sergio III. dicant cæteris , à quorum communionem tantisper abstinendum fuit : *Qui tecum non colligit , spargit* . Dicant Honorio : *Non timebo unam , duasve voluntates tacere vel promere , si jubeatis* ; tota quidem Ecclesia confundetur . Hæc ergò piæ fiduciæ , non certæ sunt fidei .

Aug. lib. ij. ad Bonif. c. iij. n. 5. T. x. p. 434. Vid. Conc. Later. sub. Mart. j. sect. ij. T. vj. Conc. p. 117.

Quod ad Hormisdam attinet , recordentur velim , postquam à Justiniano interrogatus , spem Orientis haud satis idoneo responso destituit , Orientalem Ecclesiam in prisca sententia perituisse ; ac demum perpallisse Romanos , ut unum Trinitatis crucifixum secum agnoscerent . Jam illud recordemur , Patres atque ipsos Romanos Pontifices , sæpe ita esse locutos , ut qui de Romani Pontificis judicio dubitarent . Hinc quæsitum in Synodis generalibus , an eorum decreta rectè haberent , necne . Hinc illud Augustini : *Romanos Clericos nihil veritati nocituros , sed tantum iniusturos sibi prævaricationis notam* , si Sancti Innocentii decreta rescidissent . Hinc illa contestatio Monachorum Hierosolymitanorum , innocuos se esse , si Martinus cum Concilio suo prava & fidei adversa definisset . Multa ejusmodi retulimus , quæ utique cum illis formulis concilianda sunt , ut una sit Ecclesiasticæ doctrinæ facies . Conciliantur autem , si de Romani Pontificis judicio dubitatum quidem , sed interim optimè præsumptum esse dicamus .

ep. Synod. Conc. Rom. sub Damaso. Coll. Helst. Part. j. p. 166. Tom. ij. Conc. p. 892.

Quin etiam memoravimus similes de cæteris quoque Episcopis locationes , atque illud imprimis Concilii Romani sub Damaso : *Neque enim hæresis malum cadere in Dei Antistites potest* : non quòd Episcopi à fide cadere non possent ; sed quòd id futurum non facile præsumerent .

Notum illud Cypriani ad Florentium Pupianum ( d ) in se rebellantem , de singulis quoque Episcopis dictum : *Nec hæc jacto , sed dolens profero : cum te judicem Dei constituas , & Christi , qui dicit ad Apostolos , ac per hos ad omnes præpositos , qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt : QUI AUDIT VOS ME AUDIT . . . inde enim schismata & hæreses obortæ sunt , & oriuntur , dum Episcopus , qui unus est , & Ecclesiæ præest , superba quorundam præsumptione contemnitur , & homo dignatione Dei honoratus , indignus hominibus judicatur* . Quem locum ad cujuscumque Diocesis Episcopum pertinere , & sermonis probat series , & novissimus Auctor Anonymus confitetur . An ergò volebant singulis Episcopis

( d ) Ad Florentium Pupianum . ) Is in Africa , ut videtur , Episcopus fuit , qui cum Novatiani partibus adhæreret , Cypriano nomen Primatis & etiam Episcopi denegabat .



copis sic aptari illud : *Qui vos audit me audit* , ut nemo à fide caderet , nemini unquam obstitendum esset ? Hæc aptè , hæc temperatè hæc pia fiducia præsumebant , non ad extremos apices exigebant . Similis locus apud Cyprianum in Epistola ad Cornelium Papam . Quid Hieronymus ? Nonne de Rufino hæc prodidit : *Scribis quoque me literis indicasse , quod Papa Theophilus expositionem fidei nuper ediderit , & polliceris , quod quid ille scripserit tu sequaris ?* An ergò Alexandrinum Antistitem infallibilem cogitabat ? Subdit Hieronymus : *Si Papæ Theophili sententiis delectaris , & nefas putas Pontificum decreta convelli , quid de cæteris dicis , quos ipse damnavit ?* Aded optima quæque de Episcoporum judiciis præsumebant , neque tantum in fidei quæstionibus , sed etiam in particularibus causis . Unde subdit : *Quid de Anastasio , de quo nulli , ut ais , verum videtur , ut tantæ urbis Sacerdos , vel innocenti tibi facere injuriam potuerit , vel absenti .* Nempe adversarii , si de fide ageretur , stricte illud urgerent , non potuisse fieri , ut Anastasius Romanus Pontifex à fide deficeret : cum de Rufini peculiari causa agatur , fateri coguntur , humani sermonis consuetudine , pro certis assumi solita , quæ pia fiducia præsumerent .

Sexcenta ejusmodi commemorare possem , sed in re tam obvia pudet esse diligentem . Quin ipse novissimus scriptor Anonymus quanta refert , quæ per se ipsa vana sint , nisi in nostram interpretationem temperentur ! Nempe Innocentius I. ad Macedonas hæc scripsit : *Adverti Sedi Apostolicæ , ad quam relatio , quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat , aliquam fieri injuriam , cujus adhuc in ambiguum sententia ( e ) duceretur .* Hic Anonymus , qui nihil nisi infallibilitatem cogitat , statim infert , Romanorum Pontificum in fide certissimum esse judicium . Atqui non de fide , sed de disciplina variabili agebatur . Percurrat capitula Lector diligens , nihil aliud quàm instituta Ecclesiastica inveniet ; cujusmodi decreta non semper admitti , & etiam ad incudem revocari posse , idem Anonymus cum Theologis omnibus confitetur . Tum illud Innocentii perpendatur : *Adverti Sedi Apostolicæ aliquam fieri injuriam , cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur .* Audis aliquam injuriam ; non hæreticos , non schismaticos cogitabat : *aliquam injuriam fieri querebatur* , quod de tanta potestate non satis æqua præsumerent ; ut etiam si de fide ageretur , locus hic adversario nihil prodesset .

Idem Auctor laudat Tarraconense Concilium , ejusque epistolam ad Hilaram Papam , in qua sic habetur : *Privilegium vestræ Sedis , quo per totum Orbem Beatissimi Petri prædicatio universorum illuminationi prospexit , &c. subdunt : Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam : inde responsa quærentes , unde nihil errore , nihil præsumptione , sed Pontificali totum deliberatione præcipitur .* De Silvani Calaguritani causa agebatur , ejusque ordinationibus præter canones factis : id petunt ab Hilario , *ut quid super hac parte observare velitis , Apostolicis assensibus intruantur .* Ac postea : *Erit vester triumphus , si Apostolatus vestri temporibus , quod Sancti Petri Cathedra obtinet , Catholica audiat Ecclesia .* Exclamant Papam in fide esse infallibilem , cum de fide nullus quæreret . Præsumebat Synodus Pontificem , cui depositum fidei commissum

( e ) Sententia . ] Hic agit Innocentius de ea sententia , qua Siricius Papa an. 390. Bonosii ordinationes damnaverat .

Tom. II.

D d

Cyp. ad  
Corn. lix.  
al. Iv.

Apol.  
Hier. adv.  
Ruf. lib. iij.  
Tom. iv.  
part. ij. p.  
453.  
ib. p. 455.  
Ibid.

Innoc. j.  
ep. xxij. ad  
Maced. T.  
ij. Conc. p.  
1272.

Anon.  
lib. i. c. v.  
n. 12. Conc.  
Tarrag. ep.  
i. ad Hilar.  
T. iv. Conc.  
p. 1033.



commissum esset, ut in illo deposito, ita in peculiaribus causis, *nihil errore, nihil presumptione*; sed omnia Pontificali deliberatione gesturum, ut in tanta Sede fieri consueverat. Cætera ejusmodi æquè inania commemorare piget.

Memoratur & illud Paschalis II. in Concilio Lateranensi III. De privilegio agebatur, quod ad investituras laicales tuendas, Henricus V. Imperator à Paschale II. in vinculis detento, per vim extorlerat. Bruno Signinus Episcopus dixit: *Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Paschalem audivimus proprio ore clamantem, illud privilegium, quod pravitatem & hæresim continebat.* Hic quidam Episcopi commovere coeperunt Paschalem hæreticum cum immeritò appellari; privilegium illud malum quidem fuisse; hæresim non fuisse. Paschalis deinde hæresis horrenda voce pulsatus, in hæc verba prorumpit: *Fratres & Domini mei, audite: Ecclesia ista nunquam habuit hæreses; imò hic omnes hæreses conquassatae sunt; & pro hac Ecclesia Filius Dei in passione oravit, cum dixit; EGO PRO TE ROGAVI, UT NON DEFICIAT FIDES TUA.* Hæc si ad extremos apices urgent, dicant velim, an putent Papam nec hæreticum esse posse; professionem hæreticam ab eo, ne per vim quidem, extorqueri posse. Non id dicent, sat scio. Ergò hæc ad commodam interpretationem temperanda, qua de Pontifice, propter honorem Sedis, optima præsumantur.

Quid quòd Guido Viennensis, tum Legatus Apostolicus, mox Calixtus II. Papa in Viennensi Synodo definivit, *dictante Spiritu Sancto, Investituram omnem de manu laica hæresim esse judicamus?* Quid quòd Paschalis II. hæc decreta firmavit, seque adeò in eam hæresim, per vim quidem, sed tamen lapsum esse confessus est? Quid quòd eadem Synodus, Sanctis Episcopis consentientibus, ad Paschalem scripsit: *Si nostræ Paternitatis assertiones roborare nolueritis, nos à vestra obedientia repellitis.* Ubi tum illud: *Qui tecum non colligit, spargit?* Ubi illud: *Hoc reputamus Catholicum, quod vestro religioso responso fuerit intimatum?* Siquidem ea ad extremos apices exigantur. Ex quibus colligitur, quæcumque pro hac infallibilitate speciosissima venditant, ea penitus inspecta, nihil aliud præferre, præter præsumptionem probabilem ac piam fiduciam.

Sic profectò nobis integra, quod ad fidem attinet, judiciorum Ecclesiasticorum ratio constet. Sic enim intelligimus, aliud esse, quod pia fiducia præsumimus, aliud quod certa fide credimus. Cum Episcopi ac Synodi particulares de fide judicant, hos vera judicasse pia fiducia suadet; succurrit enim illud: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum:* meritòque præsumitur, tanto præsidio fultos, officio non defuturos, neque aberraturos ab antiqua Ecclesiarum suarum Traditione, cujus custodes sunt. Jam si ad Romanum Antistitem quæstio devolvitur; atque in Ecclesiarum omnium communione vigens, ad quem proinde omnia referuntur, promittit judicium ex illa Petri Sede, quæ est ædificata in generationem & generationem, ubi stabiliendæ fidei tanta constantia & adversus hæreses atque novitates tanta cautela esse solet; multo magis præsumitur judicium, ex Petri æquitate ac prædicatione, & communi Ecclesiarum Traditione esse depromptum. Cum verò Ecclesia Catholica ipsa decernit, aut ipsa consentit, non præsumptio, sed res ipsa; nec jam pia illa fiducia, sed *πληροφορία*, quam Paulus appellat, ac plenæ fidei certitudo.



## CAPUT XVI.

*De Sancto THOMA & Sancto BONAVENTURA Facultatis Parisiensis Doctoribus , quid GERSON senserit : utriusque ac præsertim Angelici Doctoris sententia explicatur .*

**Q**UANTUM Theologi graves , postquam exploratam habent Patrum sententiam , non multum commoveri solent novellis scholasticorum opinionibus ; nostra tamen postulat erga Sanctum Thomam ac Sanctum Bonaventuram , scholæ Parisiensis decora , reverentia singularis , ne illos silentio prætermittamus .

Et quidem Joannes Gerson sermone Constantiæ dicto , festo die Sancti Antonii , in hæc verba : *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ* ; posteaquam retulit illud Sessionis V. Constantiensis , de Conciliari potestate decretum : *Huic* , inquit , *veritati fundatæ supra petram sacre Scripturæ quisquis à proposito detrahât , cadit in hæresim jam damnatam , quam nullus unquam Theologus maxime Parisiensis & Sanctus asseruit . Vidi nuper Sanctum Thomam & Bonaventuram dantes supremam & plenam Summo Pontifici potestatem Ecclesiasticam . Rectè procul dubio ; sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos & particulares Ecclesias .* Hæc Gerson ; neque reverà quidquam aliud apud Sanctos illos Doctores legimus .

Certè Sanctus Thomas alicubi docet , *ad Romanum Pontificem à Synodo appellari , quæ omnia parent ex gestis Chalcedonensis Synodi .* Quo uno satis constat . Sanctum Doctorem locutum generatim de Synodis , abstrahendo ab universali vel particulari Synodo . In actis enim Chalcedonensibus videmus appellatum à particulari Flaviani Constantinopolitani Synodo , ad Sanctum Leonem ; à Synodo universali appellatum fuisse non videmus . Jam de Pontificia infallibilitate , quem unum quæstionum fontem vidimus , apud Bonaventuram quidem nihil invenio , quo eam Romano Pontifici asserat . Imò verò tractans promissionem illam , qua Pontificia infallibilitas vel maximè stare videatur ; *Rogavi pro te &c.* Bonaventura sic exponit , ut ad fidem Ecclesiæ Catholicæ referat .

Sanctum verò Thomam audimus eodem modo exponentem : *Universalis Ecclesiæ fides non potest deficere , domino dicente , ROGAVI PRO TE , UT , &c.*

Huic interpretationi reliqua Sancti Doctoris , in secunda secundæ de fide tractantis , doctrina congruit : nam quæstione I. Articulo IX. sic habet : *Sed contra est , quod Ecclesia universalis non potest errare , quia à Spiritu Sancto gubernatur , qui est Spiritus veritatis : hoc enim promisit Dominus Discipulis , Joan. XVI. dicens : CUM VENERIT ILLE SPIRITUS VERITATIS , DOCEBIT VOS OMNEM VERITATEM .*

Eodem Articulo ad tertium exponens , cur in Symbolo ita dicatur , *Credo in Deum* , quod ad fidem formatam , id est cum charitate conjunctam pertinet , ait : *Quod confessio fidei traditur in Symbolo quasi ex persona totius Ecclesiæ ,*

Joan. ij. r.

Gers. serm. in festo S. Ant. T. ij. Dup. p. 355.

Bonav. T. ij. exp. in Ev.

Luc. c. xxij.

Vid.

comm. S. Thom. in Evang. Luc. S. Thom. secunda secundæ qu. i. art. ix. Sed contra.

Joan. xvij.

13. S. Thom. ib. ad tertium.



quæ per fidem unitur. Fides autem Ecclesiæ est fides formata : talis enim fides invenitur in omnibus illis, qui sunt numero & merito de Ecclesiâ. Quare illud : Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, fidei formata est. Talis enim fides Petro promittitur, & merito refertur ad universalem Ecclesiâ, cui semper inesse constat fidem, eamque formatam.

Id. ib. art. x. in cor. por. Quod autem idem Doctor articulo sequente, concludit. Quod ad summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare, ita est intelligendum, ut ad ipsum præcipue; ut sine ipso ad nullum; denique ut ad ipsum, ut

Anton. publicam personam, hoc est, utentem Concilio, & requirentem adjutorium sum. Theol. universalis Ecclesiæ; quemadmodum Antoninus Thomæ discipulus exponebat.

part. iij. par. iv. p. 418. verfo. Unde Sanctus Doctor eodem Articulo X. sic habet: Sed contra est, quod editio symboli facta est in Synodo generali; sed ejusmodi Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari, ut habetur in decr. dist. 17. Ergo editio symboli ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet: Summi certe Pontificis, utentis Concilio & requirentis adjutorium universalis Ecclesiæ.

Et ibidem ad secundum respondens ad illud Synodi Ephelinæ interdictum, quod aliam fidem præter Nicænâ nulli proferre liceat, sic ait: Ad secundum dicendum, quod prohibitio & sententia Synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per ejusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere; non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam: sic enim quælibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur & ejus sententia confirmatur. Porro confirmare quid sit alibi diximus, nec repugnat Sanctus Thomas; sed Ecclesiasticam vocem ex universali Traditione intelligendam relinquit.

Sup. lib. viij. cap. ij. & seq. Idem Sanctus Doctor Articulo IX. præcedente dixerat, argumento sed contra: Symbolum est auctoritate universalis Ecclesiæ editum: nihil ergo inconueniens in eo continetur. Hic robur, hic omnimoda & inconcussa firmitudo.

S. Thom. ib. art. ix. Sed contra. Cum ergo concludit in corpore Articuli X.: Quod ad Summi Pontificis auctoritatem pertineat editio Symboli; quod ad ejus auctoritatem pertineat finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; quod unitas servari non potest, nisi quæstio fidei determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia firmiter à tota Ecclesiâ teneatur: intellige ex ipso, non quod in Summo Pontifice sola ea auctoritas resideat: nam universali Ecclesiæ, ejusque Synodis tribuit auctoritatem & potestatem edendi Symboli, eamque inconcussam; sed quod in Summo Pontifice sit ea auctoritas, quæ omnibus præsit, quæ omnes moveat ad unitatem, quæ ubi opus est, & omnes convocet & acta confirmet. Qui autem convocat & confirmat, non proinde ipse solus judicat atque determinat; sed omnium judicio determinationique consentit, atque ex eis pronunciat.

Sic ejus sententia à tota Ecclesiâ firmiter tenetur, ut dixit Sanctus Thomas: Quia ex omnium sensu ac totius Ecclesiæ Traditione judicat. Unde etiam Synodi sententia, ejus sententia est; alluditque S. Thomas ad eum decernendi morem qui jam obtinuerat, ut sub Papæ nomine Synodale decre-



tum ederetur , atque ipse , Synodo approbante , decerneret .

Ex quibus intelligitur , id quod ipse Sanctus Doctor sic deinde concludit : *Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli , sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam , ut congregare Synodum & alia ejusmodi : satis enim ex dictis patet , Symboli editionem ad solam auctoritatem referri Pontificis , quod & ipsa præcipua sit , & sine illa nihil fiat , aut valeat , quod sæpè diximus .* Ib. art. x.  
In corp.

Cùm autem Sanctus Thomas ait , ad Summum Pontificem pertinere , ut congreget Synodum , ostendit se loqui de ordinariis casibus ; cùm omnes fateantur , multos esse casus , quibus Synodus , etiam invito Summo Pontifice , congregari possit , ut vidimus .

Jam quòd idem Sanctus Doctor fidei unitatem inde proficisci docet , quòd fidei quæstio ad eum referatur , qui toti Ecclesiæ præsit ; omnes Catholici consentiunt : atque id est quod Joannes Gerson his affirmat verbis : *Ea quæ fidei sunt , debent eadem esse apud omnes , & hæc identitas & unitas , vix aut nunquam perpetuari potest , nisi recursus esset finalis ad unum caput .* Non profectò quod omnia à solo Papa finiantur : nihil enim magis abhorret à Gersonis sententia ; sed quòd finale illud sit , quod cum tota Ecclesia Papa definiat . Gers. tract.  
de Conc.  
gen. unius  
obedient.  
T. ij. p. 28.

Merito ergò Gerson nihil se à Sancto Thoma discrepare docet ; ac si rectè intelligatur eorum sententia , summa quidem ipsa in unum convenit . Id tantùm Gerson , alique Parisienses Sancti Thomæ doctrinæ addiderunt , quòd diuturnissimi atque hætenus inexperti schismatis malis docti , multa experiri , multa prævidere coacti sunt , circa dissensionem Synodi ac Papæ , quæ Sanctus Thomas non attigit , tùm quòd occasio & tempus non id postulabat tùm quòd minùs necessaria videbantur rudioribus Theologis , quos ipse in Summa instruebat . Unde hic summa capita attigisse contentus reliqua prætermittit .

Denique quòd Sanctus Thomas eodem Articulo X. majores ac difficiliore quæstiones ad Summum Pontificem referri inde probat , quòd Dominus Lucæ, XXII. Petro dixit , quem Summum Pontificem constituit : *ROGAVI PRO TE , UT NON DEFICIAT FIDES TUA ; ET TU ALIQUANDO CONVERSUS CONFIRMA FRATRES T UOS :* rectè omninò facit ; atque id directè probant illa CHRISTI verba : *Confirma fratres tuos .* Quo quidem officio confirmandi fratres maximè opus est , in ardua & ancipiti re ; neque tamen concludendum , ad Summum Pontificem propriè pertinere , ut non deficiat fides ejus : neque enim Sanctus Thomas id dicit , imò ex ejus dictis contitit , quòd illa non defectura fides Petri sit ipsa universalis Ecclesiæ , aut certè peculiaris Ecclesiæ Romanæ fides . Atque ita Sanctus Thomas exposuit , cùm hunc Lucæ locum dedita opera interpretaretur . S. Thom.  
loc. cit.

Quare si rem , uti diximus , summa ipsa perpendimus , nihil Sanctus Thomas à reliquis Parisiensibus differre videatur , quem tamen si perfractè nihil tale memorantem , ad Romani Pontificis omninò absolutam atque independentem ab Ecclesiæ consensu auctoritatem trahant , patiantur certè nos in doctrina Patrum , qui antecesserint , atque in posterioribus , jam quæstione mota , Concilii Constantiensis judicatis , tutò acquiescere .

CAPUT



## CAPUT XVII.

*Testimonium ex CLERI GALLICANI cœtu anno 1626. petatum :  
alia argumenta ex Janseniano negotio deprompta solvuntur :  
conventus anni 1653. bullæque sollemnis acceptatio .*

Anon. de  
libert. &c.  
lib. ix. cap.  
x. num 3.  
Avis de  
l'Assemblée  
du Clergé  
à MM. les  
Archev. &  
Evêques, du  
10. Janv.  
1626. art.  
cxxxvij.

**A**T enim obijciunt, malè hæc à nobis memorari tanquam Ecclesiæ Gallicanæ dogmata, cùm à Cleri Gallicani cœtu recente memoria rejecta sint. Atque hic referunt Comitiõrum generalium anni 1626. Articulum CXXXVII. in quo hæc verba sunt : *Hortandos Episcopos, uti Sedem ob-  
servent Apostolicam, Ecclesiamque Romanam infallibili Dei promissione funda-  
tam*. At quorsum nobis hæc obijciunt quæ tuemur ? Certè enim Sedem Apostolicam, partem Ecclesiæ principalem, atque omnium caput, ea promissione, qua totum ipsum nititur fulciri diximus. Gravius illud putant quod subditur. *Petro cum clavibus datam infallibilitatem fidei, quam videmus, divinæ potentiæ miraculo, in Petri successoribus ad hodiernum usque diem immobilem permanere*. Quis enim nostrum negat, Petro promissam eam, quæ nunquam deficiat, fidem, atque in ejus successoribus, Divina Providentia permanisse, ac porro permanuram fidem, summa quidem ipsa, ita ut ipsa series atque successio nunquam à fide abrumpatur, quemadmodum à Patribus intellectum esse vidimus. Miror hæc à viris gravibus, atque à novissimo Auctore Anonymo venditari. Neque pluris valet id quod à Gallicanis depromit Episcopis, in ea epistola, quam ad Innocentium X. anno 1653. de condemnandis Jansenii propositionibus præscripserunt : *Majores Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam referri, sollemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat*. Quæ sanè nihil contra nos, qui confitemur, fidem Petri in Sede Apostolica minimè defecturam, atque ejus rei gratia fidei causas ad eam referendas. Hæc ergo ex communi Traditione desumpta nobis obijci ratio non sinit. Sed quia ex Jansenii negotio, alia argumenta ducunt, quæ magni putant ponderis, rem ipsam ab exordio repetamus.

Anon.  
loc. jam  
cit.  
Id. lib.  
vij. c. xvij.  
n. 12.  
Relat. des  
délibér. du  
Clergé de  
France, Pa-  
ris, Vitre,  
1661. p. 25.

Ib. p. 26.

Primum ergo prodiit ea epistola anni 1653., qua plurimi Episcopi Gallicani Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi libro posthumo & doctrina commoti, à Summo Pontifice flagitabant, ut quinque præsertim propositiones epistolæ inferret, de quibus disceptatio periculiosior, & contentio ardentior esset, sua Sanctitas expenderet, ac perspicuam ac certam de unaquaque sententiam ferret. Hæc summa epistolæ est, cui octoginta \* circiter Episcopi subscripserunt.

\* Lxxxv.

Bull. Inn.  
x. lib. p. 28.

Re diu perpenfa, multisque & gravissimis habitis consultationibus, Innocentius X. uti rogatus fuerat, sententiam tulit de illis quinque omnium sermone celebratis propositionibus : de quibus occasione libri, cui titulus : **AUGUSTINUS CORNELLII JANSENII IPRENSIS EPISCOPI**, inter alias ejus opiniones orta fuerit præsertim in Galliis controversia : quas propositiones singulas Pontifex sua nota confixit, nec tamen probatis aliis opinionibus quæ continentur in



tinentur in dicto Jansenii libro; Datum pridie Kal. Junii, anno 1653. Pontificatus IX.

Eam definitionem per Nuncium Apostolicum misit in Galliam cum duplici Brevis Apostolico; altero ad Regem; altero ad Episcopos Gallicanos. Rex, 4. Julii, anno 1653. dedit *Patentes*, quas vocant, *litteras* ad Archiepiscopos & Episcopos. His cum declarasset nihil Innocentii Constitutione contineri, quod *Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus & Regiæ coronæ juribus esset adversum*; Episcopos hortabatur atque admonebat, ut eam publicarent, & executioni darent. Nam quod primum irrepleverat, id etiam *julere*. Regem, Clero postulante, subiatum est.

Quid deinde in recipienda atque publicanda Pontificia Constitutione Episcopi Gallicani gesserint, docet relatio anno 1655. jussu Congregationis Cleri Gallicani lingua vulgari facta, atque edita ad rei memoriam sempiternam; atque à quadraginta Episcopis, totoque ipsis adjuncto Presbyterio, universi Cleri nomine subsignata.

Quæ ergò doceat illa relatio hæc sunt. Primum quidem visum esse, ut ad firmiorem Constitutionis executionem Sedisque Apostolicæ major in dignitatem, atque Episcopatus honorem, ipsa Constitutio facta Episcoporum cœtu reciperetur atque firmaretur. Habitus ille cœtus undecimo Julii anno 1653. in ipsa Regia, in ea scilicet Luparæi palatii parte, in qua morabatur Eminentissimus Julius Cardinalis Mazzarinus, præcipuus Regni administer, qui sacro cœtui præsidebat.

Ibi primum lectæ sunt Patentes literæ, observatumque ab Episcopis, à Rege pro more declaratum, ipsam Constitutionem nihil Regni juribus nocituram, jussosque Regis ministros, ut operam suam in exequenda Bulla Episcopis adjungerent. Cæterum quod attineret ad Constitutionis solemnem receptionem, quæ auctoritate Ecclesiastica fieret, id totum Episcopali deliberationi à Rege permissum. Atque iterum: Definitionem à Papa editam, liberæ Episcoporum deliberationi relinquendam, ut ejus publicationem atque executionem decernerent, nullo coacti judicio secularis potestatis.

De ipsa deliberatione, sic est in nostra relatione proditum: Cum Constitutionis materia & argumentum à duodecim annis per Gallias agitatum, omnibus notum esset, fieri è agnito, Pontificia Constitutione, firmatam antiquam Ecclesiæ fidem à Conciliis ac Patribus traditam, atque in Concilio Tridentino innovatam. Itaque communi omnium sententia conclusum ab Episcopis congregatis, ut acceptarent Bullam, omni obsequio ac reverentia susciperent, quæ in ea decisa essent. Sic à Clero Gallicano Pontificia Constitutio, facta deliberatione, suscepta & acceptata est. Quam vocem rei exponendæ necessariam condonari nobis volumus: ut quæ lingua nostra aliquid spontaneum, atque, ut ita dicam, auctoritativum sonet.

Hic subdit recordatio susceptæ à Majoribus nostris Sancti Leonis adversus Eutychem epistolæ: Quod in ea recognoscerent fidei suæ sensum, & ita se semper ex Paterna Traditione latentur tenuisse. Jam ad relationem redeamus.

Decretum in eadem congregatione Episcoporum, ut ad Summum Pontificem & ad omnes Episcopos scriberetur: utque epistola ad Episcopos ita conscriberetur, ut Episcopis Gallicanis constaret integrum jus definienda-

Ib. p. 27.  
& 33.

Declar.  
du Roi &c.  
ib. 34.

Ib. p. 5.

Ib. p. 6.

Ibid.

Ib. p. 7.

Ep. Syn.  
Episc. Gall.  
ad Leo.  
Mag. T. iij.  
Conc. pag.  
1329. int.  
Leon. post.  
epist. lxxvj.  
al. 51.

\* Scriptum legimus in Relatione ad Papam, mendo Typographico vel descriptoris incogitantia.



rum, primo certe gradu primaque instantia, fidei quæstionum, ubi id utile videretur; sive pœnas juris decernendo adversus manifestos hæreticos, sive res dubias, congregatione habita, decidendo. Sic Ecclesia Gallicana juris Episcopalis ubique recordatur.

Ibid. Epistolæ, congregatione habita, lectæ, probatæ, ac subsignatæ sunt ab omnibus Episcopis, 15. Julii.

Ib. p. 36. Epistola ad Papam hæc habet: *Non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & anathematismis adversus Apollinarium & Macedonium, nondum ab ulla œcumenica Synodo damnatos, à Damaso paulo antea jactis; judicia pro sancienda regula fidei, à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina æquè ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.* Quo loco id volebant, non esse semper necessariam Synodi œcumenicæ sententiam, ut Christiani ad fidei officium tenerentur; sed omninò sufficere, consulentibus Episcopis, Romani Pontificis auctoritatem; siquidem decretum ejus reciperetur, ut ipsi fecerant, atque à se factum esse gestis indiderant ad rei memoriam.

Ib. p. 40. In epistola ad Episcopos disertè scriptum erat: *Et ad Episcoporum necessariam atque essentialem dignitatem pertinere, ut de fidei quæstionibus primam ferrent sententiam; & ne id facerent (Episcopos qui Papam consuluerant) animorum dissentionibus fuisse prohibitos.*

Addebant: ad nos Constitutione perlata, *Episcopos congregatos, ut deliberarent quid in hoc negotio factu opus esset, uno spiritu, uno corde, uno ore ita consensisse ad recipiendum illius judicium, cui per unitatem Christiani Episcopatus Hierarchica subordinatione colligati essent; ut merito crediderint propositionum condemnationem, unà cum eo à se quoque esse prolatam ac pronunciatam.* Sic se Episcopos, hoc est, *confudices, & condecernentes*, quòd sæpè diximus; suumque consensum, non nudi obsequii, sed etiam judicii, decretique Ecclesiastici loco esse meminerant.

Hæc triginta Episcopi decreverunt, subsignarunt, tota Gallia divulgavit; eoque Spiritu omnes Episcopi Constitutionem ad se ab eo cœtum missam receperunt; ut dubium non sit, quin communis is fuerit Ecclesiæ Gallicanæ sensus.



## C A P U T XVIII.

*Tres aliæ secutæ CLERI GALLICANI CONGREGATIONES probant necessariam Episcoporum consensionem, atque hanc pro Ecclesiastico judicio esse habendam.*

**P**ERGIT relatio docetque : *Harum barbararum auctores, neque Summi Pontificis auctoritate, neque Ecclesiæ Gallicanæ universali assensu cohiberi potuisse* ; subortam de genuinis propositionum sensibus quæstionem, sive vitiligationem, cujus gratia ( anno 1654. 9 Martii ) xxxviii. Episcopi iterum ad Luparam, apud Eminentissimum Mazarinum convenirent.

Rel. p. 8.

Quæstio gravis Patribus visa est, atque omnino id agi, ut Constitutio evanesceret, summusque Pontifex tantum inani murmure detonasce videretur. Itaque datum negotium aliquot Episcopis, ut quæ ad hanc rem facerent, diligenter ponderarent; quorum relatione facta, lectisque Jansenii necessariis locis, aliisque in eam rem editis scriptis atque documentis, re in deliberationem adducta, *conclusum est ( à sacro cœtu ) declaratum iri per modum judicii, visis omnibus causæ ex utraque parte documentis, in Constitutione damnatas propositiones, ut quæ Jansenii essent, ac sensu Jansenii, cujus judicii relatio ad Summum Pontificem atque etiam ad universos Episcopos Gallicanos, datis literis, mitteretur, 23. Martii, anno 1654.*

Ib. p. 14.  
& 15.

Sic Episcopi in Constitutionis Apostolicæ executione atque interpretatione, suborta difficultate, quam ad decreti fidei robur maximè pertinere constaret, agunt ut judices, idque ad Innocentium X. scribunt his verbis : *Ad munus Episcopale pertinere putavimus, recens excitatas à Clericis numero paucis contentiones, definitione nostra compescere; qua Constitutionis Apostolicæ integra executio, quæ nobis commissa est, adversus alienas à vero illius sensu expositiones sancitur. Atque iterum: Nos in hac urbe Parisiensi congregati censuimus, & per epistolam encyclicam his literis adjunctam declaravimus, propositiones illas & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii à Sanctitate vestra damnatas, disertis & manifestis verbis: denique: Constitutionem ordine canonico latam, atque genuino in sensu intellectam, quem literæ istæ patefaciunt nos suscipere testamur.*

Ib. p. 45.

Ib. p. 46.

Sic profectò testari pergunt consensionem suam, cum ad Papalis decreti auctoritatem accedit, judicium esse Ecclesiasticum; qua etiam Constitutionis verus genuinusque, quem ipsi admittant, sensus exponatur; genuino sensu, inquit, quem literæ istæ patefaciunt.

Epistola verò ad Præsules Gallicanos missa, sic dicunt : *Declaravimus & hoc nostro judicio, declaramus: ut nemini dubium esse possit, quin judicium Ecclesiasticum hac sua definitione protulerint.*

Ib. p. 49.

Hæc igitur omnia ad Innocentium X. missa, ac per Episcopum Lutensem tum Romæ agentem tradita, summa Pontificis gratulatione accepta sunt, probatumque est latum de sublata difficultate ac Bullæ interpretatione ab Episcopis judicium, dato Brevis 29. Septembris, anno 1654.

Ib. p. 15.



Ib. p. 58. Quo Brevi recepto, ac per universam Galliam promulgato, tertio Episcopi Parisiis congregantur, atque ad universos Galliarum Episcopos hæc gesta prescribunt, testanturque ab Episcopis primum congregatis, cum reverentia receptam Constitutionem, unoque Spiritu cum Sanctissimo Papa probatam ac pronunciatam quinque propositionum, quas ipse censura confixerat, condemnationem. Quod rursus declarant consensionem suam verum Ecclesiasticumque iudicium.

Ib. p. 59. Subdunt ab Episcopis iterum congregatis verum Constitutionis sensum, expresse iudicio declaratum, data epistola 10. Maii 1655.

Vid. p. 62. Anno denique 1656. Episcopi quartum congregati numero XL. cum & seq. deputatis omnibus, ordinario cœtu Cleri Gallicani, quæ tribus antè actis cœtibus gesta erant, ordine recensita confirmarunt 2. Septembris. Insuper affirmarunt, intactam & inviolatam manere Sancti Augustini doctrinam, quam Jansenius perperam sibi vindicavit; atque hæc omnia ad Alexandrum VII. perscripserunt.

Ib. p. 69. In epistola ad Regem hæc dicunt: *A se denuò confirmata & approbata, quæ Mazarino Cardinale Præsidente gessissent Episcopi ad acceptandum iudicium suæ Sanctitatis, & condemnationem errorum*: Regique supplicant, ut jubeat iudices suos adesse auxilio Episcopis exequentibus Constitutionem, eorum consensu receptam.

Ib. p. 74. Ad Reginam verò matrem: *Ab Innocentio X. confirmatum id quod ipsi judicassent*: tum: *Acceptatam à se unanimi consensu Sedis Apostolicæ definitionem*.

Ib. p. 77. Postea ad Episcopos: *Exequendam Constitutionem eo sensu, qui iudicio Episcopalis cœtus declaratus esset mense Martio 1654. ad quos etiam mittunt formulam ab omnibus subscribendam*.

Denique relationem, ex qua hæc omnia retulimus, fieri iusserunt, comprobant, manu sua confirmarunt. Hæc gesta, prima, secunda, & quarta Septembris in Congregatione generali totius Cleri Gallicani anni 1656.

Sic igitur Ecclesia Gallicana decretum fidei à Sede Apostolica missum, consensu, iudicio, deliberatione accepit.



## CAPUT X I X.

*Duo exempla ab antiquitate deprompta , quibus GALLICANARUM CONGREGATIONUM gesta firmantur' : Sancti SIRICII de JOVINIANO judicium : Capuana Synodus , & ejusdem SIRICII responsio ad Macedonas .*

**S**IC quoque solebat antiquitas . Quarto sæculo , cum Jovinianus virginitatis propositum improbaret , eamque hæresim in ipsa etiam urbe Roma disseminare inciperet , Sanctus Siricius Papa , *facto Presbyterio* , eum condemnavit , atque hoc judicium ad Mediolanensem direxit Ecclesiam . Sic autem erat constitutum : *Unde Apostolorum secuti præceptum , quia aliter quam quod accepimus , annunciabant , excommunicavimus .* Omnium ergo nostrum tam Presbyterorum quam etiam totius Cleri , unam scitote fuisse sententiam , ut Jovinianus , Auxentius , Genialis , &c. qui incentores novæ hæresis & blasphemiae inventi sunt , divina sententia , & nostro judicio in perpetuum damnati , extra Ecclesiam remanerent , quod custodituram Sanctitatem vestram non ambigens , hæc scripta direxi .

Hoc Sancti Siricii Papæ ac Sedis Apostolicæ judicium Itali Episcopi , Sancto Ambrosio Præfide , Mediolani congregati , Synodali judicio receperant his verbis : *Itaque Jovinianum , Auxentium &c. sic quos Sanctitas tua damnavit , scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.* Sic damnatos Sedis Apostolicæ judicio , ipsi quoque , sed prolato pariter judicio , damnant . Unde ille consensus , quo Ecclesiastica judicia summam vim obtinent , perinde haberi censetur , cum vel Episcopos præeuntes Sedes Apostolica probat , vel Sede Apostolica præeunte , concinunt & consentiunt Ecclesiæ .

Sic ab Episcopis Gallicanis Lutetiæ Parisiorum frequente Conventu sæpius congregatis , Innocentii X. recepta Constitutio . Reliqua in Janfenii Augustinum Sacrosanctæ Sedis acta , eodem Episcoporum consensu valuerunt . In Galliis maxima solemnitate , gravissimoque judicio expressus consensus est editus ; ut solet esse clarius , ubi controversiæ maximè viguerunt . Bullas interim toto Orbe Catholico receptas esse constat , ut nullus omnino sit dubitationi locus , quin istud hæreticum dogma æterno judicio condemnatur .

Jam quod Episcopi Gallicani Episcopalis juris esse profitentur , ut , cum res tulerit , ipsi adunati de quæstionibus fidei primam ferant sententiam , ex antiqua item Traditione depromptum est . Ita enim Antiochenæ , Constantinopolitanæ , Africanæ Synodi , de Pauli Samosetani , Eutychetis , Pelagii , ac Cælestii hæresi judicarunt , multaque alia hujus rei exempla memorantur , quæ Sedes etiam Apostolica comprobavit . Illud insigne est , quod à Synodo Capuensi gestum est sub eodem B. Papa Siricio , cujus adversus Jovinianum decreta retulimus .



Ea Synodus paulo ante decretum illud, ut videtur, duabus de causis celebrata est; primum ad finiendam Ecclesiæ Antiochenæ veterem discordiam, cum Evagrius & Flavianus de Episcopatu contenderent; secundo, ut de Bonoso Episcopo ferretur judicium, qui adversus Beatæ Mariæ Virginitatem blasphemare ausus fuerat.

Cum neque Flavianus, neque, ut videtur, Bonosus Synodo Capuensi se sisterent; illius causa, Theophilo Alexandrino atque Ægyptiis Episcopis; hujus, Anytio Thessalonicensi ejusque Synodo delegatur.

Hæc quidem decreta erant, salva Sedis Apostolicæ auctoritate; unde Ambr. ep. Beatus Ambrosius ad Theopilum, Synodi Capuensis nomine, hæc scribit: *Sanè referendum arbitramur ad Sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant.* Subdit pacem futuram; cum id, inquit, gestum esse cognoverimus quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit.

Neque est ambiguum quin Anytio Macedonibusque, quibus præerat, Episcopis, eadem lex dicta sit; cum constet eam Provinciam Sedi Apostolicæ peculiari jure fuisse subditam. Quo etiam factum est, cum quædam causæ pars indecisa penderet, ut Beati Siricii Papæ sententiam exquirerent. At Sanctus Pontifex sic rescripsit: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia, nostram sententiam sciscitari voluistis; sed cum ejusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, advertimus quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de his quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur; quia hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus; nec refugiendi, nec elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus delegit. Ac paulò post: Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Hæc deinde subjungit: *Sanè negare non possumus de Mariæ filii jure reprehensam, meritòque vestram sanctitatem a horruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit.* Quam causam multis ac præclarè egit.

Hanc egregiam Epistolam inter Beati Ambrosii Epistolas sub ejusdem Ambrosii nomine legebamus: sed ipsa verborum series, atque ibidem facta Ambrosii mentio repugnabat. Eam vir doctissimus & candidissimus Lucas Holstenius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, ex veteribus Archivis Sancto Siricio restituit (f).

Holst.  
Collect.  
part. I.

Jam  
(f) Siricio restituit. Holstenii rationibus non moventur PP. Bened. qui dubitant utrum ille manuscriptorum auctoritatem, an verò Baronii conjecturam securus fuerit. Idem existimant hanc epistolam tam benè, aut alicui de Italia Metropolitano attribui posse, aut ipsi Ambrosio scribenti nomine alicujus Synodi, quam Siricio. Vid. eorum notas loc. cit. At D. De TILLEMONT, qui Holstenii conjecturam habet probabiliorē, dicit non esse verisimile Ambrosium nomine Synodi, cui præfesset, hæc verba scripsisse: *Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit; nec verisimilius hanc epistolam posse attribui alicui de Italia Metropolitano.* Vid. Tom. x. Ambr. vit. art. lxx. p. 240. & not. xlv. p. 755. 756.



Jam ex ea Epistola hæc habemus : primum, causam fidei Anytio ejusque coepiscopis à Capuana Synodo delegatam , atque ab iis judicatam fuisse : neque tantum judicatum Bonosum Beatæ Mariæ Virginitati detraxisse , sed etiam eam blasphemam esse sententiam , quod judicium Sanctus Syricius comprobavit . Hoc primum . Tum illud , Beatum Pontificem , etiam Macedonum Episcoporum id deferente Concilio , nullam judicii partem delibare voluisse ; sed rem integram reliquisse iis , quibus Capuensis Synodus demandasset .

Et magna quidem erat , cujus auctoritati Sanctus Syricius detulit , Capuensis Synodus ; non tamen œcumenica . Verum Romani Pontifices Ecclesiastici ordinis , atque æqui juris observantissimi , non ea attingebant , quæ à particularibus etiam Synodis decernerentur , nisi postquam ad eos canonico ordine devenissent .

Hinc illud : *Vestrum est judicium ferre de omnibus ; & nobis judicandi forma competere non potest , & : Vos potius Synodi vice decernitis , nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit* . Et quidem satis indicat , neque id se detracturum fuisse , si res integræ essent : sed post Capuensis Concilii judicium , eo modo atque ordine procedi oportere , quo Sacrum Concilium judicasset . Tanta erat modestia , tam æquo jure omnia disceptabant ; neque interim cum res ac locus exposceret , suæ potestatis obliti , sed vim Ecclesiæ in canonico ordine reponebant .

Ergo in Janseniano negotio Episcopi Gallicani , ex antiquo more ac jure , hæc duo sibi meritò vendicarunt ; & ut Episcopale sit in causis fidei primam ferre sententiam ; & ut Episcopi Sedis Apostolicæ ad se perlata judicia , ipsi dato judicio , recipiant , (g) interpretentur , exequantur ; neque ulla in re ab antiqua Traditione , ac Patrum sententia deflexerunt .

CA-

(g) *Dato judicio recipiant &c.* ) Multi Theologi , præsertim à Gallia , Bullas de re Janseniana eas esse dicunt , quæ ab Ecclesia nunquam receptæ fuerint , nunquam recipi possint . Sed illos admoneo , ne hic sua ingerant argumenta , neve litem intendant . D. BOSSUET , qui in illo capite & in aliis antea duobus , Jansenianum negotium , aut non tractat , aut illud tractat obiter & historicè , eò ut inde probet tantum Bullas Pontificias in illo negotiò , quemadmodum in multis aliis fuisse quidem receptas ab Episcopis Gallicanis ; sed more solito ; id est , postquam , facto examine , ipsi de illis Bullis judicium tulerunt .



## CAPUT XX.

*Dictum illud : PRIMA SEDES NON JUDICATUR A QUOQUAM  
cujus virtutis sit ; an cum Declaratione Gallicana consentiat :  
duplex ejus sensus ; alter de persona Papæ ; alter de sententia  
ab eo dicta : de particularibus Synodis intelligendum : Sinuessana  
Synodus ; Romana Concilia sub Symmacho Papa .*

**N**UNC exponendum superest , quomodo cum declaratione Gallicana consentiat illud à prima antiquitate depromptum ; *Prima S. des non judicatur à quoquam* ; vel quidquid dictum est in eam sententiam ,

Id duplici modo potest intelligi : alter , ut persona Pontificis eam Sedem tenentis à nemine judicetur : alter , ut lata ab eà sententia à nemine retractetur .

Conc. Si-  
nues. T.  
i. Conc.  
pag. 940.  
1b. pag.  
943.

Primò itaque sensu , sic legimus in Sinuessano illo suspectissimo Concilio ab Episcopis ad Marcellinum Papam dictum , cum in Diocletiani persecutione thurificasset : *Tu eris judex ; ex te enim damnaberis , & ex te justificaberis , tu enim judex , tu reus .* Et iterum : *Iuste ore suo condemnatus est .* Ac postea : *Nemo enim unquam judicavit Pontificem , nec Præsul Sacerdotem suum ; QUONIAM PRIMA SEDES NON JUDICATUR A QUOQUAM .*

Quæ utcumque se habent , nihil ad rem . Quæstio enim superest , an hac voce , à quoquam , intelligenda veniat tota Ecclesia Catholica , sive Concilium Œcumenicum eam representans . Ac si cum Baronio , & Binio vel maximè volumus hanc admittam Synodum , jam illud constabit coactam Synodum absque Romano Pontifice , citatumque eum qui responderet , ac negantem convictum esse , adductis testibus , & ad confessionem adactum , & graviter reprehensum , ultima tantum sententia ipsi reservata .

Hæc enim omnia fieri potuisse legitimo ordine , in fidei violatæ causa , Cononitæ omnes , etiam Ultramontani , facillè consentiunt , atque ex his actis probant . Alii ad alia extendunt , atque ultimam tantum excipiunt sententiam .

Verum sententiam hanc si dare non potuit privata Synodus , & in facto particulari , eoque obscuro , quod nec nisi adductis infinitis testibus probaretur , & adversus Pontificem statim pœnitentem : non profectò sequitur , ut in re notoria & quæ totam spectet Ecclesiam , & adversus contumacem , totique Ecclesiæ perniciosum Pontificem , nihil fieri possit .

Sed omittamus suspectissimam Synodum , cujus nec acta sunt integra , totaque actio , ipseque adeo locus , non cuiquam unquam notus .

Atque ut ad certiora veniamus , primùm occurrit illud ex Concilio Chalcedonensi , damnatum Dioscorum Alexandrinum , qui Leoni Papæ aulus sit anathema dicere , *quod nunquam factum est* , ut in ea Synodo legimus . (b)

Conc.  
Chalced.  
act. i. T.  
iv. pag.  
93. act.  
11. pass.

Verum ( b ) *Legimus .* ) In Synodi Chalcedonensis definitiva sententia adversus Dioscorum sess. iij. p. 414. & in epistolis Synodalibus ad Imperatorem & ad Leonem , multas fuisse causas , cur Dioscorus damnaretur , & hanc imprimis : quòd præsumpsisset excommunicationem dictare adversus Archiepiscopum Romæ Leonem . Sed ea verba quæ D. BOSSUET hic allegat : *Quod nunquam factum est* , eo in loco non reperimus ; sed tantum sessione i. p. 95. in qua objiciebatur ausum fuisse ( Dioscorum )



Verum & hoc nihil ad rem: certum enim à Dioscoro id in particulari sua Synodo \* factum, ut ex historiis constat, & Baronius confitetur.

Graviora fortè sunt ac propius rem, quæ in Conciliis Romanis sub Sancto Symmacho gesta sunt, ad annum Christi circiter 501.

Clerici quidam, ac multi de plebe, Symmachum multorum scelerum postulabant; atque ab eo per schisma recesserant: quin etiam rebus suis spoliaverant, & tanquam vacante Sede *visitatorem* induxerant. Ingens turba in Urbe consecuta erat. Theodoricus Rex Civitatis suæ paci consulens, Synodum ex diversis Provinciis, nempe Liguria, Emilia ac Venetiarum congregat; *ut de iis quæ Venerabili Papæ Symmacho ab adversariis dicerentur impingi, judicaret legitime*. Hæc ex Synodo III.

Quænam illa scelera Symmacho imputata essent, necdum scimus, nullaque est historia, nullis gestis proditum; adedò obscura res erat. Id tantum in gestis legimus; dixisse Regem, *plura ad se de Papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata*. Denique ab accusatoribus servi ad testimonium poscebantur, quod cum etiam legibus \* interdictum esset, facile demonstrabat, quàm eos idoneæ probationes deficerent.

Ipse Rex testabatur: *Nihil ad se præter reverentiam de rebus Ecclesiasticis pertinere*: penes Synodum esse iudicium; ac si à causæ cognitione abstinere vellent, paci certè Urbis consulerent; id unum im- perabat.

At Episcopi in Synodo III. sæpè testati sunt, causam divino committendam esse iudicio, vel maxime propter Sedis Apostolicæ dignitatem, & cum Sancto Pontifici rerum ablatarum restitutio negaretur, eumque sponte iudicio se sistentem, adversarii penè ad necem cecidissent, Episcopi Romam convocati eo magis in proposito perstiterunt. Itaque in Synodo V. ipsos accusatores Symmachi damnant, ejus causam divino reſervant arbitrio.

Interim Ennodius Diaconus, Synodi auctoritate ac jussu, apologiam Symmachi edidit, in qua hæc erant scripta: *A'iorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare; Sedis istius Præsulem suo sine questione reservavit arbitrio. Voluit Beati Petri Apostoli successores Cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam*. Quem librum Synodus, quæ fieri jusserat, unà cum Symmacho Papa, Synodali & Apostolica auctoritate firmavit, ac robur decreti Apostolici obtinere voluit.

Hæc igitur ad facta particularia, eaque obscura, & ad particularis Synodi auctoritatem spectant. An proinde ad facta notoria, totique Ecclesiæ noxia, & ad Concilii œcumenici auctoritatem trahi possent, lector dijudicet.

Certè Sancta Synodus, cum ei Theodoricus eorum criminum iudicium dele-

(Dioscorum) Synodum facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Sanè levis est hic error; si quidem error est; non tamen à nobis prætermittendus. Cæterum Liberatus & multi alii optime annotant non licuisse magis ut Episcopus singularis cum sua singulari Synodo diceret excommunicationem adversus primæ Sedis Antistitem, quàm ut sine ejus auctoritate Synodum faceret.

\* Decem Episcoporum.

Vid. Conc.

Rom. iij.

sub. Leon.

T iij. pag.

1475. Conc.

Calc. act.

111. & Bar.

T. vj. ann.

449. p. 112.

Vii. Syn.

Rom. iij.

sub. Symm.

T. iv. pag.

13. 5. & vit.

Symm. per

Anast. lb.

p. 1286. &

seq.

Syn. Rom.

ibid.

\* Roma-

nis.

Ib. pag.

1314.

Conc. v.

Rom. ib. p.

1364. & seq.

Lib. Apol.

Ennod. pro

iv. Synod.

Rom. ib. p.

1352.

Conc. v.

ib. p. 1364.



Conc. delegaret, respondit: *Ipsū qui dicebatur impetitus debuisse Synodum convocare: quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum & Principatus: deinde secuta jussionem Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem; nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, IN PROPOSITIONE SIMILI facile forma aliqua testaretur.* En ut clarè se redigant ad *propositionem similem*; atque id per se intelligendum esset, etiam si ipsi tacuissent.

Conc. v. Quin etiam Papa Symmachus, Synodo probante, sic inquit: *Est enim à multis prædecessoribus nostris Synodaliter decretum atque firmatum, ut oves, quæ Pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, NISI A RECTA FIDE EXORBITAVERIT, præsumant: nec ullatenus pro quacunque re alia, NISI PRO SUA INJUSTITIA, accusare audeant.* En quam gravem ac patentem decreto suo, atque Ennodii dictis exceptionem adhibeant.

Vid. Anast. de can. nou. p. 1365. T. vij. Conc. p. 1156. Cæterum hæc de Romana ac particularibus Synodis dicta, nihil ad nos, quibus propositum est de Conciliis œcumenicis agere. Eiusdem generis est id quod à Carolo Magno ac Majoribus nostris factum in causa Leonis III. (i) neque his lectorem distineri placet. Sit ergo professio, nobis etiam Auctoribus, Romani Pontificis Sacrosancta Majestas, nulla eam Synodus particularis judicare audeat: ac ne quidem œcumenica, nisi propter eas causas quas in Concilio Constantiensi memoratas sæpè retulimus.

## CAPUT XXI.

*Persona Pontificis quatenus ab œcumenicis Conciliis judicari non possit: PHOTII gesta NICOLAUM Papam excommunicantis: Concilium VIII. Canon XIII.*

JAM de ipsis Conciliis Œcumenicis. Concilium VIII. Canone XIII. id egit, quod diligentissimè considerari oporteat. Sed prius ejus canonis occasio referenda est.

\* I. Photius, coacto Conciliabulo, Nicolao \* Papæ anathema dicere ausus est. Conc. Id Conciliabulum à Romana Synodo sub Adriano II. reprobatum; ac Photius Rom. sub. Dioscori imitator, eò quò Dioscorus anathemate percellitur. Quæ sententia Adr. ij. cap. Synodi Œcumenicæ VIII. Canone XIII. confirmatur. Qua occasione conc. viij. pressis Synodorum particularium ausibus, de Synodo quoque Œcumenica hæc

(i) In causa Leonis III. Paschalis & Campulus post Adriani I. avunculi sui mortem, alterutrum in ejus locum successorem dari ambiebant. Cùm autem Leo ipsis prælatum fuisset, tum vero ira & invidia exarserunt, eumque pugnis calibus, baculis aded ceciderunt, ut vix vivus ex eorum manibus elaberetur. Fugit autem ad Carolum, opem ejus & patrocinium imploraturus. Quare Carolus Romam venit, ubi collecta Synodo, causam Leonis Episcopis judicandam commisit. At Episcopi responderunt his verbis: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est carui omnium Ecclesiarum judicare non audent; nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur; ipsa autem à nemine judicatur, &c.* de purg. can. Leon. Tom. vii. Conc. p. 1156. Tum Leo se purgavit jurejurando, & dixit: *quia de istis factis criminibus quæ super me imposuerunt, scientiam non habeo.* Deinde Carolus jussit de iis qui Papam debonestaverant haberi questionem ... pro quibus Papa apud Imperatorem intercessit. ibid. p. 1158.



hæc verba decernitur : Si qua verò œumenica Synodo collecta , de Romana act.vii. etiam Ecclesia controversa extiterit , licebit cum decente reverentia de propo- viii. p. 134. sita quæstione veneranter sciscitari , responsumque admittere ; non tamen vid. etiam. impudenter contra senioris Romæ Pontifices sententiam dicere . Hæc eò per- Metroph. Epist. lib. p. 1388. tinent , ne Synodo quidem œumenicæ licuerit sententiam dicere iis casu- Ib. 138. bus , quibus Photius dixerat ; nempe adversus Romanum Pontificem , A- x. can. xiii. postolicum officium exequentem : aut si qua peculiaria adversus eum cri- De 1375. mina & jurgia sererentur ; aut si fortè moverentur aliquæ peculiare quæ- stiones ; qualis tum erat controversia de Bulgarorum Parœciis , quas Ec- clesia Constantinopolitana adversus Romanam sibi vindicabat . Hæc igitur amicè ac reverenter tractari placebat Patribus , neque horum aut similitum casuum vulgare causa , lacerari Pontificiam Majestatem , pacemque Ec- clesiæ perturbari ; quod esset reverà impudentissimum . Nec ideo Synodo œumenicæ silentium imponunt ; si fortè inciderent ejusmodi causæ , quæ Patres VI. Synodi adversus Honorium concitarunt , aut eæ , quæ à Con- cilio Constantiensi memorantur . Scitum enim illud est ; generalibus le- gibus non comprehendi casus extraordinarios , eoque actus , quos in re improvisa ipsa necessitas expresse- rit . Atque hæc de primo sensu hujus sen- tentiæ ; prima sedes à nemine judicatur : quatenus nimirum ad personam Pontificis pertinere potest .

## CAPUT XXII.

*De sententiis Romanorum Pontificum non retractandis ; ea de re  
relati canones , eorumque vis : Gelasii Papæ loci .*

**A**D secundum sensum ejus dicti pergimus : Prima sedes non judicatur Ep. Bo-  
nif. r. ad  
Ruf. Theff.  
in sess. II.  
Conc. Rom.  
iii. sub. Bo-  
nif. II. T.  
iv. Conc. p.  
1708. Vid.  
Coll. Holst.  
part. i.  
Nicol. I.  
ep. VIII. ad  
Mich. Imp.  
T. VIII.  
Conc. p.  
319. vid.  
Decr. Grat.  
Caus. IX. q.  
III. c. X.  
Patet .  
à quoquam : quo significari videtur , ne ejus sententia retractari pos-  
sit . Ad hæc igitur spectant hæc Bonifacii I. ad Rufum Theffalo-  
nicensem à Bonifacio II. in Concilio Romano repetita : *Nunquam licuit*  
*de eo rursus , quod semel statutum est ab Apostolica Sede , tractari .* Quæ  
si ad quoscumque casus , & ad Concilia etiam generalia protendantur ,  
nempe Synodi œumenicæ III. IV. VI. VII. VIII. à quibus Romano-  
rum Pontificum decretales atque judicia retractari constat , illicita per-  
petrarint . Eodem spectat illud ejusdem Bonifacii à Nicolao I. sub Inno-  
centii nomine recitatum ( k ) : *Nemo unquam Apostolico culmini , de cujus*  
*judicio non licet retractari , manus obvias audacter intulit : nemo in hoc*  
*rebellis exitit , nisi qui de se voluit judicari .* Quæ ipso tenore sermo-  
nis ostendunt , de privatis agi , non profectò de totius Ecclesiæ Catho-  
licæ judiciis .

Unde illud passim in ejusmodi decretis frequentatum : *Ut à nemine , ut à*  
*nullo , ut non à quoquam , Sedis Apostolicæ judicia retractentur .* Neque verò  
dec-

( k ) *Sub Innocentii nomine recitatum .* In ipsa Nicolai epistola , ea verba , quæ ,  
neque sunt Bonifacii , neque Innocentii , sub Bonifacii nomine recitantur , & Gratia-  
nus hic incogitanter sanè nomen Innocentii posuit .



deerant quibusque temporibus sui Dioscori, sui Photii, alique contumaces, adversus quos Sedis Apostolicæ auctoritatem inculcari oportebat.

Talis erat sub Gelasio Acacius Constantinopolitanus, Sedi Apostolicæ Chalcedonenſia decreta exequenti obluſtatus. Hujus ut contumaciam frangeret Gelafius, de Sedis Apostolicæ potestate, hæc vera & fortia memorabat: *Quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de hujus liceat judicare judicio*. Atque alibi: *Illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commovere judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari*. Quæ si ad Concilia etiam œcumenica & omnes causas indiscriminatim extendantur, falsa sunt nimirum. Neque tantus Pontifex ignorabat antecessorum suorum, Cælestini, Leonisque sententias in Ephesina, & Chalcedonenſi Synodis retractatas, deque iis canonicè judicatum. Idem in posterioribus œcumenicis Conciliis factitatum acta docuerunt. Quin ipse Gelafius ejusque antecessores ac successores, ea tantum habent pro ir retractabilibus, quæ universali sunt consensu constituta. Quos locos alibi relatos qui cum his conferet, profectò comperiet, hæc ir retractabilia & incommutabilia Sedis Apostolicæ judicata ex Gelasio esse ea, quæ Conciliaria decreta exequendo protulerit; quæque aded totius Orbis consensione nitantur. Cum verò Gelafius Sedi Apostolicæ facultatem attribuit *de omni Ecclesia* judicandi; sive, quod idem est, *de tota Ecclesia*; *omnem ac totam* in Synodis congregatam nequidem cogitabat; sed, & quod sæpè diximus, quod Synodus Constantiensis, Martino V. approbante, atque exscribente, exposuit *omnem* per partes; ut scilicet ab ejus judicio nulla pars Orbis immunem se putaret. Id vel hæc Gelasii subjuncta verba declarant: si quidem *ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt*: quod erat, *omnem* per partes, non *omnem* collectim judicare. Quod autem Gelafius subdit: *ut ab ea nemo sit appellare permissus; ab ipsa nunquam prorsus appellari debeat*, peculiarem quæſtionem de appellationibus tangit, de qua mox dicturi sumus. Interim constat esse multa Sedis Apostolicæ decreta, quæ in Synodis œcumenicis retractata fuerint, neque ad eas causas pertinere Gelasii dicta, cum negat à quoquam de Sedis Apostolicæ judiciis judicatum.

Neque verò quisquam existimet à se satis intelligi has Gelasii sententias, si eas accipit à causa, propter quam dicebantur, avulsas. Nempe his Acacius petebatur, quem Chalcedonenſis Synodi contemptorem Gelafius, Apostolici officii potestate, Synodorum & Canonum executor, meritò condemnabat. Quæ sanè executio decreti Synodalis, si ulla provocatione, aut tergiversatione suspendi posset, pessum irent omnia, nec tantum Pontificia, sed etiam Conciliaris auctoritas labefacteretur.

Neque verò contendimus, omnia Sedis Apostolicæ quacumque de re decreta, in Synodis œcumenicis retractanda; ne, in quibuscumque privatis etiam negotiis, Christianum Orbem sollicitari oporteat; sed tantum ea quibus universalis Ecclesia conturbetur.

His facile solvuntur omnia, quæ ex Nicolao I. aliisque summis Pontificibus, apud Gratianum decreta referuntur, de Sedis Apostolicæ judiciis non retractandis. Hæc qui ad vivum persecuerit, agi comperiet de quotidianis, quæ

Gelas. ep.  
xiii. ad. Ep.  
Dard. Tom.  
IV. Conc.  
p. 1203.  
Id. ep. IV.  
ad Faust. ib.  
p. 1169.

Ib. in ep.  
ad Episcop.  
Dard. XIII.  
Ibid. &  
ep. IV. ad  
Faust. loc.  
cit.



quæ per Provincias occurrunt , negotiis , non de iis , quæ ad Synodos œcumenicas extraordinariè perferuntur .

Summa est : his decretis caveri hæc duo : alterum , ne ordinaria consuetaque negotia , post Sedis Apostolicæ judicium , ad ulteriora judicia referantur : alterum , ne in causis etiam maximis retractentur ea , quæ in Conciliaribus statutis exequendis , hæc Sedes egerit ; aut quæ universali firmaque consensione recepta jam fuerint .

## CAPUT XXIII.

*Appellationes à Papa ad Concilium : non esse de iis in Gallicanâ declaratione quæsitum : quo sensu improbari possint : Petrus DE MARCA appellationes eas à vetere disciplina alienas , non satis cautiè dixit : varii appellationis effectus ; instaurata cognitio , prolata sententiæ , suspensa executio : tutela & præsidium in Ecclesiæ Catholicæ auctoritate adversus Papalem etiam sententiam , in certis quidem causis , res est antiquissima .*

**N**unc dicendum aliquid de appellationibus à Papa ad Concilium ; quamquam id ad causam nostram , atque ad Gallicanæ Declarationis defensionem non pertineat . Id enim Gallicani Patres tuendum susceperunt , quod in Constantienti Concilio , Sessionibus IV. & V. continetur : Quo loco de his appellationibus nihil actum est . Id tantum constituitur : Concilium in certis & generalibus causis potestate præstare .

Atqui illa superior potestas , non necessariò se exerit per propriè dictam appellationem ad universale Concilium , sed multis aliis modis . Id nobis sufficit , certas causas esse , quibus Concilii œcumenici necessaria sit auctoritas ; illud semel congregatum ejusmodi esse , ut etiam Papam parere oporteat .

Cæterum , appellationes , si stricto forensique usu dicimus , ut sit perpetuum sive ordinarium tribunal erectum , ad quod provocetur , atque illud omninò sejunctum ab eo tribunali , à quo provocatur : sanè appellatio à Papa ad generale Concilium non eo significato constat . Primum , idè quod generalis Synodus extraordinariè tantum , atque ex causa convocetur ; deinde , quod ipsum etiam complectatur Papam , & quidem tanquam Caput ; denique quod certum sit , non nisi summa necessitate ac renuente Papa , Concilium absque eo convocari posse ; soleantque fieri appellationes eæ ad Papam simul atque Concilium . Quare strictè loquendo , Papalis sententiæ in Concilio facta retractatio , revisioni , sive instauratæ cognitioni , quam appellationi propior esse videatur .

Interim habet aliquid ex appellatione ; cùm ipsa convocatione Concilii generalis , Papalis sententiæ executio pendeat ; in eoque solvi possit ; <sup>Sup. lib.</sup> nec nisi approbata robur obtineat , ut acta Ephesina & Chalcedonensia , <sup>VII. c. X. & seq.</sup> aliaque docuerunt .



Sup. lib.

IX.c.XXXI Papa depositus, in suo ordine stare se tutum arbitratus, à nemine Catholico, quod sciam, hujus rei gratia reprehensus est.

Hoc eòne contigerit, quòd Papale decretum præter Canones, ac nullum haberetur, nihil nostra: cùm id tantum velimus, certis in causis, sola invocatione Concilii generalis, suspendi posse Papalem sententiam.

Ac si quidem contenderint, pendere ipso jure propter nullitatem, ut vocant, sententiæ, hoc nobis sufficit; cum, qui hoc jure agat, interim in Synodi, hoc est, in Ecclesiæ Catholicæ tutela & præsidio esse, quod nemo negaverit.

Cùm ergò appellationes à Papa ad Concilium malo intellectu celebrari possint; hoc intellectu putamus, tot gravissimis pœnis à posterioribus Romanis Pontificibus Pio II. & Julio II. fuisse vetitas.

Marc. de  
Concord.  
Sacerd. &  
Imp.lib.iv.  
q.xvii.n. 1.

Quòd autem vir illustrissimus Petrus de Marca, appellationes à Papa ad Concilium à vetere disciplina alienas esse censuit; quoad aliquos appellationis effectus, concedimus; quoad omnes, ne ipse quidem dixerit.

Namque ipse profiteretur generalibus Conciliis, post Papæ sententiam, Imperatoria auctoritate convocatis, quæsitum in eis extraordinarium remedium: quo vel uno constat in Ecclesia Catholica adversus Papale judicium tutelam aliquam fuisse. An ergò sublata est ea, posteaquam Imperator Concilia convocare desit? An adversus Papalem potestatem, nullum jam præsidium, mutataque Ecclesiæ constitutio est, tanquàm ab Imperatoria potestate penderet? Absit. Id ergò volumus; cum Christus ita constituerit Ecclesiam, ut summis in rebus summa & indeclinabilis auctoritas penes ipsam totam sit; aliquid in ipso jure præsidii esse debere; quò nemini fraudi sit, certis quidem in rebus, Ecclesiæ Catholicæ expectare sententiam. Eam verò tutelam, illud præsidium Majores nostri in appellatione posuerunt. Novum sit fortasse vocabulum; ipsa res antiquissima, & cum ipsius Ecclesiæ constitutione conjuncta est.

## CAPUT XXIV.

*Sanctus GELASIUS non eo sensu appellationes à Papa vetuit, quo sunt postea in Ecclesia frequentatæ.*

**A**ppellationes eo sensu explicatas, nec ipse Gelasius vetuerit; qui ubique confitetur, vim ipsam irretractabilem eum universali consensione esse conjunctam.

Vid. Gelas.  
ap. IV. &  
XIII. loc.  
tit. c. XXII.

Ac reverà diligentius rem insipienti patebit, dicta Gelasii nihil ad appellationes eas pertinere quas diximus.

Nempè ille commemorat multiplicis generis Apostolicum judicium: alterum provisorium, quale erat à Leone latum in Flaviani causa: alterum decretorium; idque rursus duplicis generis: alterum in absolvendo, quale in Athanasii causa dictum erat à Julio Papa; alterum in condemnando, quale est adversus Acacium.

His



His causis negat Gelasius appellari posse . Rectè : primùm enim à provisorio iudicio appellari non solet . Ecce enim Flavianum in Ephesino latrocinio à Diolcoro condemnatum atque appellantem , Leo decernit in communione permanere interim , quoad Synodus universalis causam cognoverit . Id iure suo poterat , neque erat appellationi locus . Sup. lib. VIII. c. IV.

Idem dixerim in decretorio iudicio , quo Athanasius , sive quis alius , ab inferiore iudice damnatus , absolvitur . Appellatio enim in rei auxilium comparata , reo absoluto , vacat . Neque appellatio , quàm à minima vocant , nostris jam moribus introducta publici actoris nomine , in Ecclesiasticis iudiciis unquam invenitur .

Jam in eo iudicio , quo ab Apostolica Sede damnatur Acacius , frustra ille Synodum œcumenicam invocasset . Quippe Romanus Pontifex nihil hic aliud fecerat , quàm ut Synodi Chalcedonenfis exqueretur sententiam . Id cum assidue inculcet Gelasius , meritò profectò negat appellari posse ab iis iudiciis , quibus Romanus Pontifex communis decreti suscipit executionem .

Hæc ego fat scio placitura iis , qui & ante dicta perpenderint , & cum Gelasianis , ista contulerint . Neque verò illa verba ; *nusquam ; nunquam* , & si qua sunt alia , unquam efficient , ut à proposito argumento Gelasii dicta penitus avellantur , traducanturque ad eos casus , quos neque oratione complecti , neque animo providere Gelasius potuerit . Insolita enim & extraordinaria remediis egent extraordinariis . Jam ergò videamus circa ejusmodi appellationes , quid in anteriorum sæculorum gestis habeamus .

## CAPUT XXV.

*Ante schismatis magni tempus appellationes à Papa ad Concilium , exactæ pecuniæ gratia , frequentatæ ab ANGLIS : adversus BONIFACIUM VIII. à GALLIS : adversus JOANNEM XXII. à FRANCISCANIS , nullo Pontificio decreto condemnatæ .*

**Q**UI appellationes à Papa ad Concilium oppugnant , id asseverant passim , eas fuisse ignotas ante luctuosum schisma sub Urbano VI. & successoribus , quod est falsissimum . Anno enim 1246. Ecclesia Anglicana maximè Catholica , Sedique Apostolicæ addictissima , grandi pecunia imperata , adversus Innocentium IV. ad Concilii Lugdunensis tutelam se contulit . Post ipsum Concilium , gravata iterùm , multâ supplicatione recurrit ad Papam . Quo nihil curante , ad Legatos suos hæc scribit : *Cum igitur huic exactioni contradicat Ecclesia Anglicana , per procuratores , ut hanc contradictionem communem Domino Papæ insinuare velitis pro statu Ecclesiæ Anglicanæ , præsentiam Domini nostri JESU CHRISTI appellantes , & Concilii universalis aliquo tempore per Dei gratiam convocandi .* Testis Matthæus Parisiensis in Henrico III. ad. an. 1246. Matt. Paris. Hist. Angl. in Henr. III. an. 1246. p. 691. edit. Lond. 1540. vid. Epist. Angl. in Conc. Lugd. I. T. XI. Conc. pag. 663. & seq. Matt. Paris. ib. p. 717.

Mat-



\* Monachus. Matthæus Vestmonasteriensis \* ad eundem annum refert, quòd Papa graviter succensuerit Anglis, eò quòd auri erant de oppressione & iniuriis conquiri in Concilio, Lugdunensi scilicet.

At ad annum 1264. sub Urbano IV. & Henrico III. idem refert historicus, à Cardinale \* Salinenfi Legato Apostolico, excommunicatos Barones Anglos, urbesque interdictas : *At illi, inquit, sententiam ipsam contra justitiam illatam attendentes, appellarunt ad Papam, ad meliora tempora, vel ad generale Concilium, necnon & supremum judicem, certis de causis & rationibus commendabilibus : quæ postea appellatio, in Anglia congregato apud Radingam Concilio, recitata est, & ab Episcopis approbata & executata.* En appellatio ad Papam & ad Concilium generale, ut si Papa defuisset, Concilii tutela superesset, idque habito Concilio ab Episcopis approbatum & executioni datum.

\* Deinde Papa ; is nempè fuit Clemens IV. Anno 1267. cum Angli à Legato \* ejusdem Urbani multis exactionibus gravarentur, appellant ad Sedem Apostolicam, & etiam ad generale Concilium, vel, si necesse foret, ad summum judicem. Hoc refert Matthæus Parisiensis, ad eundem annum.

De Bonifacii VIII. ac Philippi IV. Pulchri rebus, per aliam occasionem multa jam diximus. Quæ ad hanc quæstionem spectent hæc sunt. Bonifacium recordemur adversus supremam Regis auctoritatem ea molitum, quæ universi Regni Ordines improbarint. Cum illa contentio ad extremum devenisset, ac Bonifacius, non ipse quidem, excommunicaret Regem, sed tamen declararet variis modis in excommunicationem *late sententiæ* incidisse ; (1) Rex totius Regni cœtum habuit, quo in cœtu prodierunt qui Bonifacium hæresis, impietatis, multorum aliorum criminum accusarent ; & Concilium generale, quod de his cognosceret, omni ope procurari peterent. Neque verò contendebant hæresim esse notoriam ; sed tantum ea quæ objicerent, se sacro Concilio probaturos. Interim se, qui talia suscepissent, in Concilii tutela adversus Bonifacium esse voluerunt ; à futuris gravaminibus ad illud provocarunt. Huic provocationi Rex & universi Ordines assenserunt : Prælati magno numero, ad quos alii postea accesserunt, pollicentur se Regem ac Regiam familiam, Regnique libertates & jura, contra quemcumque, etiam contra Bonifacium defensuros, salva Sedis Apostolicæ reverentiâ : neque ullis adversus hæc ejus sententiis decretivæ adhæsurus. His consensit Universitas Parisiensis, omnes Regni Ordines, Capitula, religiosi Conventus, atque adversus omnia, quæ Bonifacius moliretur, Concilii œcumenici protectione se muniunt.

His liquet, non tantum hæresis, sed multorum etiam aliorum criminum causa, Concilium œcumenicum postulatum, atque ad id appellatum, etiam ad Regni tuenda jura : non quòd jura Regia in Synodi potestate ponerentur.

(1) Incidisse. Canonistæ docent duplicem esse de jure excommunicationem, alteram comminatoriam tantum, quam vocant *ferendæ sententiæ*, alteram autem *late sententiæ*, de qua sic dicit EVELLON : Elle a telle force, qu'au même instant que quelqu'un transgresse l'ordonnance, il encourt l'excommunication . . . sans qu'il soit besoin d'y apporter aucune forme, ni prononcer sentence contre lui. *trai. des excom. c. XII. p. 117.*



merent; sed quod ea defensores, adversus Bonifacii minas, Concilii generalis præsidium tueretur.

Addebant & de sanctorum locorum ab infidelibus occupatorum restitutione; atque ut omnium animis satisfacerent, omnes, quas poterant, Concilii congregandi causas congerebant. Hæc acta sunt anno fere 1303.

Bonifacius eodem anno, edito diplomate, firmat Regem in excommunicationem incidisse: blasphemiam imputat imputata sibi crimina: *Concilium sine se non posse convocari dicit, seque processurum, non obstante hujus frivolæ appellationis obtentu, quæ ad majorem, vel parem, sive mortalem aliquem non potuit interponi.* De appellatione ad Concilium nihil dicit gravius; atque etiam id quod dicit, auctoritate est vacuum, cum ea Bulla inter eas sit, quas Clementis V. jussu erasas vidimus. Ib. p. 160.

Idem Bonifacius Regem ultima sententia proscripturus, quæ tamen prolata non est, propter Pontificis interitum, multas causas excommunicationis obtendit, nihil de appellatione ad futurum Concilium.

Ejus quoque successores Benedictus XI. & Clemens V. hujus provocationis gratia, nihil Regi aut Regni Ordinibus, ipsisque adeo Prælatibus ac Religiosis succensuerunt.

Joannem XXII. adversus appellantes ad œcumenicum Concilium, à definitione fidei, quam ipse protulerat, nihil decrevisse, suo loco vidimus. Sup. lib. IX. cap. XLIV.

Hæc quidem Constantiense Concilium præcesserunt; ne quis existimet, ab ejus decretis ortum habuisse, sed à prisca omnino Traditione manasse, quod Concilium Papæ præstare est creditum.

## C A P U T XXVI.

*Appellationes à Papa ad Concilium primus omnium condemnavit PETRUS DE LUNA in schismate obduratus: ejus ea de re decretum in Concilio Constantiensi revocatum.*

**O**mnibus igitur conticescentibus, primus omnium mortalium, qui appellationes à Papa, expressa sententia condemnavit, Benedictus fuit ille XIII. seu Petrus de Luna in schismate obstinatus & induratus.

Is cum ab eo fuisset provocatum, Bullam edidit; *crescit faciliter.* Hac non licere declarat à Romano Pontifice appellare, sive etiam provocare; ejusmodi appellationem manifestè esse contra plenitudinem potestatis, ac sacrorum canonum instituta; nec carere suspitione schismatis; sed adversus eam Bullam iterum provocatum. Hist. Univ. Paris. T. IV. pag. 820.

Post annos aliquot aliam protulit; *in dierum successu*, anno 1407. quæ adversus eos, qui à se & Romanis Pontificibus appellare præsumpserint, aut à sua, eorumque obedientia recesserint; excommunicationis sententiam promul- Spicil. T. VI. p. 132. & seq.



1b. p. 180.  
Sup. lib.  
V. c. VII.  
VIII.

Conc.

Const. Sess.  
XXX. &  
XXXVII.

XII. p. 215.  
23r.

mulgavit. In epistola verò ad Carolum VI. data, cui Bullam interferit, hæc queritur: *Quòd nonnulli Catholica veritatis æmuli, qui contra nos & Ecclesiam Romanam rebellioris calcaneum erigere præsumpserant, à nobis, quod est contra canonicas sanctiones, appellationes interponere non verentes, &c.*

Quas in eo schismate ex utraque parte appellationes ediderint ad Concilium, suo loco vidimus, neque hic repetimus.

Tacendum illud non est, Bullam; in dierum saccessu à Concilio Constantiensi, Sessionibus XXX. & XXXVI. jam tribus obedientis congregatis, revocatam fuisse: ut nullum stet adhuc decretum Pontificium, ac ne quidem in schismate editum, quo ex appellationes condemnentur.

## CAPUT XXVII.

MARTINI V. *Bulla de non appellando à Papa ad Concilium, quam perperam objecta.*

Mare. de  
Concord.  
&c. lib. IV.  
c. XVII.  
n. 4.

**A** Junt à Martino V. stante Concilio Constantiensi editam ea de re Bullam, quam Joannes Gerson retulerit. Id vehementissime Emmanuel Schelstratus urget. Quidam Galli scriptores, atque ipse etiam Petrus de Marca consentiunt, haud profectò id facturi, si rem diligentius considerassent.

Gers. Libel.  
Quomodo  
& an liceat,  
&c. T. II.  
p. 303.

Ac primum certum est, hujus Bullæ nullam unquam à quoquam, five Pontifice, five privato scriptore, Historico, Theologo, Canonista, aut Bullarum collectore haberi mentionem; præterquam à Gersonem in duobus locis; quos proinde locos, ut sunt apud Gersonem integros commemorare nos oportet. Et is quidem libellum, *quomodo, & an liceat in causa fidei à Papa appellare*, sic incipit; *Queritur utrum hæc assertio sit Catholica: nulli fas est à supremo judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, JESU CHRISTI Vicario in terris, appellare, aut ejus judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferenda sunt) declinare.* Tum subdit: *Arguitur quod sic, auctoritate sanctissimi Domini Martini Papæ V. in sua Constitutione, ad perpetuam rei memoriam, facta & promulgata in Consistorio generali celebrato Constantiæ V. Idus Martii, Pontificatus sui anno I. (hoc est 10. Martii 1418.) ubi reperitur hæc assertio, sicut dicitur.*

His in Gersonis verbis primum illud occurrit: non ipsum id per se dixisse Gersonem, sed tanquam ab aliquo objectum memorare. Quo loco id observatu dignum, quod est à Gersonem positum; *Ubi reperitur hæc assertio, sicut dicitur*; quæ quidem ostendunt Bullam non fuisse publici juris, & ubique vulgatam, de cujus verbis nec Gersoni constitisset.

\* 1418.  
Conc.  
Const. Sess.  
xlv. T. xii.  
p. 252.

Cujus autem auctoritatis ea Bulla visa sit, quæ postea secuta sunt Concilii Constantiensis acta indicabunt, cum in Sessione XLV. & ultima ejus Concilii, die 22. Aprilis \* altero mense, postquam ea Bullam in publico consistorio lecta & promulgata dicitur, Poloni Regis Legati, jam dimissis Patribus, à Martino V. ad futurum Concilium œcumenicum appellarint.

Nem-



Nempe illi à Papa supplicabant, Joannis Falkenbergii librum, *crudelissimos errores atque hæreses* continentem, jamque in secretis Congregationibus condemnatum, in Sessione publica condemnari: à quo denegante, provocabant ad Concilium. An, rogo, id facturi, si earum appellatio-  
num ulla legitima aut probata condemnatio præcessisset? Annon ipse Martinus V. inclamasset impudenter agere Polonos contra interdictum? Non id autem factum est; sed Martinus dixit respondendo ad prædicta; se quidem probare quæ per Concilium conciliariter facta essent, non alia, quæ scilicet in secretis conventibus. Hoc tantum: ac de appellatione nihil quidquam. Non ergò verum est, eam ullo legitimo decreto, mense antecedente, fuisse prohibitam.

Et Joannes quidem Gerson in Dialogo apologetico de supplicatione Polonorum copiose agit, memoratque ab illis oblata[m] schedulam de libello Joannis Falkenbergii; neque illis satisfactum esse, remque in deteriora lapsam: *Usque adeo*, inquit, *quòd pro parte Dominorum Polonorum, interjecta est tandem appellatio ad futurum Concilium.* Cui appellationi cum respondendum esset, *lecta est, ut dicitur, in consistorio generali & publico, quod ultimò Constantiæ celebratum est, minuta quædam sub forma Bullæ, destruens, ut asserunt qui legerunt eam, fundamentale penitus robur, nedum Pisani, sed Constantiensis Concilii . . . . . continebat itaque IN Nullo casu licere appellationem a Papa facere, nec ejus judicium in causis fidei declinare; planè contra legem Dei decretaque Concilii.*

Gers. Dial.  
apol. V. II.

En post eam Bullam de non appellando à Papa ad Concilium, quæ 10. Martii 1418. edita dicitur, iterum occasione interjectæ à Polonis appellationis ad futurum Concilium, ejusdem Bullæ *minuta* lecta dicitur. At siquidem 10. Martii transacta res erat; quid necesse fuit, post eam appellationem, actum agere; ac Bullæ *minutam* iterum legere? An quod ita oportebat refelli Polonos? Quidni ergò Martinus V. in ipsa Concilii publica Sessione, cum Poloni appellarent, ea Bulla objecta eos comprimebat? An quia intelligebat sacram Synodum non id laturam fuisse? Infelicem Bullam, quæ Concilii œcumenici lucem auctoritatemque non sustinet! Cur autem Joannes Gerson iterum de ea Bulla loquitur, ut de ea, quæ nec à se visa sit? *Lecta*, inquit, *dicitur; & ut asserunt qui legerunt eam.* Ergòne dicemus publicam, de qua ipse dubitat, aut omnino divulgatam, quæ non ab omnibus videretur? Quid verò *minutam* Bullæ memorat? Centè 10. Martii editam, ac post sex hebdomadas adversus Polonos innovatam, jam *grossatam*, ut ajunt, oportebat, iisque vestitam formulis, dimissam per Ecclesias ubique servandam. Atque illud absurdum est, omnibusque sæculis inauditum, ejus momenti Bullam, stante Concilio generali, atque ei præsidente Papa, in ipso Concilio non fuisse prolatam. Cur enim Martinus V. tanta de re Synodi præsentis sententiam ne requisivit quidem? Ac multas quidem Bullas minoris momenti Sessione XLIII. lectas, nonnisi *approbante Concilio* edidit; hanc verò cur solus, atque adhibito tantum consistorio, seu Cardinalium cœtu? An quia intelligebat repugnaturus Concilii Patres? Bullam ergò repugnante Concilio œcumenico editam, valere credemus? At si Concilii auctoritatem Martinus metuebat; ne saltem vereretur publicam



lucem, ne *minutam* semel atque iterum lectam, nec intellectam premeret. Adeòne ejus Bullæ pudebat, ut eam nec ipse Gerson, à quo solo memorata est, unquam viderit? Itaque nullibi legitur; nullibi visitur; nulli collectioni Bullarum inferitur: non eam Pius II. in Bulla, *execrabilis*; non Julius II. in Bulla, *suspecti regiminis*, quibus appellationes à Papa ad Concilium tantis pœnis prohibent, vel leviter memorant. Et quidem Julius II. Pii II. Bullam firmat: de Martino anbo tacent; cùm id itante Concilio Constantiensi gestum vel maxime commemorari è re esset. Quare apparet rem à Martino tentatam potius quam confectam fuisse. Quod si in Consistorio Bulla vero animo à Pontifice proposita & prolata est, profectò rejectam, improbatam, explosam oportuit; cujus & auctorem pudit, & apud posteros nulla memoria est.

Sed age; Bullam tanto studio Ecclesiæ toti posterisque occultatam placet inspicere propius, & quid incommodi aliat intelligere. Et quidem certum est, ex ea superesse nihil, præter ea verba, quæ nunquam sibi lecta Gerson, à nescio quo audisse se memorat. His autem, utcumque se habent, duo vetari videntur: alterum generatim, *ut nulli liceat*; sive, *ut in nullo casu liceat à Romano Pontifice appellare*; alterum, *ne liceat in causis fidei, illius declinare judicium*. Quæ duo quam diversa sint, vœcum discrimina satis indicant.

Primum est generaliter dictum, admittitque eos sensus quos reliqui ejusmodi canones; nempe ne passim, ne in ordinariis & quotidianis casibus appelletur.

Alterum, quod in causis fidei Romani Pontificis judicium *declinare non liceat*: quamquam ambiguum videri potest, strictè tamen loquendo, verum est. Aliud enim est, declinare judicium, tanquam judex non sit legitimus & competens; aliud ab eo appellare, quia non sit usquequaque supremus.

Vid. Gers.  
Tract. Quo-  
modo Gran.  
&c. circa  
an. T. II. p.  
308.

Jam ex Gersone constat, Martini V. famam graviter laborasse, quòd ab eo talia promulgata jactarentur. Quin ipse Gerson, ne Martinum ea conatum reprehendisse videatur, pro sua modestia, atque in Romanum Pontificem reverentia factum excusat, ut potest, & qua demum ratione, verba Martini ab ejus benevolis ad commodum sensum leniter inflectantur ostendit. Denique viam docet, qua Pontifex hujus rei declinet invdiam, ac factis dicta compenset. Adeò hæc non modò nulla & irrita, sed etiam Pontifici noxia videbantur.

His ergò omnibus constat; primum, appellationem à Papâ ad futurum Concilium, ipso Concilio desinente quidem, sed tamen adhuc præsentem, factam, non fuisse improbatam; sed in acta relatum, nulla omninò nota: tum Martinum V. eas appellationes bis condemnare visum, sacræ Synodi, imò totius Ecclesiæ refusisse lucem, atque Synodi talia repellentis prævaluisse sententiam; denique, ut vel maxime fuerit diploma Bullatum, vulgatum, ritu solemnem promulgatum, omninò concidisse, eorumque loco esse, quorum in Ecclesia nulla vis, nulla mentio est.



## CAPUT XXVIII.

*Bulla Execrabilis*, PII II. in conventu Mantuano : qua occasione lata: nostri intellexerunt de privatis tantum negotiis, fundamento ex Bullæ verbis petito : nec recepta est in Gallia , & ab ea quoque appellatum : appellationes postea frequentatæ .

**A**Nno 1459. post conventum Mantuanum Pius II. edidit Bullam , *Execrabilis & inauditus* . Hac damnat eos qui à Romano Pontifice appellare præsumant : qui fecerit , sententiam excommunicationis incurrat , aliasque pœnas , quæ in reos maiestatis \* , & hæreticæ pravitatis fautores decernuntur .

Hujus sententiæ has potissimum exponit causas : Quia ridiculum appellare ad id quod nusquam est , neque scitur quod futurum sit : quod eo obtentu , pauperes à potentioribus opprimantur multipliciter ; remanent impunita scelera , nutritur adversus primam Sedem rebellio , libertas delinquendi conceditur , & omnis Ecclesiastica disciplina & Hierarchicus ordo confunditur . Quæ docere videntur animum Pontificis fuisse , has appellationes prohibere in ordinariis tantum casibus ac peculiaribus negotiis .

Et revera constat eam bullam conditam occasione appellationis Sigismundi Ducis Austriæ , à Monitorio Calixti III. (m) in quadam controversia cum Nicolao de Cusa Cardinali Episcopo Brixinensi \* , rerum temporalium causa .

Itaque anno sequente 1460. in appellatione ea quam adversus Pii II. orationem in conventu Mantuano (n) habitam , vir clarissimus Joannes Dauvet, Procurator generalis, edidit, hoc etiam interposuit de Bulla EXECRABILIS : Neque est æstimandum sanctissimum Dominum nostrum , per literas , quas Mantuæ publicasse fertur , quæ incipiunt EXECRABILIS ET INAUDITUS ; voluisse prohibere ut in nullo casu , sive tangat conservationem orthodoxæ fidei , sive extirpationem schismatis , sive universalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris , super gravaminibus , quæ per aliquem summorum Pontificum inferri contingeret , Principibus & regionibus liceat quovis modo habere recursum ad iudicium plenarii Concilii ,

(m) Ducis Austriæ à Monitorio Calixti III. ) Appellationem reperire non potuimus apud Goldastum & alios horum monumentorum collectores . Hoc tantum ex Goldasto discimus : anno integro exacto post editam Bullam *execrabilis* , excommunicatum fuisse à Pio II. Austriæ Ducem , eò quod sæpe licet monitus , Cardinalem de Cusa insectari non desisteret : Sigismundum autem ab ea excommunicatione appellationem emisisse , atque ea occasione Bullam à Papa in Germaniam missam & imprimis Norimbergam , ubi appellationis instrumentum factum fuerat . Itaque appellatio Sigismundi videtur fuisse Bullæ denuò publicandæ causa , non vero edendæ . Vid. Gold. & appell. & contrad. Greg. de Heimburg Francof. 1607.

(n) Orationem in Conventu Mantuano ) Pius II. habuit indignam prorsus viro tantæ dignitatis . In ea loquax magis quam facundus , passim allegat Poetas profanos , item profanas & apocryphas historias , quibus Pragmaticam sanctionem nititur convellere . Hanc vide orationem . Tom. XIII. Conc. p. 1773. & seq.

Bull. Execrabilis vid. in convent. Mant. T. XII I. Conc. pag. 1801. 1802. \* Divinæ. Act. appell. Sigif. Duc. Aust. Monarc. Imp. Gold. Tom. II. p. 1576. \* Brixino seu Brixinum , aut Brixinia Urbs est Germaniæ in Comitatu Tirolis . Preuv. des Libert. de l'Egl. Gall. ed. 1731. Tom. I. c. XIII. n. 10. part. II. p. 43.



liti; cum sub generali prohibitione non veniant ea quæ speciali expressione indigerent: & præsertim talia ex quibus læsio fidei orthodoxæ, & schismatum fomenta, atque gravissima decoloratio status Ecclesiæ universæ sequi possent. Sic publicis Ecclesiasticis causis accensebant magnorum imperiorum salutem ac pacem: cum ea imperia pars maxima Ecclesiæ, eique ornamento & præsidio essent.

Cum autem ipse dicat, Bullam *Execrabilis*, in conventu Mantuano, ut fertur, publicatam; ostendit eam ad nos non fuisse perlatam, neque promulgatam consueto & canonico more; ac nedam recepta sit, palam ei reclamatum fuisse, eo quidem sensu, quo appellationes in gravissimis illis, quas diximus, causis prohiberet.

Cæterum quod Pius II. ridiculum dicebat, appellare ad id quod non sit, & quod extitutum sit ignorabatur; respondebant, Concilium ex Constantiensi decreto debuisse celebrari, & quominus haberetur, elapso decennio, jam per Papam stare: tum vero Ecclesiam Catholicam semper esse præsentem; neque cuiquam frandi esse, quod non congregata esset, cum appellatio dirigatur ad Papam qui eam congregare tenetur.

Ib. n. 11.  
& seq. p.  
44. & seq.

Post eam ergo Bullam, ejusdem Pii II. tempore, multæ appellationes sunt editæ à nostris ab ipso ad Concilium, quod Pragmaticæ-sanctionis condemnationem moliri videretur.

Ib. n. 16.  
17. p. 50. &  
seq.

Has & alias ejusmodi multas per ea ferè tempora in Gallia frequentatas omittimus; quod in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ integræ referantur.

Ib. T. II.  
c. XXII.  
12. 19. p. 44.  
& seq.

Annotamus tantum appellationem editam ad generale Concilium ab Universitate anno 1491. adversus Innocentii VIII. gravem decimam impo-

Ib. T. I.  
p. 40.  
Sup. lib.  
VI. cap.  
XXII.

nentis, Bullam. Similem appellationem ab inclita ac venerabili Ecclesia Parisiensi prolatam eodem anno (e) eademque de causa legimus, ex qua etiam multa supra retulimus.

## CAPUT

(e) Appellationem ab ... Ecclesia Parisiensi prolatam eodem anno 1491. Non vidimus inter acta quæ tomis de Libertatibus, &c. continentur. Fortè Ecclesia Parisiensis eo anno adhæserit appellationi sacræ Facultatis; nam appellatio ab ea Ecclesia prolata an. 1501. sub Alexandro VI. inscribitur secunda appellatio.



## CAPUT XXIX.

*Bulla Suspecti regiminis JULII II. in ea clausula extra omnem ordinem : non publicata apud nos , nedum recepta : appellationes postea frequentate , non tantum à nostris sed etiam ab aliis .*

**A**Nno 1509. Julius II. Bullam edidit *Suspecti regiminis* , qua Bullam *Execrabilis* , PII II. renovat , ac firmat ; Leonardum Lauredanum Ducem , generale Concilium & Commune Venetiarum excommunicat , quod jam excommunicati , quia urbes Pontificiæ ditionis retinerent , ad damnatum & prohibitum appellationis remedium confugissent ; alios eadem appellatione usos simili pœna plectit ; Constitutionem suam adversus omnes valiam decernit , cum suppletionem solennitatis cujuslibet etiam publicationis omisissæ . Quæ quo magis decernuntur extra ordinem , ac supra omnem legem & canonem , eò minoris esse putantur à nostris . Certè , ut Galli clarius designentur , nominatim *Parlamenta* commemorat ; quidd , quia apud nos nec publicatum , nedum receptum fuit , nostri , more consuetudo in gravibus causis , ac præsertim in Concordatorum causa , ad Concilii generalis tutelam provocarunt , in eaque sententia innoxii & illæsi diutissimè perstitērunt .

Neque Galli tantum eas appellationes emisere , sed alii quoque in libris probationum Ecclesiæ Gallicanæ libertatum memorati : quæ tantum indicamus : cujusmodi sint lectori expendenda relinquimus .

## CAPUT XXX.

*Bulla PII II. & JULII II. occasione litium ac dissidiorum temporalium editæ : qui appellationes respuunt , quam incommoda remedia adhibeant : Andrea DUVALLII locus .*

**N**Eque enim Orbis Christianus adeò movebatur datis à Julio II. in Venetos , flagrante bello , sententiis . Bellum gerebatur inter Julium ut Principem & Venetos . Jam si editis Bullis , ac sub anathemate Julius Pontifex jure reperit civitates eas , quæ de Principe Julio bello captæ sunt , nullumque adversus ea decreta præsidium est : nempe id superest , ut & Veneti & quicumque Principes , quacumque necessitate talia bella gesserint , deditionem faciant .

Neque verò res ab eo itatu multum abhorrebant , cum Pius II. diploma suum edidit . Nempe Sigismundus cum Cardinale Cusano de temporalibus maximè litigabat , atque arma moverat , Cardinalemque ceperat , cujus rei gratia à Pio citabatur Romam cum suis consiliariis , atque omnibus civibus , infinito licet numero , uti de articulo ; *Credo in Ecclesiam Catholicam* : ejusque confectaneis responderent ; quem fanè articulum idèò negare vide-

Bull. Rom. T. I. Bull. xxii. Jul. II. p. 511. vid. Rain. an. 1509. n. 6. & 13. & Spond. eod. an. n. 1.

Preuv. des libert. &c. T. I. part. II. c. XIII. not. p. 59. 60.

Vid. Godd. T. II. pag. 1579. 1580.



rentur, quòd Pontificis decretis, de re etiam temporali, dicto audientes non essent. Sic à temporali lite ad hæresis quæstionem controversia deducitur, ut miseri nec mutire auderent. Quas adversus ambages, atque circuitus, aliquod petere refugium omnes optabant.

Neque verò id quæto, jurene, an injuria Sigismundus egerit. Hoc tantum indico, grave ac magnis quoque Principibus, nedum privatis metuendum, ita procedi; miscerique hæresim, subortis maximè temporali causa litigationibus. Nec mirum si Christiani Principes, Nationes, Cœtus, quod negari non potest, à Romanis Pontificibus aliquando vexati, everfis antiquis juribus, imperata ingente pecunia, intentatis, sive etiam allatis armis, in Ecclesiæ Catholicæ suprema atque indeclinabili auctoritate, aliquid sibi præsidii relictum voluerint. Certè appellationes eas, ut ante Concilium Constantiense celebratas, ita nec post Pii ac Julii decreta deliisse, multis exemplis ostensum est.

Bull. Leon. X. cont. *Domine*, Lutherò vitio datum, *Quod citatus a Papâ in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pii II. ac Julii II. taliter appellantes hæreticorum pœnâ plectentes*. XVII. Kal. Julii, anno 1520 Bullam autem toto Orbe Christiano receptam esse constat.

Facile respondemus receptam quoad ea, quæ ad Lutherum condemnatum pertinerent. Cæterum verba prolata recitativè, ut ajunt, non decretivè posita, nullam vim addunt Pii II. ac Julii II. Constitutionibus; atque adeò ut post eas, ita post hanc Leonis X. Bullam frequentatas appellationes, etiam à Germanis, atque ab ipso Imperatore, relata superius exempla demonstrant.

Diff. præv. n. XCV.

Cæterum Lutheri appellatio verè temeraria & cavillatoria fuit, quòd à citatione appellans, in negotio fidei Sedis Apostolicæ judicium detrectavit.

Bull. Leon. X. p. 397. Neque eam tantum causam Leo commemorat, cur Lutherus merito condemnatur; subdit enim: *Frustra etiam Concilii auxilium imploravit, qui illi non se credere palam profitetur*. Quare impuro Sycophantæ, omnia per summam & apertam insaniam molienti, æquum erat nullum patere suffugium; non proinde debitum intercludi præsidium iis, qui verè gravati essent.

Nunc qui id genus præsidii renuunt, alias vias docent hand leviter incommodas, nempe *nullitatis*, ut ajunt, quàm iniquis sententiis objiciant. At Galli non solent illam probare jurisprudentiam, qua objecta nullitate, sententia contemnatur. De causis nullitatis coram judice agi volunt, ne sibi quisque judicet; modestius putant, si fortè à Pontifice vexatos se sentiunt, Concilium habere judicem, quàm nullo judice agere ut libet.

Duv. de Rom. Pont. &c. part. iv. quæst. ult. p. 66. ed. 1614. Andræas Duvallius, cum appellationem omnem à Papâ illicitam judicet, idque sive sit infra, sive supra Concilium, permittit tamen Principibus ac Rebus publicis, ad graves injurias depellendas, primum, *non obedire mandatis Pontificis; imò si aliter sibi succurrere non possint, strenuè prudenterque resistere*. An ergò læsos Principes strenuè rem gerere, quàm Conciliare judicium expectare malint, ipsi dijudicent? Nos in his, ut diximus, nostræ quæstionis summam non ponimus: ut quæ ad variabilem fortè disciplinam



nam aliqua ex parte pertineant. Certè Ecclesiæ Catholicæ, ejusque œcumenici Concilii in rebus generalibus, maxime verò in fidei quætionibus, gravi contentione orta, supremam & ineluctabilem potestatem, ex omnium sæculorum Traditione asserimus, & inter res judicatas post Constantiensia & Basileensia probatissima decreta referimus.

## CAPUT XXXI.

*Varia de Conciliis generalibus novissimi Auctoris Anonymi vitiligationes: quætionem ab eo pessimè constitutam: an Concilia inter res incertas numeranda? Quætionem generales à particularibus, ad Constantiensis Synodi mentem, jam inde ab initio distinctæ.*

Qui unius Papæ voluntati sine more modoque permittunt omnia, eo peccare solent; primum, quod argumentationibus malunt agere, quam Traditionibus; tum eò vel maximè, quod à quætionis statu procul absint; quæque plana per se & expedita sunt, miris involvant modis.

Et quidem in quætionem malè constituenda auctorem anonymum, qui diligentissimus videri voluit, ubique multa peccasse jam vidimus. Illud imprimis quòd nos ita refellit, quasi infallibilitatem soli Concilio œcumenico tribuamus, cum sine Concilio œcumenico, Catholicæ Ecclesiæ valere consensum, Gallicana Declaratio diligentissimè expresse-  
Vid. sup. pass. lib. IV. V. VI.

Jam de Concilii superiore potestate, ad II. Caput Gallicanæ Declarationis idem auctor hæc scribit: *Satis, inquit, patet in Declaratione Cleri Gallicani, accipi hinc summum Pontificem sine Concilio, illinc Concilium sine summo Pontifice cum Declaratio decretis Concilii Constantiensis nitatur, quæ aliam sententiam non admittunt; quæ omnia falsissima sunt.*  
Anon. de libert. &c. lib. VII. c. IX. n. 12.

Primum enim falsum est, à Clero Gallicano ea tantum spectata esse Concilia, quæ sine Papa celebrentur: nec minus falsum est, quod decreta Constantiensis Concilii non aliam admittant sententiam, quam eam scilicet de Conciliis sine Papa congregatis: primum quia Concilium Constantiense declarat, Papam subesse, non modò Constantiensi Concilio, sed etiam cuicumque generali Concilio legitimè congregato; non autem supponit omnia futura Concilia sine Papa congreganda esse; non ergò loquimur de Conciliis sine Papa congregatis: tum quia nec ipsum Constantiense Concilium sine Papa congregatum erat; quippe convocatum à Joanne XXIII. qui verus Pontifex meritò haberetur; neque is Concilium dissolverat; imò se Concilio adherere fatebatur, cum illud Constantiense decretum est conditum, ut suo loco vidimus. Postremò Constantiense Concilium, in reformationis quoque causa, Papam subesse Concilio decernit, cum reformationis negotium, non nisi electo summo Pontifice tractaturum esset.  
Id. ibid. lib. V. c. r. n. 6.  
Vid. diff. præv. num. LXXXIV.  
Conc. Const. sess. V. p. 22.

Quare quòd idem Anonymus ubique testatur, cum ipse Papam Synodo antepponit, agi de Concilio, à quo summus Pontifex ejusque Legati absint; nihil aliud testari visus, quam statum quætionis à se ignoratum, eosque quos  
Sup. lib. V. c. XIII. XXI.  
Anon. lib. V. c. X. n. 4. c. XI. n. 3. c. XIII. tit. & pass.



quos congerit Scripturæ ac Patrum locos, planè esse extra rem, idque ab eo actum, ut fucum faceret imperitis.

Id. ib. c.  
V. n. 13.

Sanè & illud constitit, non asseri à Gallis Synodos sine Papa congregatas, nisi iis in casibus, quibus eas & auctor Anonymus, & alii passim Theologi Canonitæque admittant, hoc est, *in iis qui dilationem remedii non paterentur*.

Alia quidem quæstio esse potest; an Concilium à Romano Pontifice semel convocatum, ipsoque Præsidente constitutum, ipso jure cesset, ubi ab eo Concilio Papa recesserit, quemadmodum Constantiæ; vel ubi illud Concilium Papa dissolverit, ut Basileæ factum est. Sed quætionem eam, neque Clerus Gallicanus sua Declaratione complexus est, neque Anonymus pertractavit. Interim certum est, rem esse ab Eugenio IV. judicatam: Basileense Concilium ab eo dissolutum, haud minùs itersisse integrum; ut eam quætionem aliquo certè casu, res inter judicatas referri necesse sit.

Quo fateamur necesse est, pleraque ac potissima Anonymi argumenta, quoad hanc quidem quætionem, planè concidere; cum non eò quò oportet, collimare constet.

At argutulum istud futile æquè ac invidiosum quod objicit; quamvis Id. ibid. Reges ac Principes à populo plerumque suam auctoritatem acceperint; c. XIII. n. *tamen Galliarum Regem Comitibus generalibus superiorem esse*; & Majestatis reos haberi qui sub Henrico III. exegissent, ut Rex comitiorum sententiam sequi teneretur. Quorsum enim ita? An ut necesse sit ad Gallicani imperii formam, Ecclesiam à Christo esse constitutam? Aut verò oporteat custodiendæ fidei ac religionis per universum Orbem, eandem ac unius gentis administrandæ esse rationem? Cum nec ipsa imperia eandem formam habeant, æque Ecclesiam ad alias, quàm ad Christi regulas exigi liceat. Quid autem illud est, ab eodem Anonymo jactatum, non posse summum Pontificem Ecclesiæ subiacere, à quâ suam non est mutuatus potestatem? (p) Quasi quis cui subiaceat, non in Christi arbitrio ac sapientia positum fuerit, aut id ratione aut humanis exemplis, non Dei revelatione, atque Ecclesiæ Traditione quærendum sit nobis.

Ibid.

Idem. ib.  
n. 3.

Ejusdem notæ est, quod objiciunt, ut Ecclesia particularis, nec tota simul sumpta, Episcopo suo capiti & Pastori particulari; ita universalem Ecclesiam, nec totam simul sumptam, Papæ suo capiti ac Pastori universali prævalere posse. Non enim quemadmodum Ecclesia universa, ita particularis ex promissione Christi, cetera & infallibili Sancti Spiritus assistentia pollet; ut proinde necesse sit quemadmodum in Ecclesiæ universæ, ita in Ecclesiæ particularis consensu, certum collocare Spiritus Sancti Magisterium ac testimonium.

Id. ib. c.  
n. 4.

Neque illud pluris est, non posse stare in Papa eam, quam Clerus quoque Gallicanus agnoscit, *plenam potestatem*, si Gallicanæ Declarationi detur locus

(p) *Potestatem*. ) Pessimè hic D. CHARLAS argumentatur. Non enim necesse est ut quis ab eo cui subicitur suam potestatem mutuetur. V. G. licet Galli credant Episcopos non à Papâ aut ab Ecclesiâ, sed immediatè à CHRISTO suam mutuari auctoritatem, nihilominus affirmant eos & Papæ & Ecclesiæ subijci.



locus. Neque enim plenam esse, *quæ ab alterius arbitrio vel judicio pendet*. Quod quidem nihil aliud est, quam in verbis ludere. Plena enim dicitur respectu positivi juris, ea potestas, quæ omnia potest, ubi id necessitas, atque evidens utilitas postulerit: non ita sanè, ut omnia sine lege modoque possit.

At illud etiam argutius ac vanius, quod involvendæ quæstioni ab Anonymo est positum: Papam agnosci facile ab omnibus, Concilia rem incertam, nulla vera firmaque definitione constantem; ad hæc raram; *difficilem, ac ferè impossibilem*; parumque abest, quin eam ab Ecclesia alienam prædicet; cum præsertim tribus primis sæculis, Concilia Generalia, ipsa persecutio prohiberet. Sed hæc, ad persecutionis tempus quod attinet, quàm falsa, quàm vana, quàm nulla sint, demonstratum supra.

Jam quod parta Ecclesiæ pace, Conciliisque Generalibus congregari solitis, Concilia rem incertam dicunt, quia dubium est per quos & quomodo constitui debeant; hominum est ut leniter dicam, nodum in scirpo quærentium. Vanas enim & inanes difficultates congerunt; non constare scilicet an Concilia ex Episcopis tantum, an etiam ex Presbyteris consentiant necessariò: quantus numerus aut Episcoporum aut Provinciarum desse debeat: quinam *ex jure*, quinam *ex privilegio*: An per se, an per procuratores: tum quæ ratio absentium & excusatorum haberi debeat; imò an Concilium universale sit. Quæ cum dixerint, eò rem redigi volunt, *ut suprema & infallibilis sit Summi Pontificis sententia, quam cum regulam semper tuto sequantur fideles*. Quæ profectò si quid valent, illud efficient, ut Conciliorum Generalium omnem omitti mentionem præstabilius sit. An enim id agunt, ut unus Pontifex, cuiusque cœni voluerit, Concilii Generalis nomen adjiciat? An ut Concilia Generalia haberi, aut non haberi perinde sit? Id quidem nonnulli apud se sentiunt; sed palam promere pudor, & Christiani Orbis reverentia prohibet. Ergò vel hæc omittant, vel nobiscum solvant. Cæterum plana solutio est; primum enim certa Traditione constat, sufficere ut Episcopi Concilio præsto sint; tum illud Concilium esse Ecumenicum, cui, Papa Auctore, pro Ecumenico Concilio se gerenti Ecclesia universa communicaverit. Hinc Concilii Constantiensis auctoritas asseritur: hinc prioribus Basileensibus gestis sua firmitas constat. Neque nocuit ea dissolutio, quæ ab ipso quoque Eugenio IV. nulla & irrita declarata est; cum totus Christianus Orbis haud minus Sanctæ Synodo pro Ecumenica sedenti & agenti communicaret.

Papa autem Auctore dicimus, ordinariè quidem, ac nisi ipsa necessitas aliud exprefferit; quod schismatis causa aliisque in casibus admitti ab omnibus summo consensu vidimus. Sed quoniam in Conciliis non statim ac semper æque perspecta est nominis Christiani repræsentatio, quin interdum dubitari contingat, an aliquod Concilium verè generale sit; tum Ecclesiæ consensu rem confici, Romanorum quoque Pontificum auctoritate ostendimus.

Cæterum qui omnia incerta & perturbata esse volunt, nisi Christiani, aliis Ecclesiis, & Episcopis perinde habitis ac si nihil essent, in unius Romani Pontificis infallibilitate acquiescant, in quantas ambages quantasque turbas ipsi sese conjiciant, undè se nullo prorsus extricare valent pacto, jam toties notavimus, ut hæc dicere rursùm, nihil aliud esset quàm actum agere.

Ib. c. xij. num. 4.

Ib. lib. vij. c. ij. n. 3. &amp; lib. v. c. xij.

Dissert. præv. na. lxxvj.

Anon. lib. v. c. ij.

Ib. n. 7.

Sup. lib. ix. pass.



## CAPUT XXXII.

*Recapitulatio eorum, quæ ad Caput IV. Declarationis Gallicanæ dicta sunt, atque imprimis eorum quæ libro VII. & VIII.*

**A**BSOLUTO nostro ad Caput IV. Declarationis Gallicanæ Tractatu, superest ut quæ hîc dicta sunt, ad rei memoriam in compendium, redigamus.

Primùm illud præstruximus, IV. Caput Declarationis Gallicanæ, rem esse judicatam; quod sic conficimus: judicatum in Concilio Constantiensi Papam, etiam in fidei quæstionibus, Concilio subjici oportere: at qui errare non possit, eum in fidei negotio alteri subjici nefas: non ergò Papa is est, qui errare non possit. Rursus: in illo Concilio, de Papa, ut est Papa, actum est, non autem de Papa, ut est privatus Doctor: Ergò Papa etiam ut Papa, non is est, qui errare non possit: at Constantiense Concilium à tota Ecclesia, atque aded à Romanis Pontificibus comprobatum fuisse, rationibus adstruximus necessariis: ergò Papam non eum esse quem dicunt, res inter judicatas haberi debet. Hoc certissimum præjudiciū. Nunc ad rem, si adhuc injudicata esset, conficiendam, hoc fundamentum posuimus: à Patribus vim summam & indeclinabilem esse repositam in eo, *Quod ubique, quod semper est creditum*: non ergò in eo, quod solus Papa definiat. Exinde Concilia generalia ab Apostolico utque Concilio persecuti sumus; quod Apostolicum Hierosolymitanum Conciliū Actorum XV. relatū, normam esse cæterorum, datamque in eo quæstionum finiendarum formam, & ipsa auctoritate Apostolici nominis, & Sancti Cælestini Papæ, Sanctæque Synodi V. sententia, & omniū postea sæculorum secuta praxi ostendimus; collatisque gestis comperimus, ubique valere Apostolicum illud: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*; atque illud: *Visum est Spiritui Sancto*; cum illo, & nobis, hoc est cum ipsa Episcopalis atque Apostolici ordinis unitate esse conjunctum: non ergò, quod nunc fingunt, Synodos habere à Papa, ut recta decident, sed à Spiritu Sancto, eique conjuncta universalis Ecclesiæ auctoritate ac testimonio.

Hic igitur Conciliorum gestis evolutis apparuit, ita esse Ecclesiam constitutam, ut siquidem primæ Sedis sententiæ consensum accommodaret suum, quæstiones finitæ haberentur: sin autem graves altercationes orientur, adunata Ecclesia opus esset. Compertumque item est; eo quidem rerum statu, primæ Sedis sententiam Concilii Œcumenici convocatione suspendi; remque tanta Ecclesiæ adunatæ auctoritate gestam, ut de Pontificio decreto quæreretur, rectene haberet, necne; & responderetur à Patribus, si decretum probaretur, probandum videri; non quia falsum esse non posset, sed quia verax esse, factò examine, comperissent: atque omnino quo ritu cæterorum epistolæ, eodem quoque ritu Romanorum Pontificum decretales epistolas examinatas, evolutis gestis, & Synodi V. auctoritate monstravimus. Quo item loco patuit

Romanorum

Sup. lib.  
vij. c. ij. ij.  
iv.

Sup. lib.  
v c. xxvij.  
& pass. tot.  
hoc tract.  
Lib. vij.  
c. v.

Ib. c. vj.

Ib. c. vij.  
& seq. usq.  
ad xxiv.

Ib. c. x.

Ib. c. xix.



Romanorum Pontificum epistolas , & fuisse authenticas , tota scilicet Sedis Apostolicæ auctoritate prolata ; neque tamen fuisse normam fidei , cum de illis quoque quæstio haberetur : de Synodis autem nunquam eoritu esse quæsitum ; sed obedientiam statim consecutam . At non alia causa , tanti discriminis , quàm quòd illa decreta retractabilia , hæc irretractabilia viderentur .

Atque hæc etiam de probatissimis Romanorum Pontificum decretis facta esse vidimus . Jam quædam demonstravimus à Sanctis Synodis improbata constituta & responsa , quæ Romani Pontifices , putà Vigilius , & Honorius ritè interrogati ad Ecclesias edidissent . Non ergò valere illud , pro privato Doctore esse edita ; omnesque vitiligationes ita incidimus , ut quomodocumque respondeant , quosdam Pontifices Apostolico officio confirmandi fratres , in necessario Articulo defuisse constet .

His complexi sumus primorum octo Conciliorum Traditionem nostræ sententiæ congruentem ; quibus deinde Conciliis reliqua omnia consentire , ex actis , & ex Romanorum Pontificum consensione docuimus .

Quin etiam ostendimus , quæstionem hanc nostram , vel ipsa operosissima Conciliorum Generalium convocatione confectam : ne frustra Ecclesia collectis toto Orbe Patribus , quærere laboraret auctoritatem irrefragabilem , quæ statim in Romano Pontifice , vel solo , præstò esset . Ac siquidem Papa per se infallibilis , Concilio tantum atque admonitione indigeret , quod nunc comminiscuntur ; adsciscendos fuisse eos , qui doctrina , non eos qui auctoritate pollerent ; qui Papam docerent , non qui cum eo conjuncti docerent Ecclesias : denique qui admonerent , non qui conjudicaret & condecernerent : atqui omnino constitit non ita esse gestum ; sed quæsitam in Conciliis non tantum majorem lucem , sed etiam majorem , & jam irrefragabilem auctoritatem : non ergò summam illam & indeclinabilem vim in Romano Pontifice collocabant .

Quod autem objicitur , superioritatem atque infallibilitatem Romano Pontifici à Conciliis Generalibus jam esse adjudicatam , Lugdunensique ac Florentina , Lateranensique Synodis quæstionem judicatam , & Constantiensia jam Basileensiaque soluta esse decreta ; primum quidem præstruximus , pessimè agere eos , qui Ecclesiastica decreta collidunt , non concilient . Tum illud , perperam pro judicato haberi , quod palam à nostris asseritur , à Sancta Tridentina Synodo , atque à Pio IV. pro integro factumque sit habitum . Denique ne quid deesset , id quoque ex gestis probavimus , Lugdunensem , Florentinam , Lateranensem Synodos nihil nocere Constantiensibus , neque Basileensibus prioribus gestis ; sed Conciliorum omnium unam esse faciem , Traditionem unam .

His igitur confectis , illud argumentum , quod ex Conciliorum confirmatione repetebant , solvimus ; docuimusque ipsum confirmare quid sit ; neque eo quidquam superioritatis includi ; vanosque esse eos qui Synodorum decreta , aut qui saltem anathemata à confirmatione suspendunt , Conciliorum omnium gestis evolutis pandimus . Confutavimus denique qui Episcopalem potestatem ac Jurisdictionem , à Papali potestate ac jurisdictione manare contendunt ; hisque novellis sive adinventionibus , sive

Ib.c. xx.  
xxj.

Ib. cap.  
xxxij.  
Ib. cap.  
xxxiv. &  
seq. usq. ad  
fin. lib.  
Ibid. lib.  
vii. c. xx.

Lib. vii.  
cap xxxv.  
xxxvj.  
xxxvij.

Lib. v.  
integr.

Lib. vii.  
c. i. & seq.  
usq. ad xj.

Ib.c. xj.  
& seq. usq.  
ad fin.  
lib.



adulationibus, seu potius ludibriis, cum priorum seculorum firmam, ac Scripturæ inhærentem doctrinam opposuimus, tum Gallicanorum Episcoporum, ac nostræ Facultatis constantem sententiam.

## CAPUT XXXIII.

*Recapitulatio eorum quæ sunt in Libro IX.*

**H**IS quidem absolvimus, quæ ad Conciliorum generalium praxim ac Traditionem attinebant. At sequente libro de rebus sine Concilio generali tractatis dicere aggredimur. Ac statim id constituimus, ad finiendas fidei quæstiones sufficere Papæ judicium, nisi gravis dissensio consequatur. Quo loco exponimus illud Sancti Augustini de Pelagianis dictum: *Causa finita est*; posteaquam scilicet à Sede Apostolica responsa venerunt; & illud ejusdem: *Datum Pelagianis competens sufficiensque judicium*: collataque causa Pelagianorum cum illa Cypriani de rebaptizandis hæreticis, ex Augustino efficimus, ut Pelagianorum potius quam Cypriani causa per Papæ judicium finita intelligatur, quod de Pelagianis quidem, ut aperte hæreticis tota Ecclesia consentiret; Cypriani verò quæstio *magnis altercationum nebulis involuta*, Concilii universalis sententiam postuleret. Non ergo in eo casu, Sancti Stephani judicium, tota licet Sedis Apostolicæ auctoritate prolatum, à Sancto Cypriano, à Sancto Augustino, atque aliis Orthodoxis pro ultimo & irrefragabili esse habitum.

Qui deinde ut hoc argumentum eluderent, responderunt, rebaptizationis quæstionem à Cypriano & Augustino, non inter fidei quæstiones, sed inter adiaphora esse repositam, Patrum testimoniis obruimus, docuimusque omnino rebaptizationem eam, ex ipsis quibus tunc propugnabatur argumentis, ad manifestam heresim pertinere.

Multi postea exempla ac decreta retulimus, quibus constat, generales quidem omnes, ut Cæciliani, & Sancti Joannis Chrysostomi, præsertim verò fidei, ut Origenitarum, Semi-Eutychianorum, Scytharum Monachorum, Elipandique causas, non nisi universali consensione pro terminatis habitas; in eamque sententiam, cum cæteris omnibus, Romanos quoque Pontifices, Simplicium, Gelasium, Gregorium, alios consentire. Nam de Sancto Leone libro VII. & VIII. confectum est, cum de Concilio Calcedonensi ageremus. Non ergo Summi Pontificis judicium per sese ante consensum pro irreformabili est habitum.

Quem ad locum ostendimus quæ sit illa obedientia secundum canones, quam Summo Pontifici præstarent Episcopi & Ecclesiæ; idque Conciliorum & ipsorum Pontificum auctoritate firmavimus; neque unquam ab Episcopis postulatum, ut decreta Pontificia etiam indiscussa reciperent: quo item conclusum, ad summam & indeclinabilem auctoritatem, consensum Ecclesiæ esse necessarium.

Hinc ostendimus viris bonis sanctisque non fraudi fuisse, quod post Romanorum Pontificum, in fidei quoque negotiis, pronunciata etiam veridica, tamen

Lib. ix.  
c. i.

Ib. c. ij.  
ij. iv. v.

Ibid. cap.  
vij. vij. vij.

Ib. c. x.

xj.

Ib. cap.

xij. xvj. &

seq. usq. ad

xx.

Cap. xiv.

xv.

Lib. vij.

cap. xvij.

xvij. lib.

vij. c. xx.

Lib. ix.

c. xxj. xxj.

Ib. cap.

xxij. xxiv.

xxv.



tamen suspenſo animo manerent , donec Eccleſiæ conſenſus accederet ; id , inquam , bonis viris nunquam fraudi fuiſſe ; non Polycrati Ephēſio , aliſque Aſianis ; non Sancto Cypriano , Sanctoque Firmiliano , eorumque collegis , tot ac tantis viris ; non Gallis noſtris ac Sancto Columbano , quibus Romanorum Pontificum Pelagii I. ac Bonifacii III. ſuſpecta erat fides , eò quòd Concilium V. pro Œcumenico approbaſſent ; non item Gallis noſtris , quod Nicenam II Synodum , Papa Auctore ac Præſide geſtam , ad quam vocati non eſſent , pro Œcumenica non agnoſcerent , neque ullo modo admitterent ; non omnibus denique Conciliis , quæ Romanorum Pontificum latas , etiam de fide , ſententias , non niſi quæſtione habita , ſuſciperent . Ex quo illud argumentum : ſi Romani Pontificis iudiciu n pro irreformabili eſſet , non proſecto qui , poſt illud per Eccleſias promulgatum , ſuſpenſo animo manerent , orthodoxi haberentur : habiti autem ſunt orthodoxi : non ergò illud iudiciu pro irreformabili habitum .

His ſubjungimus claram profeſſionem Romanorum Pontificum Innocentii III. Joannis XXII. Gregorii XII. Pii etiam IV. qui ſibi à Concilio , aut à CHRISTO iudice metuerent , ſi publico officio functi , falſa ac fidei adverſa reſponſiſſent : non ergò exiſtimari eos , ſe in fidei negotiis , Apoſtolico fungentes officio , fuiſſe infallibiles . Quo loco attulimus Joannis XXII. tota Eccleſia promulgatam fidem , & Eccleſiæ iudicio ab eo eſſe ſubditam , & à ſucceſſore ad examen revocatam : non ergò eam fidem pro infallibili fuiſſe habitam .

Atque interim conſtitit , qui de Pontificis iudiciis dubitarent , non tamen dubitaſſe de fide Apoſtolice Sedis : ergò hæc duo ſtare poſſe , & Pontificem etiam iudicantem errare potuiſſe , & tamen ſedis Apoſtolice non defeſſuram fidem .

Quo item loco claruit multos incidiſſe caſus , quibus Sedi Apoſtolice ac Pontificie auctoritati laboranti nihil aliud ſubveniret , niſi Eccleſiæ Catholice auctoritas . Id Eccleſiæ Romanæ ſtatus X. ſæculo ; id ingens illud Schiſma XIV. ſæculo demonſtraſſe : ſteriſſe interim una Eccleſiæ Catholice auctoritate & ope Sedem Apoſtolicam , ac Pontificiam dignitatem ; nec minùs potuiſſe ſuccurrere Eccleſiam , ne quibuſdam licet Pontificibus falſa docentibus , Sedes tamen Apoſtolica , aut ſeries Pontificum à fide abrumperetur .

Cui etiam rei ſerviunt graves Romanorum Pontificum , Liberii , Zozimi , aliorumque plurimorum commemorati lapſus , rejectaque inſingulis quibuſque caſibus vana effugia ; & clarè demonſtratum eſt aber- raſſe a fide eos , etiam Apoſtolico officio deſungentes . Qui lapſus memorati , non ad improprium ; ſed ut illud conſtet : cùm Romani Pontifices , etiam ut tales , aliena à fide docent , haud minùs Eccleſiam Catholicam , ſidemque Romanam , ac Sedem Apoſtolicam , tanquam fidei caput , & communionis Eccleſiaſticae vinculum perſtitaram .

Huc pertinent ea , quæ pro Joanne XXII. ab ejus ævi Doctoreſ , ac præſertim Jacobo Sanctæ Priſcæ Cardinali , mox Benedicto XII. dicta ſunt : ideò potuiſſe ab eo Nicolai IV. decretalem tolli , aut corrigi , *Quod Romani Pontifices errare poſſent etiam determinando de fide* : Id ſæculo XIII. ut certum proponebant : id in gloſſis quoque Romanis ad Joannis XXII. de-

Ib. cap.  
xxvj xxvij.  
xxvij. xxix.

Ib. ca p.  
xxvij.

Ib. cap.  
xxx. xxxj.  
xxxij.

Ib. cap.  
xxxij. &  
ſeq.

Vid. diſſ.  
præv. nu.  
xlviij. xlvij.



Vid. diff.  
nu. xxvij.  
xxviii.

Ib. n. xiv.

XXII. decretales habebatur: cui addendum illud: XIV. & XV. sæculis, non modò Alliacensem, Gersonem, Toftatum & alios pios sanctosque viros innumerabiles, sed etiam Joannem à Turrecremata ejusque confor-tes, qui Eugenio IV. adversus Basileensem Synodum, tanto se studio adjunxissent, id pro certo posuisse; quòd à Romano Pontifice falsa & erronea detiniri possint, ejusque judicio Concilii judicium anteponi oporteat. XVI. denique sæculo Dominicum Jacobarium Cardinalem, hand abfimilia Romæ quoque docuisse; Adrianum verò Florentium Ultrajectinum, id Lovanii dedita opera defendisse; mox eundem virum, jam Caroli quin- ti Præceptorem, Episcopum, Cardinalem, Papam, non eam sententiam retractasse, imò potius recudisse; neque quemquam Theologorum con- tra insurrexisse, imò illi favisse Lovanienfes suos; denique XVI. sæculo exeunte, oriri cœpisse privatorum quorundam Theologorum dubias cun- ctantesque censuras; Ecclesiam verò Catholicam, Tridentinumque Conci- lium, ac Sedem Apostolicam, ab omni penitus censura temperasse. Hæc, credo, cogitantes censores nostros pudeat, ex sua dubia novellaque sententia, novum fidei Articulum repente condere; Parisiensiumque sententiam, tot retrò sæculis saltem innoxiam, nunc demùm proscribere, ex trepidis Bellarmini aliorumque censuris; insuper in re tam nova, tam fluxa, tam incerta, omne Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ præsidium collocare.

#### CAPUT XXXIV.

*Recapitulatio eorum quæ hoc postremo libro dicta sunt, de Romanæ Se- dis, ac fidei firmitate, ac de illis verbis: Tu es PETRUS.*

**U**LTIMO loco docuimus, nostram sententiam cum Romanæ Sedis, Romanæque fidei æterna firmitate egregiè cohærentem; consensu- que Patrum id obtinuimus, ut qui de hujus aut illius Romani Pontificis definitione dubitassent, hand minùs certam tutamque Romanæ fidei, Sedique Apostolicæ adscriberent æternitatem. Atque hinc argumen- tum nostrum: si quid esset periculi in ea sententia, quæ Romanum Pon- tificem negat esse infallibilem, maximè ex eo quòd, cum ipse deficeret, Ecclesiæ Catholicæ, vel saltem Sedis Apostolicæ periclitaretur fides: atqui demonstravimus, ex eo quòd Romanus Pontifex unus aut alter deficiat, hand eò minùs stare, non modò Ecclesiam Catholicam, sed etiam Romanam Se- dem atque fidem: ergò in ea sententia nihil est periculi. Quo loco CHRISTI de Petro & successoribus promissa dictaque ex perpetua Patrum Traditione ita exposuimus, ut & nostra tueremur, & hæreticorum audaciam retunde- remus. Sed quoniam nostri censores CHRISTI dictis præsidere videntur, quæ in hunc contulimus locum, paucis repetimus; atque id scholastico more, ad juvandos eos, qui hoc genere delectantur.

Sup. hoc  
lib. c. j. ij.

Locus ille; *Tu es Petrus*; id effecit ut Petrus, quique Petri vice, Aposto- lici, sive Episcopalis Collegii Princeps futurus sit, ex officio teneatur exem- plo



plo Petri, communem fidem omnium nomine promovere; omnesque Christianos movere ad fidei unitatem; ex quo sequitur, cum eo munere bene defungitur, ipsum fidemque ab eo expositam, esse Ecclesiæ fundamentum.

Neque verò dicant, quemvis alium Episcopum ac Doctorem, eo modo futurum Ecclesiæ fundamentum, si vera prædicet. In eo enim vis est: quòd Petrus, ejusque vice Romani Pontifices Petri successores ad id constituti sint. Quo fit ut illud officium, ille Magistratus, illa potestas ad unitatem movens fidei, sit Ecclesiæ fundamentum; neque tolli ab Ecclesia, aut ulla unquam vi labefactari possit.

Dices; non modò in genere Pontificale officium, sed quivis Romanus Pontifex Petri successor, petra est, fundamentum est: ergo immobilis est. Distinguiamus: petra est, fundamentum est, officio; concedimus: ipsare, semper & necessariò; negamus.

Instant: immortalis ædificii fundamentum deficere non potest: at Ecclesia immortale ædificium est: ergò quisquis est Ecclesiæ fundamentum, is deficere non potest. Hoc argumento facilè concludi posset, Papam ne mori quidem posse, neque vacare posse Sedem Apostolicam, ne Ecclesia interiret. Ergò ne nimis probes, ita distingo: quòd immortalis ædificii fundamentum deficere non possit primum, qui CHRISTUS est, verum; secundarium ac ministeriale, qui Papa est; rursus distingo: deficere non potest absolutè & universim, hoc est, summa ipsa, & quoad integram seriem & successionem; verum: secundum quid & accidentariò & particulariter; fallum est.

Exemplum adduci potest ab ipsa fundamenti ratione, à qua deducta CHRISTI locutio est. Ædificium enim stare nequit, penitus excusso fundamento; non autem statim omne collabitur, si sit aliqua in fundamento labe facilè sarcienda. Ita fieri nequit, ut ipse Primatus, ipsum Pontificale Officium in Ecclesia intereat; neque enim institutum à CHRISTO officium aboleri potest. Ipse ergò Papatus, ipse Primatus, ipsa successio certum fundamentum est: ex Romanis Pontificibus particularibus, velut eximiis lapidibus constat: summa ergò consistat oportet. Certè aliquis lapis, aliquis Summus Pontifex excuti ac labefactari potest, nullo totius ædificii periculo: aliud enim est petram ipsam excindi, aliud aliquam ejus quassari partem.

Exemplum aliud sumi potest ab ipso Episcopatu, qui absolutè in Ecclesia cessare non potest, eò quòd sit officium à CHRISTO institutum. Neque si aliqui Episcopi, idèò ipse Episcopatus concidit, dicente CHRISTO ad Apostolos: *Ecce ego vobiscum sum*. Hæc enim promissa, summa ipsa valent. Ita de Papatu dicendum; nec magis fieri posse, ut Papale, quàm ut Episcopale officium in Ecclesia intereat.

Eodem modo solvitur illud quod ajunt; in eo vim esse, qui petra est; quem vis autem Papam petram esse: vim ergò repositam non tantum in universis, sed etiam in singulis. Respondetur enim, vim quidem ipsam invictam & inconcussam in eo esse, qui petra principalis & angularis est, nempe in CHRISTO: neque tamen negandum est in ipsa ministeriali petra vim esse, maximam illam quidem ac præcipuam; sed tamen partialem, ita ut totum ipsum parti prævaleat, ut sæpè diximus. Considerandum quippe est,



pè est, cui sit firmitatis adjecta promissio, & unde petita sit. Et quidem à CHRISTO petitur: *Ædificabo*, inquit; unde continuò ipsi adjicitur Ecclesiæ: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; ut vim ipsam esse doceat ab eo qui ædificet, qui totum ædificium sua virtute contineat, hoc est ab ipso CHRISTO.

Si qui autem Interpretes, illud: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ad petram quoque referunt; primùm quidem pauci sunt, ac pro uno mille in contrarium recensere possumus; tum qui ita interpretantur, non ipsum Romanum Pontificem semper, sed quemvis fidelem in CHRISTO consistentem spectant: tertio ed nos ducit & verborum tenor, & summa Interpretum, ut ipsa Ecclesia sit, contra quam portæ inferi prævalere nequeant: postremo & illud docuimus, quo sensu petra ipsa ministerialis, Sedesque Apostolica, Ecclesiarum Caput, everti nequeat; ipsa scilicet toti Ecclesiæ corpori promissa & adjecta vi.

## CAPUT XXXV.

*Recapitulatio eorum quæ hoc postremo libro dicta sunt circa illud,  
Rogavi pro te.*

Sup. hoc  
lib. cap. iij.  
iv. v.

**J**AM in eo, *rogavi pro te*, distinguendum diximus quod ad præceptionem, & quod ad promissionem pertinet; ac promissionem quidem semper, præceptionem verò non semper implendam. Atque in promissione rursus distinximus id quod Petro esset proprium, & id quod ad posteritatem transiturum esset; ac Petro id esse proprium, quod Petri singulari personæ, transitarum autem ad posteritatem quod Petro figuram Ecclesiæ gerenti, & quod Petro Ecclesiæ principalis fundatori promittitur.

Quamobrem tria hæc ex æquo vera esse: fitemur, fideique conjunctam veram confessionem, primùm in persona singulari Petri nunquam defecturam; ac postea eandem fidem, quam Petrus prædicavit, cum in Ecclesia Catholica, tum in Ecclesia particulari Romana, ubi Petrus Sedem fixit, æternam victuram totoque Orbe celebrandam: unde jubeatur confirmare fratres, non modo ipse Petrus, sed quicumque in illa Sede sederit.

Hinc nostrum argumentum: non potest à nobis quidquam exigi amplius, quàm ut CHRISTI promissio certissimè impleatur. Impletur autem CHRISTI promissio, si Petrus ipse, si Ecclesia Catholica in Petro figurata, atque Ecclesia Romana à Petro fundata æternam in fide manserint. Neque id necesse est, ut quivis Romanus Pontifex sit infallibilis: non ergo id à nobis postulari potest. Quod cum per se clarum sit, tum illud invictum: de fide ipsa agi, qua corde credimus, eique conjuncta fidei confessione, quæ nempe ad salutem ore confitemur: ergo ad implendam CHRISTI promissionem, quærendum aliquid est in quo fides ipsa, qua intus corde creditur, nunquam defectura sit: non autem talis est quivis Romanus Pontifex; neque aliud quidquam tale est præter ipsum Petrum, atque in Petro intellectam Ecclesiam Catholicam peculiaremque Romanam: non ergo aliud quidquam ad CHRISTI promissionem pertinet.

Dices;



Dices : quivis Romanus Pontifex jubetur confirmare fratres : qui autem titubat , non ipse confirmat : nullus ergo Romanus Pontifex titubat . Id cen-  
 fore nostrum passim , id novissimus Auctor Anonymus ubique inculcant .  
 Argumentum vanissimum , quod sæpè notavimus ; ab eo quod fieri de-  
 beat , ad id quod semper futurum sit , sive ab injuncto officio , ad  
 effectum necessario secuturum .

At enim cuicumque officio sua est adjuncta gratia ; qua impleri pos-  
 sit , fateamur ; qua necessario impleatur , non ipsi quidem dixerint .

Simile argumentum in illo præcepto : *Pasce oves meas* : certè ad illud  
 implendum officium requiritur summa præcæteris charitas, dicente Domino :  
*Simon Joannis diligis me plus his ? Pasce oves meas* . Neque illa summa  
 charitas ad pascendum gregem minus necessaria est , quam inconcussa  
 fides ad fratres confirmandos . Ergone concludes : in Romano Pontifice  
 semper est summa charitas ? Absolutum absurdumque sit .

Instas : at enim Petro illud , *ne deficiat fides tua* , datum est ad illud  
 implendum ; *confirma fratres tuos* . Confirmatur ex Leone : *Pro fide Petri*  
*proprie supplicatur , tanquam aliorum status certior sit futurus , si mens*  
*Principis victa non fuerit* . Totum concedimus ; atque omnino constat ,  
 idè vel maximè confirmatum in fide Petrum , ut alios certius confirma-  
 ret . Ergo omnes successores æquè in fide confirmati sunt ; nunquam eo-  
 rum mens victa est , quod de Petro Leo dixit ; nullo unquam errore ,  
 ne intus quidem laborarunt , aut laboraturi sunt , quemadmodum Petrus :  
 id aliquis fortasse Pighius , non verò sanus homo , rerumque humanarum  
 expertus dixerit .

Quod ergo novissimus Autor Anonymus verba CHRISTI ita connectit :  
*Rogavi pro te ; & confirma fratres tuos* : quasi diceret : *Ego indeficientem*  
*tibi fidem impetravi : da operam ne alii deficient* . De Petro ipso verum  
 est , qui idè sit maximè idoneus ad confirmandos cæteros , quod in eo  
 fides , ne intus quidem , qua de re agitur , deficiat . Petri quidem  
 successoribus id omnibus tribuere , nec ipsi audeant .

Quod autem idem Anonymus subdit id Petro concessum , non solum ip-  
 sius causa , sed etiam in bonum gregis , rectum est . Ut autem proinde  
 in successores transeat , & illa summa charitas , & ille in fide confirma-  
 tus animus , & cætera dona , quæ Petro in bonum gregis data sunt ,  
 falsa consecutio est .

Quomodo autem nos verba CHRISTI connectamus respectu cujusvis  
 Romani Pontificis , sæpe expositum est ; nempe sic ; ut qui Petro succe-  
 dit , præestque Ecclesiæ , sive universali , sive peculiari , in qua Petri  
 fides semper victura sit , is Petri exemplo ac vice fratres confirmare  
 jubeatur .

Vid. A.  
 non. tract.  
 de liberr.  
 &c. lib. vij.  
 c. ij. n. 3.  
 & pass.

Joann. xxj.  
 15.

Leon.  
 ferm. iij. in  
 anniv. Af-  
 sum. ejusd.  
 e. iij. edit.  
 Quesn. in.  
 4. p. 109.

Anon. lib.  
 vij. c. iij. n.

Ibid.



## CAPUT XXXVI.

*An quemquam hominem infallibilem esse sit congruum, aut Ecclesiæ necessarium? An nulla sit Papa, nisi infallibilis auctoritas? An Papa errante nullum remedium?*

**Q**UÆRES cur tantopere laboremus, ne id tribuamus Romano Pontifici, quod & ipsi & gregi utilissimum foret? Respondemus, idè quod non ratiociniis aut votis duci nos, sed certis promissis certaue Traditione niti oporteat. Ac si vovere aut potius somnare placet; certè expectamus homines, ut Romanus Pontifex, tanti gregis ductor, non modo nullo errore, sed etiam nullo unquam peccato, nulla ignorantia, aut negligentia aut cupiditate teneatur. Quod cur CHRISTUS non fecerit, ne queri quidem fas est.

Pari jure quærerem; cùm CHRISTUS Apostolis dixerit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, cur non Episcopi Apostolis substituti, æternæ fidei promisso gaudeant? Valebit fortasse illud Sancti Augustini alia occasione dictum, non id convenire huic tentationum loco; *in quo tanta sit infirmitas, ut superbiam possit generare securitas*. Atque idè factum est, ut illud; *vobiscum sum*, deficere possit in singulis; ipsa tantùm summa, & universim valeat: quod idem in Romanorum Pontificum seriem meritò conferri possit.

Quod autem objiciunt, si Romanus Pontifex falsa definiat, actum esse de fide, nullumque remedium, ac ruitura omnia, cùm omnes ei statim parere debeant. Quærimus etiamne parere debeant adversus jussa divina imperanti? Ne ipsi quidem id cogitant. At enim, inquit, hac semel aperta janua, fas erit omnibus reniti palam; neque Romano Pontifici vis ulla adfutura est, qua sua etiam jussa & necessaria decreta tueatur. Falsum id quidem: non enim si reluctante Ecclesiâ nihil potest, quemadmodum sub Liberio; aut si in gravi dissensione, sententia suspenditur, ut sub Stephano Papa factum; idè necesse est hæsitare Romanum Pontificem, statim atque aliqui obloquuntur. Quin eos & sua, & Petri auctoritate & reliquorum consensu premit damnatque, neque effugio locus.

Instant: at saltem in gravi dissensione, aut incerta erunt omnia, aut periculum schismatis imminebit, neque quidquam remedii est. Neutrum: nam & eruditiores Traditione tenebuntur, ut factum sub Stephano Augustinus docet; & imperitiores, si quidem sunt Ecclesiæ veri filii, piæ matris judicium obedientissimè expectabunt. At enim repugnabunt Romano Pontifici, quod per se ipsum grave est malum. Grave quidem illud in quocumque negotio; esset autem pestiferum, si id sine ordine, & sine modo fiat: sed ut non ita fiat, ille Ecclesiæ pacificus ac temperatissimus Spiritus prohibet. Quid autem laboremus in quærendis iis quæ factu opus sit? Sunt quidem ea de re multa à Gersone non incommode scripta. Verùm id sufficiat, infinita esse quæ ille Spiritus, in se unus ac simplex, in donis varius, Ecclesiæ suggerat. Id quidem




quidem certa fide credere nos oportet; non remedia, non auctoritatem defuturam, cum Ecclesia Catholica dispersa & adunata tanta possit.

Hinc existit argumentum: id tantum in Ecclesia habendum est impossibile, quo facto nullum superest veritati praesidium: at in casu, quem dicimus, tutum superesset in Ecclesiae Catholicae auctoritate praesidium: non ergo ille casus est impossibilis. Quae cum ita sint, Ecclesia Catholica sola est, quae nunquam deficere, nunquam errare possit, ac nunc momento quidem. Unde enim revictura? Pontifex mortuus in alio revicturus: vis enim illa creatrix Ecclesiae inest; quod idem fieret, si fidei defectu moreretur. At non ut Pontificem si forte aberrantem, Ecclesia Catholica; ita aberrantem Ecclesiam Catholicam, alia Ecclesia Catholica corrigeret, coerceret, amoveret; aut si ad veritatem se ipsa revocaret, tamen labasceret ea, qua omnium animos teneri ac niti oportet, auctoritas; nullumque omnino remedium superesset, si Ecclesia Catholica dispersa, adunatave, semel à vero deflexisset. Quare ipsam primitus & radicibus immotam esse oportet.

Hinc etiam diximus constare suam Sedi Apostolicae, Ecclesiarum capiti, firmitatem. Sive ergo, quod absit, Sacrosancta illa Sedes infidelium tyrannidi subsit, ut factum sub Romanis persecutoribus; sive exagitati seditionibus Romani Pontifices aliò se conferant, ibique consistant, ut persæpè contigit; sive quid aliud humano animo provisum aut improvisum eveniat; providebit Deus, ut clara, perspicua, certa, intaminata, immota consistat, seseque assidue reparet, atque propaget illa Petri successio, quae Catholicae Ecclesiae radix fundamentumque est.

In ea quisquis quocumque modo à fide deficiat; non tamen Romana, non Petri ac Pontificum interibit fides: ipsi enim immortale semen post se reliquerunt.

Hæc igitur fides, ut mortuo Pontifice non moritur, ita quoquo modo deficiente non deficit: atque hoc est illud immotum, quod in Sede Petri, ab ipsa Christianitatis origine Patres prædicarunt.





## CAPUT XXXVII.

*An contraria sententia dignum aliquid Ecclesiastica gravitate dicat ?*

**Q**UI aliud postulant, nec ipsi se capiunt. Primum enim non capiunt ipsam fidei vocem. CHRISTUS enim fidem dixit qua Christiani sumus, quamque intus corde gerimus. Hanc si omnibus & singulis Petri successoribus promissam arbitrantur, planè desipiant; neque id profectò faciunt. At si id vel maximè contendunt, non proinde suam confirmant sententiam. Eo enim sensu Romanus Pontifex, putà Liberius, modò rectè intus credat, licet exterius prava decernat, in fide Petri stabit, quod nec ipsi volunt, & est absurdissimum.

Damus etiam casum, quo Romanus Pontifex, putà Honorius, non indocili aut contumaci animo falsa definiat; quid dicent? Defecisse in illo fidem? Nequaquam; atque haud magis quàm in Cypriano Sanctissimo CHRISTI Confessore defecerit, cum, Synodo convocata, falsam pronuntiavit de rebaptizatione sententiam. Quid ergò? Sterisse in fide Petri? Ergò stante promisso, falsam fidei definitionem ediderit; quod maximè respuunt.

An dicent, nullum Pontificem, neque per contumaciam, neque per imprudentiam, de Catholica fide falsa unquam crediturum? Id credo, ne ille quidem irritus ab omnibus dixerit Pighius. Is enim à Romano Pontifice, non errorem sane omnem, sed contumaciam, qua fiat hæreticus, amoliri videtur. Ad alia ergò confugiunt; nempe huc, ut Romanus Pontifex, falsa licet credens, tamen ea decernere aut definire prohibeatur. At nec sic se ipsi intelligunt, qui primum eam, quam CHRISTUS dixit, fidem, in externam ac nudam professionem vertunt: tum ne quidem capiunt quæ sit illa professio, quam in Petri successoribus extinguì posse negant.

Sup. lib.  
l. c. xxviii.

Ecce enim Joannes XXII. moriens de visione beatifica fidei professionem edidit: hanc Benedictus XII. ad omnes Ecclesias Apostolica auctoritate direxit: ipse tamen postea, tanquam re integra, de eodem argumento quæstionem habuit. Talis ergò professio tam sollemnis, tam authentica, non id fuerit quod innotum, inconcussum, irreformabile, infallibile esse velint.

Huc passim decurrunt, ut tum Romanus Pontifex errare non possit, cum Doctorem agit publicum; cum fungitur officio confirmandi fratres; tanquam Joannes, atque Benedictus non id docuerint totam Ecclesiam, quod dato diplomate, toti Ecclesiæ testarentur atque profiterentur. An ergò consultos interrogatosque esse oportet, ut Doctorem agant publicum, atque Apostolico fungantur officio? Quid si ipsi ultro doceant, Ecclesiarum necessitate compulsi? Quid quod interrogatos pro officio falsa respondisse constat? Testis Honorius, alique complures, quos interrogatos, etiam ab Episcopis, falsa & Evangelicæ adversa doctrinæ rescripisse in confesso est.

Hic quidem in varias interpretationes abeunt. Bellarminus enim, jure  
licet



licet interrogatos , pro privatis Doctoribus respondisse dicit . Quod quoniam absurdum est , nec stat Romanos Pontifices pro officio rogatos , privatam egisse personam ; ecce Lovanienſes quidam nova comminiſcuntur . Nempe urgebat locus Adriani VI. affirmantis certum eſſe : *Quod Eccleſia Romanæ caput Pontifex poſſit errare , etiam in iis quæ fidem tangunt , hæreſim per ſuam determinationem aut decretalem aſſerendo* . Quo loco mirantur : Non enim omnia , inquiunt , quæ Pontifex etiam conſultus ſcribit , aut reſcribit tanquam vir doctus & poteſtatem habens , mox habenda ſunt pro definitione Sedis Apoſtolicæ . Ac rursus : Multa referuntur ad Summum Pontificem tanquam ad ſupremum Judicem , non quidem ſemper ut ipſe tanquam univerſalis Doctor , ex infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia illa dijudicet ; ſed ſæpius tantum , ut auctoritate ſuprema , ſecundum ſuam ſapientiam & prudentiam particularem , deſuper dicat iudicium , & difficultatibus quæ in factis ſic occurrunt , finem aliquem imponat ; ſaltem donec pleniori examine præmiſſo , ſi res ſit gravior , & ad fidem vel bonos mores tendens , ex Cathedra à Pontificibus deſiniatur .

En quot in partes Pontificem ſcindant ac diſtrahant ; neque tantum ſecernant privatum Doctorem à Doctore publico ; ſed etiam ab univerſali Doctore ſupremum Judicem , & ab ipſa Cathedra ſupremam auctoritatem particulari prudentia exercendam , atque ab his omnibus ſegregant Spiritus Sancti aſſiſtentiam : tanquam ad Apoſtolicum officium confirmandi fratres non iſta pertineant .

Atque hæc dicunt evenire etiam in iis , quæ ad fidem moresque ſpectent . Nam id omnino ibi agebatur , ut ex ipſo argumento , verbiſque ipſis conſtitit . Quæ quis intelliget ? Ne ipſos quidem arbitror . At unde iſta deſumunt ? Ex ſcriptura ? Ex Patribus ? Ex Conciliis ? Ex Romanis Pontificibus ? Ne verbum quidem . Atque interim hanc novam , recentique educatam è cerebro ſapientiam , ſi Deo placet , pro fidei Catholicæ decreto venditant .

Ad formulas quippe nos redigunt ; & tamen Gregorium II. falſum eſſe fatentur , in quæſtione fidei , cum evulgare ſe diceret ; *Apoſtoliſi vigoris doctrinam per Beatum Petrum , unde Apoſtolatus & Episcopatus initium eſt* .

Hæc ergo tam nobilis formula non ſufficit . Additam volunt excommunicationem . Atqui Alexander III. excommunicationem addidit ei decreto , cujus doctrinam tanquam ex Scriptura proditam exponens , haud minus fallebatur , ut vidimus .

Ergo Romani Pontifices edicant oportet doceri à ſe omnes ; aut ab omnibus , quæ doceant , teneri oportere , ſi quidem ſe infallibiles eſſe voluerint . Quo ictu quot acta bona probaque concidunt ? Quid ſi reverà doceant omnem Eccleſiam , nec docere ſe dicant ? Caſſi erunt . Quis has ferat infanias , hos de tanto officio , de tanta perſona ludos ? At ſi licet adverſariis hæc ex cerebro comminiſci , atque his explicare , quid ſit ex Cathedra ; & nobis licebit , ex Cathedra id dicere , quod ex communi Traditione & conſenſione ſit proditum .

Ac

Sup. Lib.  
vij. c. xxj.  
& ſeq. lib.  
ix. c. xxxvj.  
& ſeq.  
Vid. Bell.  
lib. de R.  
P.  
Sup. lib.  
ix. cap. xl.  
Doct. Lov.  
p. 59.

Sup. lib.  
ix. cap.  
xxxviii &  
Greg. ij. ep.  
xii. ad Bo.  
niſ. T. vj.  
Conc. pag.  
1448.  
Sup. ibid.  
c. xxxix.




Ac reverà patet via, qua omne verum decretum Pontificium ab omni erroris nota eximamus. Nempe confitentur omnes, multa decreta ipso jure esse nulla, quòd sint contra canones: quanto magis si fidei adversentur? Non ergò habebuntur pro veris Pontificiis decretis, ea quæ ipso jure nulla sint.

Quin & illud in promptu est cum quibusdam dicere; nullum Romanum Pontificem, falsum contra fidem profiteri ac pronunciare posse; quando professus ac pronuncians cessat esse Pontifex.


Ac saltem licebit dicere, nullum certum Pontificem falsa pronuntiare, cum falsa pronuncians statim sit dubius; quippe quem multi gravesque Doctores, nullum ipso facto esse doceant.

Quid quòd Turrecremata docuit, Papam hæreticum, occultum licet, ipso facto cessare esse Papam: quo casu contra fidem pronuntians, ipso consensu in hæresim, Papa esse desierit.

Quòd si hæc Ecclesiæ Catholicæ gravitate parùm digna videantur, jam omnes eo pariter consistamus gradu, ut Ecclesiam Romanam, Sedemque Apostolicam, summamque ipsam ac seriem Romanorum Pontificum, sanam, integram stare, ac Romanam fidem vigere statuamus; quidquid, quocumque modo quidam forte Pontifices doceant, judicent, definiant.







# DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI,

DE ECCLESIASTICA POTESTATE .

---

LIBER UNDECIMUS .

De Pontificiæ potestatis usu per Canones moderando ,  
ad Caput tertium Gallicanæ Declarationis .

---

CAPUT PRIMUM

*Referrur Caput III. Gallicanæ DECLARATIONIS .*



INC Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones , Spiritu Dei conditos , & totius mundi reverentia consecratos . Valere etiam regulas , mores & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta , Patrumque terminos manere inconcussos : atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis , ut statuta & consuetudines tantæ Sedis & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant .

CA-



## CAPUT II.

*Exponitur tertium caput Gallicanæ Declarationis : hujus duæ partes : id probandum suscipitur , Ecclesiasticam Disciplinam , sive universam , sive particulares spectet Ecclesias , à Romano Pontifice regi , adhibitis regulis , sive universim , sive particulatim receptis .*

**T**ERTIUM Caput Declarationis Gallicanæ versatur circa usum Apostolicæ potestatis , quoad Ecclesiasticam disciplinam ; ac secundo ejusdem Declarationis capiti , Constantiensique decreto merito annectitur . Postquam enim erat positum ex ejus decreti auctoritate , Pontificiam potestatem Conciliari subesse , etiam quoad fidem ac reformationem , quæ Ecclesiastica disciplina continetur : exponendum restabat , quæ esset illius subjectionis ratio in utraque ista re : quod tertio quartoque capite Gallicani Patres exequentur .

Gerf. de  
Poteft. Ec-  
cles. conf.  
i. & x. &  
T. ij. Dup.  
p. 227. 240.  
serm. cont.  
Bull. Men-  
dic. ib. pag.  
432. de  
stat. Eccl.  
de stat.  
Præl. con-  
fid. iv. ib.  
p. 532.

Et Galli quidem nostri , æquè ac cæteri agnoverunt semper in Petro & successoribus plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis , *quam nemo hominum præter Christum , imò nec Ecclesia tota conferre potuit & auferre* ; sed simul docuerunt hujus Potestatis exercitium & usum canonibus moderandum : quod à Gersone dictum , non modò Academia Parisiensis , atque Ecclesia Gallicana , nostrique omnes ; sed etiam per universum Orbem optimi quique magno studio celebrarunt .

Hanc ergò doctrinam , qua Ecclesiasticæ disciplinæ ratio , Ecclesiæ-que Gallicanæ libertates constant , Patres Gallicani tertio Capite profitentur .

Dividitur autem caput illud bifariam . Cum enim Ecclesiastica disciplina , vel universim spectetur , vel particulatim ; hoc est , vel universam Ecclesiam , vel particulares respiciat Ecclesias , puta Gallicanam ; exponunt Gallicani Patres , utroque respectu Ecclesiam , non ad arbitrium regi à Romano Pontifice ; sed universam quidem per canones ubique receptos , *ac totius mundi reverentia consecratos* : particulares verò Ecclesias , verbi causa Gallicanam , per regulas in hac Ecclesia receptas . Regularum verò nomine etiam consuetudines approbatas comprehendunt .

Ac ne qua sit difficultas , exponunt , recepta ea , seu approbata haberi , quæ Sedis Apostolicæ atque Ecclesiarum consensione & utu obtinuerint : quæ usque adeò sana sunt , ut de iis fere ipsi etiam adversarii conticescant .



## CAPUT IV.

*Idem probatur ex gestis sub BONIFACIO II. & ex Concilio Romano  
sub JOANNE IX. de translationibus.*

**H**inc fit, ut vix ullos habeamus ordinandæ in Romana Ecclesia disciplinæ peculiare canones constitutos; sed quæ per omnes Ecclesias jubebantur, ea in Ecclesia Romana, vel primitus obtinebant, vel diligentissimè recipiebantur & custodiebantur. Sic annexus sacris Ordinibus cœlibatus; sic sacræ electiones ordine celebratæ; sic vetitæ translationes; sic eadem omnia, quæ cæteris Ecclesiis, Ecclesia Romana sibi vel maximè interdicta esse intellexit.

In vitis Pontificum legimus de Bonifacio II. *Hic congregavit Synodum in Basilica Beati Petri Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis Sacerdotum & jurejurando, ante confessionem beati Petri Apostoli in Diaconem Vigilium constituit. Eodem tempore facta iterum Synodo, hoc cassaverunt Sacerdotes omnes, propter reverentiam Sedis Sanctæ; & quia contra canones fuerat factum, & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Majestatis\*, quod Diaconem Vigilium sui subscriptione chirographi ante confessionem beati Apostoli Petri successorem constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum & Cleri & Senatus incendio consumpsit. Ad reverentiam sanctæ Sedis pertinere intelligebant, ut, quæ in ea contra canones fierent, cassarentur. Neque Bonifacius allegabat plenitudinem potestatis, qua supra canones evectum se esse jactaret, sed ipse primus omnium canonibus serviebat. Ita rem gerebant optimis Ecclesiæ Romanæ temporibus.*

De translationibus memorabile illud: nullum in Sedem Apostolicam ab Episcopatu translatum videri, ante Marinum anno 882. aut Formosum anno 891. ex Episcopo Portuensi assumptum: ut totis ferè nongentis annis Ecclesia Romana nullam translationem noverit: adeo canonibus, quibus Ecclesiam regeret serviebat.

Et id quidem Marino à Basilio Macedone Imperatore exprobatum: Stephanus verò V. à Marino tertius, sic respondet: *Quicumque dicunt Marinum fuisse antea Episcopum, (c) ac proinde non potuisse ad aliam Sedem transferri; ostendant illi id aperte. Scito, dilecte, & omni honore dignæ Imperator, quod licet illi impedimento fuisset, quod obicitur de canone, cùm tamen id nunquam fuerit, multitudo tamen sanctorum Patrum, & illorum auctoritas & judi-*

(c) Marinum fuisse .... Episcopum \*) à Joanne IX. constitutum dicit quidem D. FLEURY Lib. LIII. n. 37. sed negat ulli Ecclesiæ fuisse prælatum. Nempe eo tantum concilio ordinatus fuerat, ut ad Sclavos divini verbi præco dirigeretur. Vid. ejus vit. à Bilio scriptam Tom. IX. Conc. p. 356. De Marini Episcopatu sic Baronius memorat an. 882. Tom. X. p. 583. Cujusnam Ecclesiæ Episcopus fuerit non satis exploratum habemus.

Lib. Pon.  
Anast. in  
vit. Bonif.  
II. T. IV.  
Conc. pag.  
1682.

\* Divinæ.

Steph. V.  
ep. i. ad  
Basil. Imp.  
T. ix. Conc.  
p. 367.



*judicium potuit illum constituere in primo gradu. Quo loco, per multitudinem Sanctorum Patrum, significat sacrum Concilium Ecclesiæ ac Provinciæ Romanæ, vicinarumque Ecclesiarum, quæ Papæ electionem facere, vel firmare conlueverant; quarum auctoritate Marinus per dispensationem transferri potuerit.*

Ibid. Tum profert Gregorium Nazianzenum & alios, qui è *suis Sedibus ad alienas translati sunt*. Nec ille quidem dicit, Romanam Ecclesiam aliis eminentem, canonibus non teneri; imò dispensationem *ex sacri Concilii auctoritate*, in ea, ut in aliis, locum habere potuisse.

Ibid. Cætera quæ subdit; tametsi peccatum fuisset in Ecclesia Romana tamen *primam Sedem a nemine judicari*; eo pertinent, non ut Ecclesia Romana canonibus non obligetur; sed ut ejus Pontifices, etiamsi peccasse videantur, non tamen subint particulari Concilio, quale adversus Marinum Constantinopoli ab Imperatore congregari potuisset; quod alterius loci est.

Luitpran. De Formoso quidem omnes norunt ejus cadaver à Stephano VI. (septimum passim vocant) reffossum, objectumque illud mortuo: *Cum Portuensis Episcopus esses, cur ambitionis Spiritu Romanam Sedem usurpasti?* Ac deinde tribus abscissis digitis, quibus Pontifices benedicere solent, projectum in Tyberim.

Conc. Hæc quidem infanda acta à Joanne IX. damnata sunt in Concilio I. Romano septuaginta quatuor Episcoporum, cujus Synodi capitulum tertium sic habet: *Quia necessitatis causa de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem proventus est, statuimus & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat; præsertim cum Sacri Canones hoc penitus interdican, & præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem; quippe quod necessitate aliquoties indultum est, necessitate cessante, in auctoritatem sumi non est permillum.*

Canos memorabilis, quo Ecclesia Romana ut forma cæterarum, aded communi reliquæ Ecclesiæ Canone se teneri testata est, ut id etiam vereretur, ne laxata apud se disciplina, aliis quoque laxata esse videretur: adedque & ipsa laxati erga se canonis causam, ipsam quæ cæteras quoque excusaret Ecclesias, necessitatem affert: tum cavet canonibus ab exemplo Romanæ Sedis, & eos innovat ac fiamat. Fixum ergò illud atque perpetuum, ita à Domino Ecclesiam Romanam cæteris præsidere jussam, ut quibus Ecclesiam universam regeret, iis canonibus ipsa regeretur.



## CAPUT III.

*Ecclesia Romana iisdem canonibus regit Ecclesias , quibus ipsa regitur :  
probatur ex Romanis Pontificibus .*

**H**Æc igitur singillatim exponere potius , quam probare nos oportet . Exponimus autem maximè ex Sedis Apostolicæ decretis , quæ obvia , ac toties amplis voluminibus memorata , nunc compendiosè recensere placet .

Id fundamenti loco ponimus , Ecclesiam Romanam eò maximè eminere cæteris , quod canones , & sequatur , & aliis sequendos sua auctoritate præscribat .

Id sanctus Gelasius profitetur loco celebri , quo docet : *Uniuscujusque Synodi constitutum , quod universalis Ecclesiæ probavit assensus , non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere , quam primam , quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat , & continuata moderatione custodit .* En quæ Romana Sedes exequi , atque exequenda mandare velit ; ea nempe , quæ & ipsa firmavit , & universalis Ecclesiæ probavit assensus .

Et ante eum Zozimus : *Indecens autem .... hoc ab Episcopis ob certas causas Concilium agitantibus extorquere , quod contra statuta Patrum & sancti Trophimi reverentiam , (a) qui primus Metropolitanus Arelatenfis civitatis ex hac Sede directus est , concedere vel mutare ne hujus quidem Sedis possit auctoritas .* Cujus rei causam egregiam subdit his verbis : *Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas , cui statuta Patrum sanxere reverentiam .*

Hæc occasione Arelatenfis Ecclesiæ dicta sunt à Zozimo de juribus peculiaribus Ecclesiarum , quæ secundo loco in hoc tertio Capite Declarationis Gallicanæ contineri vidimus . Et his quidem obligari se Sedes Apostolica prohtetur ; quanto magis iis quæ universalis Ecclesiæ firmavit assensus .

Hinc Leo ille Magnus : *Nimis improba sunt , nimis prava , quæ sanctissimis canonibus probantur adversa .*

Sanctus Gregorius Magnus : *Si Canones non custoditis & Majorum vultis statuta convellere , non agnosco qui estis .*

San-

(a) *Reverentiam*) Massiliensis & Viennensis Episcopi Patroclus & Simplicius , id sibi juris arrogabant , alter ut secundæ Narbonensis , alter ut Viennensis provinciarum Episcopos ordinarent . At Zozimus in ea epistola & in iis quas de eadem re antea scripserat , decernit hoc jus Metropolitanum per eas provincias à solo Arelatenfium civitatis Episcopo exerceri oportere . Nemo nescit secutis temporibus , inter Leonem Magnum & Hilarium Arelatenfem intercessisse grave dissidium , quo in dissidio , Leo Hilarium Metropolitanico jure privavit ; causatus nempe , jus illud à se posse abrogari , idè quod per privilegium Patroclo , proximo Hilarii prædecessore fuerat à Sede Apostolica temporaliter concessum . Ep. X. Leon. al. LXXXIX. ad Episc. Prov. Vienn. Quæ Leonis verba multis persuaserunt supposititiam esse eam Zozimi epistolam , qua Metropolitanica potestas Arelatenfi Episcopo asseritur . Sed hanc esse genuinam invictissimè probat P. QUESNEL in sua dissert. V. in S. Leonem , quæ est apologetica pro S. Hilario . Vid. hanc dissert. part. 1. cap. VI.

Tom. II.

K k



\* I. Sanctus Martinus \* doctissimus Pontifex & Martyr egregius: *Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores & custodes canonum sumus, non transgressores.*

Mar. I. *Et sanctus Leo III. ad Caroli Magni Legatos: Ego me illis (Concilii Patribus \*) absit ut praeferam, sed etiam illud absit, ut coaquare praesumam; cum ab eo peteretur ut in disciplina canendi Symboli aliquid innovaret (b).*

ep. IX. ad Pantaleo. T. vi Conc. p. 33. Refcrip. Leo. III. ad Carol. Mag. Tom. VII. Conc. pag. 1195. \* Chalcedonensis. Fragma. Ep. Leon. iv. ad Loth. Imp. Tom. viii. Conc. p. 35. male 33.

Nicolaus I. auctoritatis Apostolicae vindex accerrimus, de Ignatio deposito, ac Photio contra canones substituto: *Talibus itaque, qui juris nostri, id est, canonum gubernacula custodimus, necesse est obviemus.* Ac postea: *Canonum paternorum vetus forma servetur.* Atque alia epistola eadem de re: *Romana Ecclesia semper Sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus actibus suis sequitur.* Verum haec tractatio in volumen excrescet, si omnia congerimus.

His ergo evincimus duo; canones in Ecclesia Romana maximè observatos: canonum observantiam ab Ecclesia Romana ut capite, in omnia Ecclesiae membra, & exemplo & auctoritate diffusam. Hoc enim est quod agebat Papa Zozimus: *Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas; hoc est, & hæret apud nos, & inde pullulat per omnes Ecclesias.* Quod etiam spectant illa sancti Innocentii ad Victorium Rothomagensis: *Rectè postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet Ecclesia Romana, forma servetur; non quo nova praecepta aliqua imperentur; sed ea, quo per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen Apostolica & Patrum Traditione sunt constituta.*

Zozim. ep. vii. jam cit.

Sic Ecclesia Romana antiquas regulas, quas ipsa omnium prima servaret, servandas mandabat cæteris. Hinc etiam Nicolaus I. epistola ad Photium hæc docet: *Quodd Ecclesia Romana sit caput omnium Ecclesiarum; illas ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus & Ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas & Synodicas sanctorum Patrum Sanctiones inviolabiliter, atque irrefragabiliter retineret, exquirere.*

Nicol. I. & sectari. Ergo firmum illud Apostolicæ Sedis perpetua Traditione, hinc ad omnes Ecclesias, à Romana Ecclesia omnium Principe, ordinem propagatum; quod eas iisdem canonibus regeret, quibus ipsa prima omnium regeretur.

Ep. Inn. ad Vict. Rothomag. T. II. Conc. p. 1150.

ep. VI. ad Phot. Tom. VIII. Conc. p. 183.

CA-

(b) *Aliquid innovaret.* In Concilio Aquisgranensi, quod Carolus Magnus anno 809. coegerat, quæstio habita est de processione Spiritus Sancti. Peracta Synodo, Carolus ad Leonem III. Legatos misit cum epistola, in qua varia Scripturæ loca affererebantur, & Patrum testimonia quibus Spiritus Sanctus à Patre simul & à Filio procedere dicebatur. Ea occasione, sermones Leo contulit cum Caroli Legatis. Et quidem epistolæ doctrinam approbavit; sed quantumvis Legati urgerent, Leo nunquam potuit eò adduci ut verbum *Filioque* Symbolo adderet: quippe, inquebat, Patres Chalcedonenses, in Symbolo Nicæno, tollendo, addendo, mutandove quidquam inferere prohibuerunt. Deinde, paucis interjectis, ea dixit quæ à D. Bossuet in textu allegantur. Porro illud responsum sapientia & consilio plenum fuisse abundè probaverunt eæ, quæ deinceps cum Græcis de eadem re intercesserunt controversiæ. Cæterum Galli, in cantando Symbolo, addiderunt verbum *Filioque*; Romani autem ab illa additione temperaverunt. Vid. Historicos Eccles. & D. FLEURY Lib. XLV. n. 94.



*Concilium, cum Abbatibus & cæteris sapientibus, qui aderant, responderunt... Ut quod regulariter ceptum fuerat, canonicè pertractaretur. Itaque recitato capitulo XIX. Carthaginensis Concilii (d) De accusato & accusatore; judicatum est secundum definitionem ipsius capituli, ut Artaldo Præsule retinente communionem & Parochiam Rhemensis, Hugo qui ad duas Synodos evocatus venire contempsit, à communione & regimine Rhemensis Episcopii abstinere, donec ad universalem Synodum (ex Germanis & Gallis Episcopis congregatam) se purgaturus occurreret.*

Cod. Canon. Eccl. Afric. c. xix. T. ii. Conc. p. 106.

Suspectas habent allatas Roma ex nomine Papæ literas, quod sola iussa, nihil Canonica auctoritatis continerent. Ipsi ex Canonibus Roberto Trevirensi Legato Apostolico auctore, inchoata exequantur. Sic Germani, sic Gallicani Episcopi judicabant.

Notum illud, neque omittendum Rodulphi Glabri \*, de Episcopis Gallicanis ægrè ferentibus, Cardinalem à Joanne XVII. delegatum, ut Romani Pontificis auctoritate, Basilicam \*\* in agro Turonico à Fulcone Andegavenfi Comite constructam consecraret: quod Hugo Turonensis Archiepiscopus (e) ex causis Canonicis facere recusasset. Qua de re Glaber (f) hæc scripsit: *Quod utique audientes Galliarum Præsules presumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, ac rursus: Licet Pontifex Romanæ Ecclesiæ, ob dignitatem Sedis Apostolicæ: cæteris in Orbe constitutis Episcopis, reverentior habeatur: non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Denique, Universi pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui Apostolicam regebat Sedem, Apostolicum primitus ac canonicum transgrediatur tenorem. Itaque turbinem repente coortum, quo concussa Basilica (g) ac disturbata consecratio est, divino judicio imputarunt. Anno 1004.*

\* Monachi Cluniacensis. \*\* Seu Monasterium Belli loci in pago Turonico in prospectu Castr. Lucassenfis.

Sunt qui Rodulphum Glabrum falsi convictum putent, tabulis ab Illustrissimo viro Petro de Marca summam relatis. Atqui vir doctissimus his tabulis, Glabrum non confutatum (b), sed illustratum voluit: deinde has tabu-

Rodulp. Glab. lib. ii. c. iv. ap. Duchef. T. iv.

[d] Capitulo XIX. Carthaginensis Concilii ] statuitur, ut Episcopus accusatus, qui, nulla necessitatis causa impeditus, ad Concilium occurrere noluerit, ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur, & sit communionis expers; licet Synodus in eum excommunicationis sententiam non expresse dixerit.

(e) Hugo Turonensis Archiepiscopus ) Basilicam à Comite Andegavensium Fulcone extructam consecrare recusabat, nisi ille prædia, quæ non pauca subripuerat Ecclesiæ, primitus restitueret; & negabat se justo iudici Deo offerre debere propria quæ ille volebat, qui aliena injustè diriverat. Nimirum illo ævo & sequentibus, quæ ignorantia sæcula vulgò appellantur, tanta fuit religionis ignorantia, ut plerique Christianorum, non in reformandis moribus veram pietatem collocarent, sed in locupletandis Monasteriis: aded ut se, nulla acta poenitentia, ab omnibus peccatis crederent absolutos, modò dotarent Monasterium, aut Basilicam dicarent. Avari autem Monachi diligenter cavebant ne tolleretur, sed ut foveretur illè error, qui quidem illorum opulentia, simul & intereptione disciplinæ fons & causa fuit. Nam difficile est ut Monachus opibus abundans severiorem sequatur vitæ disciplinam.

[f] Glaber ] rem sic narrat: Fulco indigne sermone Episcopi responsa .... copiosa auri & argenti assumpta pecunia., Romam pergens .... Joanni Papæ .... plura munerum dona obtulit: qui ( Joannes ) misit Cardinalem nomine Petrum, cui etiam præcepit, quidquid agentum Fulconi videbatur, intrepidus expleret.

[g] Concussa Basilica. ] Imò eam funditus eversam fuisse Glaber affirmat.

(b) Glabrum non confutatum ) à Petro de Marca constat: quinimò certum est confutatum.



Marc. de tabulas visas lectasque oportet integras, antequam candidissimo hujus ævi  
Concord. historico detrahamus fidem: denique utcumque est, ejus testimonio firma-  
&c. Lib. iv. tum videmus, de observando etiam à Romano Pontifice canonico ordine,  
c. viii. n. 2. communem Ecclesiæ Gallicanæ sensum.

Neque ita multò post, Concilium Ansæ in Pago Lugdunensi congregatum est. Ibi Gauslenus de Vienna Episcopus Matisconensis gravem exortulationem habuit, de ordinatione Cluniacensium Monachorum à Burchardo Viennensi facta, vi privilegii, quod Cluniacenses habebant à Romana Ecclesia. Quà de re sancta Synodus sic statuit: *Relegentes sancti Chalcedonensis Concilii, & plurimorum authenticorum Conciliorum sententias, quibus præcipitur, qualiter per unamquamque regionem Abbates & Monachi proprio subesse debeant Episcopo, & ne Episcopus in Parochia alterius audeat ordinationes vel consecrationes, absque licentia ipsius Episcopi, facere; decreverunt chartam non esse ratam, quæ Canonicis non solum non concordaret, sed etiam contraireret sententiis. Archiepiscopus ratione convictus, à Gausleno veniam petiit. Eidem, multa imposita, satisfecit (i) anno 1015.*

Neque propterea omnia privilegia cassa habebantur. Hoc tantum cavebant ne pro arbitratu, ne necessitate nulla, ne inconsultis iis quorum intererat, concessa viderentur. Itaque ea privilegia, quæ hæcenus invaluerant, concedi solebant auctoribus Episcopis, vel Synodis certè consentientibus, & ad certam modum, magnoque respectu ad canonicum ordinem. Quod etiam vir doctissimus Ludovicus Thomassinus luculentissimè demonstravit.

Ansæ Synodi auctoritatem elevare nititur Auctor Anonymus qui de Gallicanis libertatibus scripsit. Ac primum quidem ex ea Synodo nihil memorat, præter fragmentum à Marca relatum. At dissimulat narrationem integram optimæ notæ, in editione Labbeana Conciliorum insertam. Ait postea narrationis hujus non adeò *indubitatum esse veritatem*. Sed id pronuntiasse non sufficit; docere oportebat. Addit *Monachos Cluniacenses privilegiis Apostolicis usos fuisse, quantumvis renitentibus, sed tandem*

*cedere coactis Episcopis*. Quis enim hæc nescit; & gliscente licentia, prævaluisse in multis contra canones absolutam illam & arbitrariam potestatem? Id ex Ansæ Concilio notum esse volumus, Majores nostros, sæculo quoque undecimo, canonum ac priscæ disciplinæ memores, extra ordinariis illis imperiis, quoad fieri salva pace potuit, obstitisse.

Quare nihil ad nos illud quod idem Anonymus memorat *Joannem XIX.*

tum Baronii errorem, qui, ex Glabri narratione male intellecta, colligebat in ea agi, non de Joanne XVIII. sed de illo Pseudo-Pontifice Joanne XVI. quem Sedis Apostolicæ invasorem adversus Gregorium V. Otto Imperator omni supplicio excruciatum necari jussit, ut videre est in ejusdem Gregorii vita, Tom. IX. Conc. p. 751. Glaber quidem dicit, Joannem & Fulconem *recens schisma in Ecclesia Romana creavisse*: unde Baronius concludit Glabrum hic loqui de Pontifice schismatico, proindeque de Joanne XVI. quod negat vir eruditissimus Petrus DE MARCA, qui etiam probat Glabri sæculo vulgare fuisse hoc loquendi genus, quo schisma in Ecclesiam invehere dicerentur ii, qui canones violarent. Vid. de Concord. &c. loc. cit.

[ i ] *Satisfecit.* ] Nempe Burchardus Viennensis, ut legitur in actis, *veniam petens à Gausleno, loco satisfactionis firmavit ... ut unoquoque anno, quandiu ambo viverent ... sufficientiam olæ de olivis, ad conficiendum cbrysma, ipsi persolveret.*

Conc.  
Ans. an.  
1015. T.  
ix. Conc. p.  
858.

Thomass.  
Discipl. de  
l'Egl. touch.  
les Benef.  
T. II. part.  
iv. lib. I. c.  
xlii. p. 194.  
& seq.

Anon. de  
lib. &c. lib.  
XI. c. VII.  
n. 9. &  
seq.

Marc. de  
Concord.  
&c. lib. IV.  
c. VIII. n. 1.  
Tom. IX.  
Conc. pag.  
859.

Anon.  
loc. cit. n.  
10.



## CAPUT V.

*Aliud exemplum : Concilium Romanum sub JOANNE XII.*

**A**liud exemplum videamus. Decimo exeunte sæculo, anno Christi scilicet 963. Joannes XII. à Synodo habita, auctore Othone I. Imperatore, propter horrenda totoque Orbe nota flagitia ac scelera, depositus est. Leo dictus VIII. huic substitutus. Hanc Synodum, ut omni auctoritate canonica, utque etiam ordine judiciario destitutam, Baronius rejicit inter pseudo-Synodos, Romanam Synodum à qua, Joanne Præside, anno 964. illa damnata est Synodus, miris effert laudibus. Hujus ergo Synodi acta audiamus, actione I. Joannes piissimus ac sanctissimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papa dixit: scitis, dilectissimi fratres: me fuisse expulsum Imperiali vi per duos menses à propria Sede. Quapropter vos plurimum rogo, si dici potest regulariter Synodus illa, quæ habita est me absente, in Ecclesia mea, ab Othone Imperatore, suisque Archiepiscopis & Episcopis, an non? Sanctum Concilium respondit: prostibulum favens adultero, invasori scilicet alienæ sponsæ, nempe Leoni intruso. Piissimus ac sanctissimus Papa dixit: Ergò damnanda est a nobis? Sanctum Concilium respondit, auctoritate sanctorum Patrum damnanda; hoc est auctoritate canonum. Tum à Papa & Episcopis prolata sententia est. Rursus Papa sic interrogat: Quid censetis de Sicone, Episcopo \* à nobis dudum consecrato, qui in nostro Patriarchio Leonem curialem, & Neophytum, atque perjurium nostrum, jam ostiarium, Lectorem Acolytum, Subdiaconum, Diaconum, atque subito Presbyterum ordinavit, eumque sine aliqua probatione, (hoc est sine consueto examine) contra cuncta sanctorum Patrum statuta, in nostra Apostolica Sede consecrare non formidavit? Sanctum Concilium respondit: deponatur ipse qui ordinavit, & qui ab eo est ordinatus. Nempe ex sanctorum Patrum statutis, quibus Curiales, quibus Neophyti, atque assumpti ex laicis, Episcopatu arcebantur, quibus Episcopi sine canonico examine fieri vetarentur. Papa iterum rogat: Quid ergò de illo Curiali & Neophyto, perjuro, atque invasore nostræ Sedis censetis? Sanctum Concilium respondit: omnino damnetur; ut nullus deinceps Curialium, aut Neophytorum, aut Judicum, aut publicè pœnitentium ad summum Ecclesiæ gradum aspirare præsumat. Tum piissimus ac sanctissimus Papa dixit: sit Leo Curialis ac Neophytus ac perjurus noster, Domini omnipotentis, ac beatorum Apostolorum Principum Petri & Pauli & omnium simul sanctorum atque venerandorum & universalium Conciliorum auctoritate, neo non & Spiritus Sancti per nos judicio ..... omni clericali prorsus exutus.

Hic Joannes tanta Sede depulsus, non Sedis suæ privilegia, quæ essent maxima & notissima, prædicabat; nullos Canones de sua Sede prolatos aut ipse, aut Episcopi præferebant: Patrum statutis, Conciliorum universalium auctoritate, communi se canone tuebatur; quo damnatus Photius; quo ubique Curiales, Neophyti inexaminati, Clero arcebantur. Sic igitur decimo sæculo corruptissimo, in Ecclesia Romana, ipsa Traditione vivebat anti-

Plat. in  
vit. Joan.  
XII. Baron.  
an. 963. T.  
X. p. 775.  
Baron. ib.  
an. 964. p.  
779. & seq.  
Conc.  
Rom. sub  
Joan. XII.  
an. 964. T.  
IX. Conc.  
P. 54. 655.

\*Ostiensis.

qui-



quitas, & communium canonum disciplina: neque aliter Joannes adversus Othonis Synodum, quàm comuni se canone defendebat.

## CAPUT V I.

*Nova & inaudita GRATIANI interpretatio XXV. Quæst. 1.*  
P. S. SI ERGO.

**N**Eque me fugit quem in sensum Gratianus hæc, post aliquot sæcula detorserit; nempe is primus omnium mortalium, anno demum circiter 1150. de suo, neque ullum, ut alias solet, auctorem allegans, hæc scripsit: *Quemadmodum Christus Sabbati ac legis Dominus se Sabbato sub-  
quæst. 1. misit; sic, inquit, summæ Sedis Pontifices, canonibus, sive a se, sive ab aliis  
Pf. 2. Siergo. sua auctoritate conditus reverentiam exhibent, & iis se humiliando, ipsos  
custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. Durius est, quod subjungit, neque antea usurpatum à quoquam, quod iidem Pontifices, nonnunquam seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo, se decretorum Dominos & conditores esse ostendunt. Neque levius istud: Aliis imponitur necessitas obsequendi: summis verò Pontificibus ostenditur inesse auctoritas obsequendi; ut à se tradita observando, aliis non contemnenda demonstrent, exemplo Christi, qui Sacramenta quæ Ecclesiæ servanda mandavit, primus in se ipso suscepit, ut ea in se ipso sanctificaret. Quæ si quis ante hæc tempora à Romanis Pontificibus, vel à quopiam reprobioris notæ auctore conscripta legerit, nihil repugno, quominus auctoritatem obtineant. Valere autem quæ contra totius anterioris ævi Traditionem, duodecimo demum sæculo, Gratianus commentus est; Theologicæ disciplinæ ratio non finit. Sed omisso Gratiano ad prisca & anteriora redeamus.*

## CAPUT VII.

*Concilium Mosomense, RODULPHI GLABRI locus: Concilium Ansanum: de eo Anonymi responsiones: de exemptionibus obiter: PETRI VENERABILIS, & sancti BERNARDI loci: an Monachis Cluniasensibus profuerit, quod Romanum Pontificem peculiarem Episcopum habere vellent.*

Flodo. in  
Chro. ann.  
948. vid. T.  
ix. Conc. p.  
622. 623.  
\* Moso-  
m m oppi-  
dulum est  
in Campa-  
nia situm.

**C**UM ergò Ecclesia Romana communi canone & regeretur & reget, sancti Patres nostri Gallicani Episcopi, referente Flodoardo ad annum 948. in Mosomensi \* Synodo, mirantur allatas literas ex nomine Agapeti Papæ per Clericum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes; hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Rbemensi redderetur Episcopium. Hoc nostris novum & insolens videbatur, quippe à consuetudine Romanæ Ecclesiæ alienum. Pergit Flodoardus: *Quibus lectis, ineuntes Episcopi*  
Con-



& Monachos privilegia jam concessa defendisse . Neque magis ad rem illa Joannis XIX. epistola ab Anonymo memorata , qua Burchardo Lugdunensi Ansani Concilii Præsidi , *gratum animum testetur , quod Cluniacensi Monasterio faveret contra Gaußenum* . Qua epistola Anonymus ad infringendam Ansani Concilii auctoritatem frustra utitur . Potuit enim , Burchardo Lugdunensi licet Præsidi refragante , adversus Cluniacense privilegium Patrum vicisse sententia : potuit idem Burchardus ab ea sententia recessisse , quam in Ansano Concilio protulisset . Quibus modis à Joanne XIX. grati animi significationem retulerit , illæsa Ansani Concilii veritate , illud interim constiterit , & privilegium contra canones Chalcedonenses datum , Gallicanis Episcopis usque aded nullum fuisse visum , ut Burchardus Viennensis quod eo usus esset , Gaußeno Matisconensi satisfecerit .

Neque hic quærimus an , & quibus casibus Papa potuerit absoluta illa potestate , hujusmodi privilegia concedere , repugnantibus licet Episcopis ; quam quæstionem Anonymus invidiose movet : sed id tantum volumus , quod Gallicana Declaratio docet , illam plenitudinem Apostolicæ potestatis per Canones moderandam ; idque à Patribus nostris , lapsis Ecclesiæ rebus , atque etiam undecimo sæculo , pro virili parte propugnatum fuisse .

Hic laudat Anonymus Petrum Cluniacensem duodecimo sæculo hæc scribentem . *His additis & multa invectione extollitis , quod proprium Episcopum habere refugimus : nos vero respondemus , istud veritati contrarium opposita fronte existere ; quoniam patet nos proprium Episcopum habere . Quis rectior , quis dignior , Romano Episcopo Episcopus potest inveniri ?* Hæc quidem scripsit Petrus ille *Venerabilis* ad Beatum Bernardum , seu potius , modestè licet , adversus ipsum & Cistercienses . Nunc lector viderit , Petrine Cluniacensis , an Bernardi Claravallensis potior sit auctoritas . Paucos equidem esse reor qui Petro non anteponan Bernardum accusantem eos , qui hac specie ab Episcoporum auctoritate recesserint . Nempe conqueritur is , *istis emancipationibus , Monachos dissolutiores fieri , imò & pauperiores ; peccare licentius vagum ac malè liberum vulgus ; noxiæ libertatis geminam sobolem esse , paupertatem & sæcularitatem* , Sanctitatis nomine in Monasteria introductam . Cætera omnibus nota commemorare nihil attinet . Cæterum eventus docuit , haud frustra hæc conquestum esse Bernardum . Quod enim Monachi passim magnum quidem , & omnibus præsentem ; sed tamen longè positum , & omnium Ecclesiarum sollicitudine occupatum , habere voluerint peculiarem Episcopum ; hinc maximè provenisse vidimus , ut tot Monasteria propè jam immedicabili vulnere prostrata jaceant . Sed nos hæc aliis tractanda & deploranda relinquimus , quæ à nobis sunt inchoata prosequimur .

Anon. ib.  
Petr. Clun.  
lib. I. epist.  
xxviii. ad  
Bern. Cist.

Bern. de  
Consid. lib.  
iiij. c. iv. n.  
16. T. I. p.  
432.





## CAPUT VIII.

*Concilium Lemovicense II. GREGORIUS VII. concors Romanorum Pontificum & Episcoporum professio de regendo & obediendo secundum canones .*

Conc. Lemovic. ij. sess. ij. T. ix. Conc. p. 905.

Ib. p. 909.

Ibid.

Ib. p. 908.

Ib. p. 909.  
\* Engolismensem.

Ibid.

Greg. V. ij. T. x. Conc.

**A**NNO CHRISTI 1031. paulò post Ansanam Synodum, habitum est Lemovicense II. Concilium, in quo hæc legimus: *Episcopus Petraricensis de quodam Canonico suo tantum Clerico, qui uxorem duxerat, inquirendo proposuit dicens; ut judicarent quid de eo ageretur. Ad hoc verbum in Concilio responsum est: Canones judicent: quomodo enim possumus nostro arbitrio judicare quidquam? Qua regula, etiam à Romanis Pontificibus gesta æstimabant: Inconsulto, inquit, Episcopo suo, ab Apostolico pœnitentiam & absolutionem accipere nemini licet. Ac subdunt, neque Petrum ipsum aliter facturum fuisse. Certè Beatus Petrus, si sciret illum (quem absolvit) esse à Beato Martiale excommunicatione obligatum, potius eum damnaverit, quàm absolveret. Sic Apostolici Romani Episcoporum omnium sententiam confirmare non dissolvere debent; quia sicut membra caput suum sequi, ita & caput membra sua necesse est non contristare.*

Neque aliter Romani Episcopi sentiebant. In eodem enim Concilio refertur Pontium Comitum Arvernensem à suo Episcopo excommunicatum, à Papa absolutionem accepisse; conquestumque Episcopum, hoc responsum à Papa tulisse: *Debueras certè mihi antequàm illa mortua ovis Romana veniret, ejus causam tuis innotescere apicibus; & ego eam omnimodò abiicerem, tuamque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus Consacerdotibus meis, ubique terrarum adiutorem me & consolatorem potius esse quàm contradictorem: absit enim schisma à me, & à Coepiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam & absolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & cassam, ut de illa nihil aliud speret quàm maledictionem, quoad satisfactum tu justè absolvas.*

Aliud exemplum asserunt, Papæ Episcopum \* rogantis ut pœnitentiam, quam imposuerat, affirmaret; Episcopi verò renuentis, his verbis: *Non credere possum hoc mandatum ab eo exortum, quod canonibus repugnaret. Quibus commemoratis: Dixerunt Episcopi, hoc ab ipsis Apostolicis Romanis, & cæteris Patribus cautum tenemus, quod contra canones elicitum, robore careant, ac præter sententiam Apostolicæ Sedis expressa videantur.*

Neque eò minùs Pontificiam auctoritatem reverebantur sancti & humiles Episcopi, qui Papam caput suum ubique prædicant, asseruntque illud: *Judicium enim totius Ecclesiæ maxime in Apostolica Romana Sede constat. Sed illud judicium canonico ordine proferri volebant, non mandatis extraordinariis præter canonum sententiam.*

Hæc disciplina Gregorius VII. vixit: *Solet, inquit, Sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare; sed nunquam in suis decretis à concordia*



*concordia canonica*, hoc est; à canonum consensione discedere. Alibi comen-  
dat, *statuta Romana Ecclesiæ*, quæ à tramite Sanctorum Patrum non recedit; Id. ib. lib. 1. ep. xij ad Guill. Pa-  
pient p. 14. Ib. lib. ij. ep. 1. ad E-  
pisc. Brit. p. 69.  
reprehenditque Episcopos, quoniam Sanctorum Patrum decreta, & Ecclesia-  
stica religionis statum, non ea, qua oportet diligentia custodirent. Sic ca-  
nonum observantia ipsum religionis statum fulciri putabant.

Itaque Episcopi in ipsa consecratione Romano Pontifici profitebantur  
*canonicam obedientiam*, & secundum canones, & servato ordine suo; quæ  
professio etiam nunc in Episcopali consecratione viget. Romani verò Ponti-  
fices, ritè appellatis octo universalibus Conciliis, dato jurejurando profi-  
tebantur, se, quæ prædicaverunt & statuerunt, omni modo sequi & præ-  
dicare; omnia decreta prædecessorum Apostolicorum Pontificum, quæcumque ipsi  
Synodaliter habuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminuta servare;  
& sicut ab iis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire. Sic totius  
disciplinæ ratio antiquis constitutis nititur: profitenturque & Episcopi, ut  
secundum canones parcant; & Romani Pontifices, ut secundum canones  
regantur: ac regant.

Hæc Papæ professio Diurno Romanorum Pontificum continetur: hæc  
post octo prima Concilia, post octingentos annos vi sua stabat: hæc Ivonis  
Carnotensis, imò & Gratiani tempore, viguit, quippe quam memora-  
runt, & in canones transtulerunt. Iv. Carn. epist. lx. lxxij.

Quam autem viguerit illa, quam Episcopi Romano Pontifici profite-  
bantur secundum canones obedientiam, testatur Hincmari Rhemenfis in  
Tricassina Synodo, Joanne VIII. Præsidente, ipsi ac Sedi Apostolicæ facta  
professio, in hæc verba: *Quod in omnibus secundum Sanctarum Scriptu-  
rarum tramitem, sacrorumque canonum decreta, Sedes Romana tenet per om-  
nia & in omnibus, pro scire, & posse meo, perpetuum prosequor & teneo.*  
Quam professionem aptiori loco integram retulimus, Conc. Tricass. ij. T. ix. Conc. p. 307. Sup. lib. ix. c. xxj.

## CAPUT I X.

*Libertas in jure antiquo & communi: Pragmatica Sanctio Sancti LUDOVICI: an ab Anonymo idoneis probationibus falsi arguatur.*

**A**T postquam, labente disciplina, ambitione atque adulatione gli-  
sciente, ab ea regula deflexum est, ac Romani Pontifices manda-  
tis extraordinariis, reservationibus ac decimis, gravia onera, etiam  
pecuniaria imponere, & trahere ad se paulatim Episcoporum Clerique  
jura cœperunt; Sanctus Ludovicus Pragmaticam edidit, qua novos ausus  
cohiberet. Primi capituli hæc verba sunt: *Statuimus & ordinamus, ut  
Ecclesiarum Regni nostri Prælati, Patroni & Beneficiorum collatores ordinarii  
jus suum plenarium habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur.* Caput  
secundum: *Item Ecclesiæ Cathedrales, & aliæ Regni nostri liberas electiones ha-  
beant, & earum effectum integraliter prosequantur.* Quartum: *item promotio-  
nes, colla-* Prag. Sanct. Lud. T. xj. Conc. pag. 907. 908. Boch. decr. Eccl. Gall. preuv. des liberr. de l'Egl. Gall. T. ij. c. xv. n. 36 p. 76. ed. 1731.



nes, collationes, provisiones, & dispositiones Prælaturarum, dignitatum & aliorum quorumcumque beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum Regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem & determinationem juris communis, Sacerdotum Conciliorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum Sanctorum Patrum fieri volumus & ordinamus. Anno 1268. \*

\* Hoc est  
anno 1269.  
ante Pas-  
cha.

Hæc sunt illæ, quas vocamus, Gallicanæ Ecclesiæ libertates: regi jure communi, Conciliorum auctoritate ac Patrum institutis. Hanc Pragmaticam vetustissimis actis & regestis inscriptam, à multis jam sæculis laudatam, memoratam, (k) commendatam; idque ab Ecclesiasticis, à Magistratibus, à Legatis, ab universi Regni Ordinibus congregatis, ac per tot sæcula nulli suspectam, quidam etiam Galli nostris temporibus, aut totam, aut partem ejus aliquam, in dubium revocant, nullo documento; postquam nempe audemus intinulare falsi quidquid gustui non sapit.

Quid autem habet novi, ut falsa habeatur? Nempe illa jus commune, Conciliorum auctoritatem, ac Patrum instituta prædicat; his adversantia valere non sinit. Quid autem aliud sonant tot Patrum, maximè Gallicanorum gesta, quæ legimus? Cur ergò falsa sit, quæ usque adeò Gallorum ingenium sapiat? Quid quòd si falsa esset, tamen haud aspernanda videretur, quæ nostris moribus Traditionibusque congruat, & tam pronis animis accepta sit. Sed tamen videamus quid Auctor Anonymus, qui de libertatibus nuperrimè scripsit, super hac falsitate dixerit, ut vel ex eo pateat, quàm futilibus argumentis agant.

Anon. de  
lib. & lib.  
r. c. xv.  
n. 7.  
lb. n. 8.

Primum argumentum: *Pragmatica illa à nemine allegata fuit per ducentos annos.* Facilis responsio; non enim causa adfuit; ac si illa probatio admittitur, quot bona legitimaque acta conciderint!

Secundum argumentum: *Neo etiam tunc in lucem edita fuit, sed tantum anno 1515.* Quid autem est, in lucem edita? An fortè vulgatam typis oportuit, cum necdum typi essent? An verò negabunt more solemnè promulgatam quæ in vetustissimis Parlamenti regestis extet? An etiam necesse est, post tot sæcula, acta promulgationis afferri? Quis tam iniquas condiciones imponere possit?

Ib. n. 9.  
vid. quoq.  
n. 5.

Tertium argumentum: pluries typis excusa est sine quinto capite, quo exactiones & onera gravissima per curiam Romanam imposita prohibentur.

Tom. vj.  
Bibl. PP.  
Margar. de  
la Bigne.

At quid hoc ad primum, secundum & quartum caput, quæ nunc laudamus? De quinto verò fatemur à Margarino de la Bigne, quem alii secuti sunt, in editione Bibliothecæ Patrum fuisse prætermisum; (l) sed mancum,

ut fit,

(k) *Memoratum.* Memoratur in illo libello Curiae Parisiensis ad Ludovicum XI. art. vi. quem reperies *Trait. des Libert.* edit. 1731. Tom. 1. p. 1. memoratur etiam inter acta comitiorum trium Ordinum, quæ Turonis an. 1483. celebrata sunt: item in instrumento appellationis Universitatis Parisiensis an. 1491. quod instrumentum extat *Preuv. des Libert.* cap. xiii. num. 16.

(l) *Fuisse prætermisum.* Joannes DU TILLET Curiae Parisiensis Scriba primarius, opusculum, edidit cum hoc titulo: *Memoire & avis de M. Jean DU TILLET... sur les libertés de l'Eglise Gallicane*, cui adjunxit varia monumenta ex commentariis Curiae Parisiensis extracta, atque imprimis Pragmaticam Sanctionem S. Ludovici, de qua lectores admonet his verbis: *Nous avons voulu ajouter ici l'Ordonnance du bon Roi S. Louis, appelée vulgairement LA PRAGMATIQUE, toute entière & au vrai, comme elle se trouve es anciens registres, & comme elle a été ci devant imprimée es plus vieux*



ut fit , exemplar nactus est , ex integrioribus jam supplendum exemplaribus : seu viro bono religioni fuit Sancti Ludovici nominæ quidquam edi , quo Curia Romana reprehendi videretur ; seu Typographi metuerunt , infixis censuræ notis , creari sibi incommoda . Cæterum & ille V. articulus longè antea laudatus , ac memoratus fuit .

Quantum argumentum : *Non esse verisimile Sanctum Regem , tantæ erga Anon. ib. n. 10.*  
*Sedem Apostolicam reverentiæ Edicto solemnî Romanæ Curiaë officiales , comprime-*  
*re voluisse . Tum illud ; necdum fuisse morem inductum auctoritatem Re-*  
*giæ Sanctæ Sedis ordinationibus opponendi ;* tanquam exactiones illæ ad pietatem aut ad Sedis Apostolicæ dignitatem pertineant .

Quintum & sextum argumentum : anno 1268. Sanctus Rex *ad secundam*  
*in terram Sanctam expeditionem , cum Summi Pontificis consilio , se accinge-*  
*bat ;* monitisque potius cum amicissimo Pontifice , quam Edictis egisset . *Ib. n. 11. 12. 13.*  
 Neque is erat Clemens IV. \* qui his coercendus videretur , innocentissimus , \* Natio-  
 atque abstinensissimus Pontifex : Ac si *quod tam fuisset exactum subsidium ,* ne Gallus.  
*non nisi ad juvandum in expeditione bellica Regem , impendendum fuisset .* Quæ  
 omnia sponte concidunt , si dicamus Ludovicum , non præsentibus malis ,  
 sed , qua erat providentia , futuris , ac pridem expertis occurrere vo-  
 luisse : Clementem verò IV. quò erat abstinensior , eò æquiore animo  
 tulisse , prohiberi ea , à quibus ipse abhorreret .

An verò probatione nulla , tam futilibus conjecturis , celebratissima ac- *Ib. n. 6.*  
 ta falsi insimulare liceat , prudens lector judicet . Certè Auctor Anonymus , *Thomass.*  
 quo causam tueatur suam , nihil assert verius quàm istud : virum egregium , *Discipl. de*  
 Ludovicum Thomassinum Gallum , in eadem esse sententia . Hujus ergò con- *l'Egl. part.*  
 jecturas colligit , quas modò refutavimus . Nos verò eum virum , et doc- *iv. lib. ij.*  
 trina clarum , ita pacis studio multa , ac , ferè dixerim , nimia cogitantem , *cap. x. n.*  
 ac , ne quemquam lædat , ubique metuentem , nec lædere ipsi volumus , *11. ib. c.*  
 Atque hîc de Pragmatica Sancti Ludovici Sanctiione dicendi finem fa- *xij. n. 4.*  
 cimus . *& lib. iij.*  
*c. xxiv. n.*  
*17.*

CA-

*reits files du Parlement de Paris 1515. & même en un livre de M. Helie , ja-*  
*dis Archevêque de Tours , pour le Concordat , imprimé à Tolose en 1518. pour le moins*  
*avec plus de conscience & de religion , que n'ont eu ceux qui l'ont osé corrompre , & insérer,*  
*retranchée d'articles entiers , entre les statuts Synodaux d'aucuns Evêques de Paris , & de-*  
*puis encore en un gros ramas intitulé , BIBLIOTHECA SS. PATRUM : voire & aucuns en*  
*deux éditions des Ordonances , & Edits des Rois de France Vid. Trait. des Libert. Tom. 1.*  
*p. 44. & Mem. de DU TILL. Evêq. de Meaux , Par. 1607. p. 355. Hanc Pragmaticam*  
*multis & gravibus rationibus Sancto Ludovico assertam reperies quoque , Preuv. des*  
*Libert. Tom. II. cap. xv. num. 35. not. p. 77.*



## CAPUT X.

*Edictum CAROLI VI. decretum Florentinum: nulla sunt, quæ contra Canones: Romanus Pontifex contra Canones agere nolle præsumitur, ne ipse adversetur sibi: locus insignis Concilii Basileensis.*

Preuv. des  
libert. &c.  
c. xxij. n.  
10. T. iij.  
p. 13. &  
seq. & pass.

**E**X eodem fonte manavit Caroli VI. Constitutio, Clero agente, ac plaudente, edita anno 1406. qua sublati reservationibus, (m) sive expectationibus (hoc est expectativis gratiis) Personas Ecclesiasticas Regni, ac Delphinatus ad suas franchisias & libertates in perpetuum reducit, secundum antiqua jura communia, & Concilia Generalia; quæ ex Sancti Ludovici Sanctione deprompta sunt.

Sup. lib.  
vj. c. xj.  
Sup. hoc  
lib. cap. iij.

Hæc verò omnia Concilii etiam Florentini auctoritate sancita invenimus. Decretum retulimus, quo utriusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet ac Latinæ consensione firmatur, à Petri successoribus pasci ac regi universalem Ecclesiam; sed ad eum modum, qui Conciliorum gestis ac Sacris Canonibus continetur.

Zoz. ep. vij.  
ad Episc.  
Proy. Nar-  
bon. &  
Vienn. T. ij.  
Conc. pag.  
1570.  
Leo. Mag.  
ep. lxxx. al.  
liij. ad A-  
nat. C. P.  
Id. epist.  
lxxxvij. al.

Quid si adversus Canones statuunt? An continuò ad Generale Concilium appellandi? Nequaquam, nisi omnem solverent disciplinam. At in minoribus ac particularibus causis id sufficit, decretum contra canones editum Vienn. T. ij. esse nullum. Sic enim Sanctus Zozimus jam relatus: *Contra statuta Patrum concedere, vel mutare, ne hujus quidem Sedis potest auctoritate.* Et S. Leo 1570. Magnus: *Ut omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum Canonum (videlicet Nicænorum) fuerit constitutione diversum.* Atque iterum: *Infirmum atque irritum erit, quidquid à Prædictorum Patrum canonibus discrepat.* Et Sanctus Martinus: *Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui custodes canonum sumus.*

lxj. ad ep.  
Conc. Chal-  
Mart. x.  
epist. ix. ad  
Pantal. T.  
vj. Conc. p.  
35. viâ. sup.  
c. iij.

Id Majores nostri epistola ad Adrianum II. hac etiam ratione firmant: *Quòd Apostolica Sedes non potest esse sibi contraria:* Effet autem, si canonum ex officio custos, canones solveret. Quo fundamento, si quid à Papa prodit minus canonicum, sic est interpretandum, ut voluntas potius, quam facultas desit.

Ep. Car-  
rol. Galv.  
ad Adr. ij.  
int. Hincm.  
ep. xliij. T.  
ij. p. 708.

Neque verò Ecclesia Romana canonum est custos, tanquam alieni boni, sed profectò tanquam sui: canones enim sunt Ecclesiarum omnium; maxime vero Romanæ omnium matris, cujus etiam auctoritate firmantur.

Scitum

(m) *Sublati reservationibus &c.* Reservationes ex erant, quibus Papa Sedes Episcopales & alia beneficia sue dispositioni reservabat, quando vacarent, simul vetabat ne ii quibus jus erat nominandi aut eligendi, suo jure uterentur. *Expectativas gratias* sic describunt: Papa literas dabat de mandato gratuito, quibus literis conferebat beneficium, vive adhuc beneficiario; ut ille, in cujus gratiam hujusmodi literæ conscriptæ fuerant, haberet beneficium post beneficiarii obitum. Vid. Rebus. Prax. Benef. p. 53. 56. & alibi pass. Hi abusus gravissimi sublatis sunt à Concilio Basileensi.



Scitum enim apud Socratem , *canone Ecclesiastico juberè , ne absque Romano Pontifice canonisentur* , hoc est regulentur , gubernentur , suoque ordine componantur , & constituantur *Ecclesiae* : *μη κανονιζειν τας εκκλησιας* . Quod ipsum Sozomenus clarioribus verbis expressit : *Lege Pontificia pro irritis haberi* , ( n ) *quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta* . Id etiam attestantur alia Ecclesiastica monumenta .

Socr. lib. ij. c. xvij. p. 79. edit. Vales. Sozo. lib. iij. c. x. p. 415.

Itaque Sedes Apostolica canonibus adjicit vim , *robur* *το κυρος* ; sibi que adversaretur , si eos solveret , quos ipsa firmasset , aut etiam condidisset .

Id præclare explicat Basileense Concilium de Papa agens : *Quidquid enim statuitur in sacris Conciliis* , sua etiam ( Pontificis scilicet ) *auctoritate statuitur* , *quæ semper ibi refulget* , ut prima & præcipua præ omnibus , *caput & directrix* . Et cum , aut personaliter , aut auctoritative semper in Synodis universalibus interfit , ipseque Ecclesie Rector sit & Pastor ; *decreta Conciliorum* , etiam sua , & Sedis Apostolicæ , non immerito dici possunt , nos enim unum Ecclesie corpus sumus , & ipse hujus corporis caput sub capite Christo . *Quidquid igitur sit ab hoc corpore Ecclesiastico* , etiamsi omnia membra in idem concurrant , sicut in corpore naturali accidit , magis tamen , ac præcipue oratio quævis capiti appropriatur & adscribitur , ab ipsoque magis , quam ab alio corporis membro , procedere censetur . Itaque non secus Synodalia decreta pro suo debito , & honore exequi debet ; ac per alios servari facere , quam si ab ore proprio dictata & promulgata essent : dum enim ipse præsens inest , ipse concludit , ipse statuit ; & sub nomine suo ac persona ejus omnia decernuntur ; dum abest , sui præsidentes , qui vice ejus funguntur , locumque Apostolicum tenent , & personam Pontificis repræsentant , per sacrum Concilium deliberata concludunt .

Conc. Basileense. Syn. n. 5. T. xij. Conc. pag. 796.

Hæc pro Pontificia auctoritate magnifica & sublimia , à Juliano Cardinale , Concilii Basileensis Præside , pronunciata , atque ab ipso Concilio , diplomate edito , promulgata sunt . Quæ profecto efficiunt , ut Ecclesia Romana sibi adversetur , dissolvens canones sua primitus auctoritate firmatos . Quod eò minus præsumi potest , quò sapius & clarius nulla & irrita pronunciat , imò sua inficiatur esse , quæ sacris canonibus adversa , suo etiam nomine proponantur . Hinc Hilarus , quem cæteri longo ordine consequuntur : *Nihil adversum venerandos Canones* , *nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei judicium valeat quidquid obreptum esse nobis constiterit* .

Hilar. Pap. ep. iv. T. iv. Conc. pag. 1038.

## CAPUT

( n ) *Pro irritis haberi* . ) Memorati Historici Socrates & Sozomenus docent hæc à Julio scripta fuisse Arianis Eusebianis , qui , cum Antiochiæ convenissent an. 341. Gregorium loco Athanasii Alexandrinum Episcopum constituerant , & ipsum Athanasium irrevocabiler de Sede sua dejectum pronunciaverant , eò quòd , *contra regulam* , quam *ipsum primum constituerunt* ( can. iv. & xii. ) *Episcopatus sui locum absque decreto communis Concilii Episcoporum recuperasset* . Soc. Lib. II. cap. vii. Secutus temporibus , illorum canonum auctoritate se firmabat Theophilus Alexandrinus , ne Joannes Chrysostomus in Sedem Constantinopolitanam , unde ab ipso dejectus fuerat restitueretur . Cæterum plerique hujus Antiocheni Concilii canones probi sunt & sancti , atque etiam à Patribus sæpe laudati ; ita ut illud Concilium omnino Catholicum videretur , nisi professionem fidei ambigam edidisset , Athanasium ejusdem fidei pugilem de sua Sede rite dejectum judicasset , ac demum Alexandriæ Pseudo Patriarcham Gregorium constituisset . Vid. Tom. II. Conc. p. 559. & seq.



## CAPUT XI.

*De decretalibus epistolis, deque consuetudine recepta, & Canonum origine.*

**C**ANONIBUS annumeramus decretales Romanorum Pontificum Epistolas, quamquam illæ serò, Dionysii Exigui opera, Ecclesiæ codici & canonum corpori adjunctæ sint; idque in Occidente tantum: atque initio ducto à Beati Siricii epistolis, quarto sæculo per Provincias missis. Namque anteriores interciderant, aut remanserant penes Ecclesias, Sedem Apostolicam consulentes, neque in unum corpus collectæ erant, quæ innumerabiles hinc inde dimissæ certis casibus providebant.

Cur autem postea in unum collectæ corpus, ad Ecclesiæ canones accesserint, in promptu erit juris Ecclesiastici origines repetenti. Namque Ecclesiæ Primitus Traditione regebantur. Hinc ex Traditionibus Apostolicarum Ecclesiarum conscripti Canones (o) Apostolorum, qui à Latinis serò, neque simul omnes, in auctoritatem adsciti.

Conditi verò postea sunt Canones per provincias, aut in universalibus Synodis, cum vel labente tempore, à priscis institutis deflesteretur, vel aliquid novæ difficultatis occurreret. Sibi Ecclesiæ id honoris mutuo exhibebant, ut statuta ab aliis aliæ plerumque ut sua ducerent, à communi scilicet profecta spiritu. Utebantur ergò singulæ Ecclesiæ canonibus, vel universalium Conciliorum, vel suis, vel adoptatis, & consensu receptis. Hæc origo Canonum. Horum executionem prima & Apostolica Sedes ubique terrarum

(o) *Canones.* Illos Apostolis falsè adscriptos fuisse nemo doctus dubitat. Eos Dionysius Exiguus Clementis Romani setum esse dicit; sed omnes critici eos tribuunt scriptori tertii sæculi aut saltem secundi exeuntis. Quædam loca Theodoretæ Lib. I. cap. iv. & Eusebii Lib. III. de vit. Const. persuaserunt D. DE MARCA notos fuisse illos canones Alexandro Alexandrino & Constantino Imperatori. Cæterum Nestorius primus eos nominatim memoravit in Synodo C. Pæ an. 394. Tom. II. Conc. p. 1154. Joannes Antiochenus omnes canones Apostolorum in suum Nomo-canonem admisit, qui canones postea approbati fuerunt in Concilio Trullano, atque etiam in Catalogum Sacrarum Scripturarum relati à Joanne Damasceno. Exinde Græci omnes, paucis exceptis, quos inter nominandus venit vir limari judicii Photius, eos amplexi sunt, ut ab Apostolis profectos. Vid. Phot. Bibl. cod. 112. Latini hos canones diu ignoraverunt. Primus, ut opinor, Gelasius eos nominavit & simul proscripsit apocryphos. Ante Dionysium Exiguum, non notos eos fuisse in Ecclesia Latina, nedum in usu essent, testantur plerique scriptorum. At P. QUESNEL aliter censet. Vid. ejus Dissert. xvi. in S. Leon. de cod. antiquo Eccl. Gall. num. 6. Ut ut sit; à tempore Dionysii Exigui, per totum Occidentem vulgati sunt. Dionysius, mutilum nactus exemplar: L. priores canones edidit, qui statim, ut testantur Greg. Turon. Hist. Lib. v. cap. xviii. xxvii. Isid. Hispal. Hincm., & alii, sprete fuggillatique sunt. Sed paulatim auctoritatem meruerunt, ut per Pontifices ac Synodos citarentur. Anastasius Bibliothecarius & quidam alii reliques canones xxxv. à Dionysio prætermisissos in vulgus protulerunt; qui canones, post multas controversias, ut cæteri tandem admissi sunt. Vid. SS. Pat. temp. Apost. Cotel. Tom. i. p. 424. edit. Antwerp. 1698. Marc. de Concord. &c. Lib. III. cap. II. Diss. Quesn. xvi. in S. Leon. num. 6. & seq.



rarum urgebat . Hinc ortæ epistolæ decretales , de quibus Hincmarus hæc : *Hincm. Sunt leges & Canones ac decreta Sedis Apostolicæ ex iisdem Canonibus promulgata :* ep. xlj. ad ac paulò post : *In decretis suis , ( scilicet Romanorum Pontificum ) ex sacris* Adr. T. ij. *Canonibus promulgatis &c.* Quæ quidem totidem verbis in Pontigonensi Sy- P. 692. nodo \* repetuntur ; ut non unius Hincmari , sed omnium Episcoporum Conc. Pont. Sess. Gallicanorum esse constet . 1. T. ix. Conc. p. 281-

Manant hæc ex anterioribus Sedis Apostolicæ decretis , quale est illud *Conc. p. 281- quod Sanctus Sixtus III. scribit ad Illiricanos Episcopos : A Canonum præcep- \*Pontigo tis vestrum nemo discedat , nec ab his deviet , quæ juxta regularum ordinem* Edes Re- frequens ad vos directæ Sedis Apostolicæ decrevit auctoritas . Sic ea quæ gia seu vi- scribebant , ac per universas mittebant Ecclesias , & è canonibus prom- cus in cam- pta erant , & canonum executioni serviebant . paniaPro-

Cæterum ratio postulabat , ut qui canones firmarent & exequerentur , vincia non iidem , cum opus esset , interpretarentur , & dubia jura referrent , & longè dis- pro tempore sancirent , quæ canonibus congrua viderentur . Itaque meritò tans àVic- in auctoritatem admittæ decretales , sed quæ canonibus congruæ , quæ eorum toriaco . executioni profuturæ , quæ denique probatæ & usu receptæ essent . Quò per- Sixt. iij. tinet illud in professione Romanorum Pontificum supra memorata : *Ut cus- epist. ad Il- todirent decreta canonica prædecessorum Apostolicorum Pontificum , quæcumque* liric. Episc. in Synod. ipsi synodaliter statuerunt & probata sunt : hoc est , communi usu & con- Rom. cap. sensu recepta . In constituenda enim Ecclesiastica disciplina , universalem xvij. coll. Holst. parr. assensum ab antiquis Pontificibus postulatam , supradicta satis probant , & qui 1. Sup. hoc ampliora velint nostros consulant . Nobis in re trita , summa quæque ca- lib. s. viij. pita proferre est animus . Conc.

Consuetudines , ac mores universalis Ecclesiæ usu receptos , vim canonum Nicæ. can. obtinere constat : quandoquidem plerique canones , si rerum originem at- Nicaena vj. vij. T. tendamus , primum consuetudines fuerant usu receptæ & probatæ . Synodus sedum jura sanciens canone VI. *Antiqua consuetudo servetur .* Et ca- ij. Conc. p. none VII. *Quoniam obtinuit consuetudo & antiqua Traditio , ut* 32. *Ælia , ( hoc* Basil. ep. est Hierosolymorum ) *Episcopus honoretur &c.* Sanctus Basilus ille canonum liv. alias vindex , canonica epistola ad Chorepiscopos , canonibus accenset *consuetudi-* clxxxj. T. *nem , quæ in Ecclesiis versabatur .* Epistola etiam ad Diodorum , *consuetudi-* iij. p. 148. *nem* quæ in Ecclesiis Cæsariensis tractus obtinebat , *vim legis habere* Id. epist. *decernit ;* clx. alias *propterea ,* inquit , *quòd hæc statuta à Sanctis viris sunt nobis tradita .* cxcvij. n. 2.

Jam in citatis locis consuetudines canonibus æquiparatas passim audivi- ib. p. 249. mus ; laudantque omnes Beatum Augustinum , cui *mores Populi Dei &* Aug. ep. *instituta Majorum* , pro lege sunt . Unde ad intolerandissimam insaniam refert xxxvj. alias contemptum eorum , quæ sunt universalis Ecclesiæ consuetudine roborata , lxxxvj. n. epistola ad Januarium , & alibi sæpius . Ac passim in decretalibus & in 2. T. ij. p. 68. Conciliis , conjuncta hæc duo , tanquam æqualis ponderis , *De jure vel* Id. epist. *consuetudine .* Atque hæc de universalis Ecclesiæ regulis . cxviii. cxix. al. liv. lv. p. 123. & seq.



## CAPUT XII.

*Jura, Canones, consuetudines particularium Ecclesiarum retinenda: in iisque pars libertatis Ecclesiasticæ: cæterarum gentium eam in rem cum Gallis concors sententia.*

**A**T Ecclesiasticam disciplinam libertatemque nostram, non solum tuemur universalibus canonibus ac moribus; sed etiam iis, qui per singulas Ecclesias valeant; quod secundo loco in Declaratione Gallicana est positum. Hoc quidem ex antedictis jam confectum putamus. Laudata est Basilii Epistola de consuetudine particularium etiam Ecclesiarum, quæ vim legis obtineat, eò quòd hæc statuta (etiam particularia) à sanctis viris sint tradita: laudatus est Zozimi locus de servandis Patrum constitutis; quem locum ad peculiaria jura Ecclesiarum pertinere vidimus: laudata est Nicæna Synodus, primis Sedibus, ex ipsa consuetudine, sua jura servans, Canone VI. & VII.

Decret. Accedit Ephesina, à Cypriis (p), & aliis quibuscumque Ecclesiis potentiores Episcopos, qui eas invaderent prohibens: *Ne Patrum canones prote-  
runtur; neve sub Sacerdotii pretextu, mundanæ potestatis fastus irrepat; ne  
clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus*  
Conc. Eph. JESUS-CHRISTUS, omnium hominum liberator. Alludit ad illud Pauli: *Pre-  
rio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Hæc ergo pars comparatæ Chri-  
sti sanguine libertatis, ut non hominibus, sed canonibus serviatur.

Sic igitur & jura peculiaria Ecclesiarum servanda; & id pertinere ad Ecclesiarum libertatem, Synodus œcumenica definivit; referunturque ad universalis Ecclesiæ jus, etiam particularia jura; quippe quæ à Synodis universalibus confirmantur.

Eodem ferè sensu Chalcedonenſis Synodus primo id capite decernit: *Re-  
gulas à Sanctis Patribus, in unaquaque Synodo, usque nunc prolatas teneri sta-  
tuimus; quibus regulis non tantum communia, sed etiam propria cujus-  
que Ecclesiæ jura asseruntur.*

Sanctus Gregorius Magnus ad Dominicum Carthaginensem: *Sicut, inquit,  
nostra defendimus, ita singulis quibuscumque Ecclesiis jura servamus.* Atque  
alio loco: *Abſit hoc à me, ut statuta Majorum consacerdotibus meis in qualibet  
Ecclesia infringam: quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura per-  
turbo.*

Neque tantum Majores nostri laudaverunt universales Canones, Concilio-  
rum Generalium auctoritate conditos; sed etiam Gallicanos: *Quoniam vene-*

*randi,*

(p) A Cypriis. De Cypriorum Episcoporum causa jam diximus Lib. viii.  
(g) quam vide.  
Bibl. Pat. p. 266.



randi, & sancti viri eos ediderunt, quorum vitam & sanctitatem crebra miracula commendarunt.

Valere autem, ut canones, ita etiam consuetudines, non modò Ecclesiæ universalis, sed etiam particularium Ecclesiarum, antedicta firmant. Huc accedit Ratramnus Corbeinsis \* (q) libro jussu Regis & Episcoporum Gallicanorum, contra Græcos edito, quo particulares consuetudines laudat, de quibus etiam hæc scribit: *Instituta verò majorum suis quibuscumque locis edita, sicut non omnibus eadem, sic unitatem fidei nullo modo divisere.*

De his consuetudinibus retinendis, Jordani Lemovicensis Episcopi, in Concilio Lemovicensi præclara sententia est: *Non enim una eademque lex omnibus Ecclesiis, sive populis, sive Civitatibus, sive gentibus semper potest congruere; sed quædam pro qualitate locorum, & gentis & animorum, quamvis diverso, tamen congruenti ordine, in consuetudinem deducuntur.* Cujus rei multa exempla commonstrat.

In eandem sententiam Fulbertus Carnotensis: *Nec nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas.* Quod sumptum ex Sancto Gregorio, Numidarum peculiare consuetudines firmante his verbis: *Consuetudinem quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus.*

Notum omnibus Beati Ambrosii dictum, à Beato Augustino tanta cum laude memoratum, de consuetudinibus regionum. At Clerus Gallicanus, ne consuetudinis nomine eas comprobare videatur; quæ in jure vocentur, *corruptelæ*, ac, *vetustas erroris*; consuetudines eas ad Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, libertatesque pertinere voluit, *quæ Sedis Apostolicæ & Ecclesiarum consensione firmentur.* Sic nostræ libertates vel maximè Sedis Apostolicæ auctoritate constant: quippe quæ Canonum executrix custosque sit. Unde noster Gerson docet omnem statum Ecclesiastici ordinis *subesse rationabili voluntati Papæ, quæ rationalitas regulanda est per determinationes Conciliorum Generalium, præsertim jam factas, de consensu & auctoritate Summorum Pontificum.* Adeò nostri æquo jure omnia metiuntur, totoque studio Sedis Apostolicæ auctoritati consulunt. Summa doctrinæ est, Ecclesiam ubique consensione regi.

Cæterum ne nobis quisquam ea causa succenseat, habent, non modò Galli, sed etiam Hispani, Belgæ, Germani, alii omnes, suas consuetudines, sua jura, vel usu firmata, vel pactis. Hæc Sedes Apostolica servat in Ecclesiis quibuscumque gubernandis: quæ pars est vel maxima Ecclesiastici regiminis, dicente Apostolo: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Habent eadem gentes suos ritus. Aliena, nova, noxia repugnanda, si fortè obtrudantur. Id sibi præ aliis Ecclesia Gallicana vindicat, ut jure communi regatur, hoc est, quoad fieri liceat, jure antiquo, à

M m 2

quo

(q) Ratramnus Corbeinsis. Gallicanorum Episcoporum hortatu, ut observat D. BOSSUET, hos libros scripserat contra Græcorum opposita. Illos D. DACHERY publici juris fecit Tom. ij. spicil. Porro Nicolaus j. Galliæ Episcopos literis commonuerat, ut Græcorum Romanæ Sedis adversariorum objectis occurrerent; quod quidem Ratramnus adeò accuratè fecit & eruditè, ut hoc uno libro, omnium sæculorum schismaticos victos prostratosque esse, verè dixeris.

\* Monachus.

Ratram.

Corb. adv.

Græc. lib.

1. c. ij.

Spicil. T.

2. p. 3.

& 4. vid.

quoq. pass.

lib. iv.

Conc.

Lemov. ij.

Seff. ij. T.

ix. Conc.

P. 295.

Fulb.

Carn. epist.

ij ad Fin.

T. xvij.

Bibl. Pat.

P. 6.

Greg.

Mag. lib.

j. ep. lxxvj.

al. lxxv.

ad Episc.

Numid. T.

ij. p. 561.

Aug. ep.

xxxvj. al.

lxxxvj. n.

32. T. ij.

p. 81.

Decl. Gall.

c. iij.

Gerson.

de statib.

Eccles. stat.

Pt. 1. con.

sid. iv. T. ij.

P. 432.

1. Cor. ix.

22.



quo dimoveri invita non possit. Quale jus, si reliquæ gentes vindicare sibi velint, nihil profectò prohibemus.

## CAPUT XIII.

*Jura novella necessaria : ad vetera collimandum : Patrum Gallicanorum ea de re in Concilio Tridentino sensus : ipsum Tridentinum Concilium eodem animo fuit .*

CUM autem vetusta laudamus, atque in iis arcem nostræ disciplinæ libertatisque collocamus; non propterea contendimus immutabilem esse Ecclesiæ disciplinam. Agnoscimus enim à Patribus nostris in

Concilio II. Vasensi commendatos, non tantum antiquos, sed etiam novos Canones. Hos meritis laudat Agobardus, factos videlicet pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus Conciliis non habentur.

Et tamen ad antiqua semper niti nos oportet; præcipuumque id fuit Gallorum studium in Concilio Tridentino. Itaque Oratores Regis, id,

præ aliis omnibus, mandatum acceperant: in Ecclesia reformanda, primum id videri, ut ad Ecclesiæ initia redatur, ut Ecclesiæ status ad originis suæ puritatem quam maximè accedat.

Id verò Tridentini Patres, quoad iniquitas temporum tulit, egregiè præstiterunt. Unde hæc habent passim: Sancta Synodus antiquorum Canonum vestigiis inhærendo decernit &c. Ac rursus: Sancta Synodus vestigiis

VI. Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo statuit &c. Denique id semper agit, edque collimat ut antiqui Canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, innoventur; universamque

disciplinam Cleri restituit ex iis, quæ alias à Summis Pontificibus ac Sacris Conciliis sancita fuerunt. Tum præcipit ordinariis, si quæ ex his in

desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque; ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.

Si ergò sanctissima, atque omni veneratione digna Synodus veterem disciplinam non omnino restituit, id factum vel maxime quod temporum

ratio non sineret. Qua in re memorabilis est Caroli Cardinalis à Lotharinga, Archiepiscopi Rhemensis, unà cum Episcopis Gallicanis, de Tridentina reformatione declaratio & protestatio, an. 1563. Cùm nudiù tertius

meam de reformationis articulis dicerem sententiam, præfatus sum etiam me valde cupere, ut prisca illa Ecclesiastica restitueretur disciplina: sed cùm

his corruptissimis temporibus & moribus, intelligam non posse ea, quibus maximè opus est, protinus adhiberi remedia, interim assentiri, & probare

ea quæ nunc sunt decreta: non quod ea judicem satis esse ad integram agrotantis Reipublicæ Christianæ curationem, sed quod sperem his prius le-

nioribus fomentis adhibitis, cùm graviora medicamenta pati potuerit Ecclesia, Pontifices maximos, & maxime Sanctissimum Dominum Nostrium

Pium, pro sua insigni pietate & prudentia diligenter curaturum, ut ea quæ desunt

desunt

desunt

desunt

desunt

desunt

desunt

desunt



desunt implens , & efficaciora inveniens remedia , in usum veteribus jamdiu abolitis revocatis Canonibus , & maxime quatuor veterum illorum Conciliorum , quæ quantum fieri poterit observanda esse censeo ; vel si expedire videbitur , frequentiori Conciliorum œcumenicorum celebratione , morbum ab Ecclesia propulsans , eam suæ pristinae restituat sanitati . Hanc autem meam mentem & sententiam , tum meo , tum omnium Galliæ Episcoporum nomine , in acta referri volo , & ut id fiat , à Notariis peto & postulo .

Est ejusdem generis & Spiritus protestatio circa ejusdem Concilii caput : *Causæ Criminales* : & caput ; *Causæ omnes* , quibus Episcopi Gallicani , Christianissimi Regni Privilegia , jura , sacrasque constitutiones tuerentur . ( r )

Ibid. vid.  
Conc. Trid.  
Sess. xxiv.  
c. v. & xx.  
de Refor.  
p. 883.  
892.

## CAPUT X I V.

*Ecclesia Gallicana antiquam & sanctam , sub AURELIO & AUGUSTINO , Africanam Ecclesiam sequitur : CHRISTIANI LUPI hallucinationes : summa doctrinae de libertatibus .*

QUA in re Ecclesia Gallicana eodem Spiritu agitur , quo nobilis illa quondam Ecclesia Africana . Notum quid ab ea Sanctus Zozimus Papa , missa legatione , postularet , quid Patres Africani responderint . Duo tantum observamus : Primum illud , Papam Zozimum , cum appellationes Ecclesiæ Africanæ suæ Sedi vindicaret , protulisse canones , eosque Nicænos , in Africa quidem , ut toto Orbe terrarum receptos : alterum , Africanos Patres aperte professos se ita probaturos appellationes eas , si Canonibus Nicænis juberentur .

Conc.  
Afr. vj. c.  
ij. & seq.  
T. ij. Conc.  
p. 1590.  
& seq.

Ergo neque Zozimus absoluta voluntate agebat ; neque Africani Patres ea se gubernari sinebant : sed in receptis Canonibus pars utraque vim omnem reponebat .

Interim Africani Præsules Sedi Apostolicæ , de Nicænis canonibus adhibent fidem , donec disquisitio fieret . Posteaquam constitit canones à Zozimo collecta Synodo scribunt bona quidem fide laudatos , non esse Nicænos ( s ) collecta Synodo scribunt nobilem

Vid. Conc.  
Afr. vij. ib.  
p. 1603. &  
collect. can.  
Af. ib. Can.  
cr. & seq.  
p. 1670.  
& seq.

( r ) Tuentur . ) Concilium Tridentinum loco in textu citato Cap. v. statuit ut *causæ criminales graviores contra Episcopos . . . quæ depositione aut privatione dignæ sint , ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur & terminentur* . Idem cap. xx. talem jubet adhiberi rationem tractandi *causas Ecclesiasticas* , quæ Episcoporum & Gallicanæ Ecclesiæ juribus non parum noceatur ; quaque , si ea uteremur , lites , multis in casibus , non resecarentur , sed fierent sempiternæ .

( s ) Non esse Nicænos . ) Erant enim hi canones iij. iv. & v. Synodi Sardicensis , quæ Synodus pars & appendix Concilii Nicæni Romæ habebatur ; sed erat Afriis ignota , imò ab illis credita Arianorum Conciliabulum . Etenim Ariani , qui ab Imperatoribus Constantio & Constante Sardicam convocati , illic cum Catholicis Concilium celebrare noluerant , clam Philippopolim Thraciæ convenerant , ibique sub falso Concilii Sardicensis nomine novam fidei formulam condiderant . Utrum autem veri canones Sardicenses de appellationibus , omnes Romanos Pontifices spectarent , an verò solum Julium , qui etiam in tertio canone speciatim nominatur , in eis doctos controversitur . Utrum sit ; duo certa asserimus : primum , Sardicensem Synodum non parem Concilio Nicæno in Ecclesia auctoritatem ha-

be-



nobilem illam, ad Sanctum Cælestinum post Bonifacium Zozimi successorem, epistolam: qua nova, neque receptis canonibus probata repudiant; atque sic in antiquo jure perstant.

Hæc egit Ecclesia Africana, eo tempore, quo tot Orbis Christiani lumina suo sinu alebat; Aurelium, Alipium, alios, &c., qui unus omnium instar esset, Augustinum.

Christ. At Lupus tantæ Ecclesiæ, tanteque Synodi epistolam *infelicissimam*, Lup. de Gall. Eccl. & *scatentem erroribus*; Synodum ipsam, *erraticam, deviam, ac prævaricatoriam*, appellare non veretur; cujus causa factum sit, ne Aurelius Rom. app. c. xij. p. 116. vir maximus, non appareat in Romanis Sanctorum tabulis: nempe, in Idem. de Afr. appell. c. xxx. p. 707. 708. quod Lupus, propter hunc finalem lapsum. Qui si revivisceret, profecto videret à doctissimo, ac religiosissimo viro Joanne Mabillonio nuper editum Ecclesiæ Africanæ antiquissimum Martyrologium, quo Sanctos inter Episcopos, Gratum, Augustinum, quod vult Deum, Capreolum &c. alios; Mabil. T. Sanctus quoque Aurelius ille, si Lupo credimus, finaliter lapsus, adscribitur sub finem mensis Julii, his verbis. *XIII. Kalendas Augustas, depositio Sancti Aurelii Episcopi.*

Lup. de Afr. appell. loc. cit. Quod autem Lupus notat, Augustinum, Alipium, Possidium, ac alios meliores Episcopos retraxisse manus, & *infelicissimis literis subscribere noluisse*; ac solos Juvenes Aurelio adhæsisse: viri docti me miseret tot ac tantas ineptias congerentis. Primum enim constat quæ in ea Synodo gesta sunt,

Conc. Carth. vj. consentire cum iis, quæ in anteriore Synodo S. Augustinus tunc, ut in actis c. vij. T. ij. legitur, Legatus Provinciæ Numidiæ dixit: & hoc nos servaturos pro Conc. pag. fitemur, salva diligentiore inquisitione Concilii Nicæni. Ex quo sequebatur 1592.

Conc. Afric. sub. quod Synodus Aurelii sanxit. Quid autem requiramus in ejus Synodi Cælest. can. epistola, S. Augustini, & aliorum manum? Nempe illi aberant: neque c. 1. p. 1670. enim Provincia Numidiæ, aliæque eisdem semper Legatos mittebant. At & seq.

Vid. Aug. si improbassent, utique adversus *erraticam & deviam Synodum* reclamandum erat: quod contra factum est: ea enim in alia Synodo Africana, una cum aliis Synodis sub Aurelio actis, *recitata, repetita & comprobata* est; pass & imprim. sem. neque prætermissa est illa epistola, quam optimus Lupus *scatentem erroribus* ecclv. al. reputat; neque Augustinus unquam ab Aurelio secessisse legitur, uti xlix. de vit. & morib. Lupus memorat. Quin potius Aurelium, & vivum & mortuum, ni fallor. Cleric. n. 5. miris ubique laudibus commendavit. Hujus etiam memoriam, hujus epistolæ 1383.

bere: alterum, canones à Zozimo allegatos, quanquam fuissent Nicæni, non potuisse legis loco esse apud Ecclesias Africanas, nisi prius communi consensu firmati, &c., ut ajunt, *acceptati* essent. Ipse enim universales Synodi, cum generales disciplinæ leges condunt, nunquam hoc cogitant ut particularium Ecclesiarum regulas, mores & instituta, quæ paci Ecclesiasticæ non noceant, & præterea Patrum Traditione nixa sint, convellant; & licet in suis decretis non sit expressa exceptio, tamen ipso jure, & ex Legislatorum, seu Patrum Synodi voluntate concessa intelligitur. E. G. Concilium Tridentinum de disciplina multa decrevit, quæ à nostris moribus & institutis abhorreant. Nunquid voluit mores optimos & Patrum Traditione nixas consuetudines abrogare? Nequaquam. Noverat enim solam fidem esse invariabilem; disciplinam autem pro temporum, locorum, ingeniorum diversitate, sine religionis aut fidei detrimento variare. Igitur non vituperandi sunt Africani Præsules, ex eo quod iis Concilii Œcumenici Sardicensis legibus uti noluerunt, quæ ad variabilem disciplinam pertinerent.



las Africanorum Conciliorum dictatas nomine, sequens ætas celebravit. *Vit. Fulg.*  
 Testis vir egregius Ferrandus Diaconus in Vita S. Fulgentii : *Sancta*, in-  
 quit, *memoria Aurelius Carthagenensis Ecclesiæ Antistes, inter sua privile-*  
*gia meruit, ut literas ex Africano Concilio dandas ipse solus scriberet.* *per Ferran.*  
 Quod item Sancto Fulgentio contigisse memorat : iam Sanctum habeba-  
 tur illud officium ! *ant. ejus*  
*oper. c. xx.*  
*n. 40. p. 20.*  
*edit. 1684.*  
*Vid. Conc.*

Fingit bonus Lupus juvenes tantum Episcopos adhæsisse Aurelio ; neque  
 illud saltem cogitat, post ipsum Aurelium statim in epistolæ fronte appa-  
 rere Valentinum, Numidiæ scilicet Primatem : quem Primatum ætati datum  
 esse nemo nescit. At enim ille etiam retrocessit unâ cum Augustino, aliisque  
 Numidis, si Lupo credimus. Nempe fefellit eum S. Augustini epistola  
 ad S. Cælestinum de Antonio Fussalensi ; quam si attentè legisset, pro-  
 fectò invenisset, sub ipsa initia Cælestini scriptam, antequàm ab Oriente  
 de Nicænis canonibus responsa venissent ; quo tempore ab Afris permis-  
 sas appellationes, *salva diligentiore Concilii Nicæni inquisitione*, prout S. Au-  
 gustinus interlocutus erat, ut in Concilio VI. Carthagenensi, vidimus. Hæc  
 verò nos de Lupo monenda esse duximus, ut viris bonis appareat, quàm  
 inepta, ne dicam impia, adversus sanctos viros, imò adversus sanctissimam  
 Africanam Ecclesiam suaserit falsa & præpostera pietas. Quid postea in Afri-  
 ca, labentibus rebus, gestum sit, nihil nostra : hoc enim abundè est  
 nobis esse communem, cum tam claro sæculo tantisque viris, recep-  
 torum canonum, atque in eo positæ Ecclesiasticæ libertatis, defensionem.

Summa ergò sit nostræ libertatis, sic novella jura, pia aut necessaria  
 institutione stabilita servare, ut antiquiora respicere, iisque sustentare  
 labentem disciplinam ; certè *jus commune*, atque in eo venerandas juris  
 antiqui reliquias omni ope servare, jusque arbitrarium, & mandata ex-  
 traordinaria repudiare studeamus ; in eaque partem maximam reponamus  
 nostræ erga Ecclesiam Catholicam, ac Sedem Apostolicam reverentiæ ;  
 quippe qui intelligamus, quò quisque est studiosior antiquæ disciplinæ,  
 eò magis cordi habere Ecclesiæ Catholicæ, ac Sedis Apostolicæ Maje-  
 statem.

## CAPUT XV.

*Libertates quo sensu privilegia dicantur, nempe ut jura antiqua,  
 libertatum radix : an PETRUS DE MARCA audiendus, qui  
 Conciliorum superiorem potestatem à libertatibus separat,*

OMITTIMUS notum illud, libertates nostras non privilegia, sed  
 libertates dici ; ut quæ non venia & indulgentia, sed ipso anti-  
 quo jure nitantur ; quanquàm jura Ecclesiarum apud antiquos  
 passim privilegia etiam appellantur ; vulgatumque illud, *τα προβέβητα*,  
 hoc est, antiqua & vetusta, quæ nostri privilegia vocant, ipsa  
 antiquitatis commendatione fulta, sua vi stare oportere.

Radix autem libertatis Ecclesiasticæ eò maximè constat, quòd in ipsa Ca-  
 tholica



Hier. ep. tholica Ecclesia vigeat suprema illa vis & indeclinabilis, qua ipsa Catholica  
 cj. ad Evan. Ecclesia gubernetur; valeatque illud Beati Hieronymi, quod est à Majo-  
 al. lxxxv. ribus nostris toties celebratum: *Si auctoritas queritur, Orbis major est*  
 ad Evagr. *Urbe.*  
 T. iv. p.  
 803.

Haud me fugit virum illustrissimum atque doctissimum Petrum de Mar-  
 Marc. de ca, dum Romanis auribus parit, aliam ac novam de libertatibus Galli-  
 Concord. canis protulisse sententiam. Is enim profitetur confutari à se communem  
 lib. iij. cap. opinionem, quæ docet, præcipuam libertatum regulam hanc esse, ut Con-  
 vij. n. i. cilium Œcumenicum Superius Romano Pontifice dicatur; quamvis tamen  
 hæc sit Scholæ Gallicanæ sententia, non esse unam ex libertatibus Galli-  
 canis: illam niti eo fundamento, quod sit expendendum, an nova con-  
 stitutio, vel novum rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut noceat;  
 ac fruatur licet Summus Pontifex, aut æquo jure cum Conciliis Gene-  
 ralibus, aut superiore, nihil hoc ad libertatem; cum & ea perinde  
 utamur erga Conciliorum, atque erga Pontificum nova decreta: quod  
 certum fieri ajunt, ex modificationibus Basileensi Concilio, ac deinde  
 Tridentino adhibitis; atque omnino sufficere illud, ut Romani Pontifices  
 canonibus derogare velle non censeantur, etsi fortasse, formulis res-  
 cripti ex stylo Curia, aliter cautum sit.

Hæc docet vir summa doctrina, summoque ingenio; at quod ne-  
 mo neget versatili, & in utramque partem æquè composito. Profectò,  
 ut verum sit id quod exponit, nihil tamen vetabat libertatem Gallica-  
 nam duplici fundamento niti: nec à Gallo Jurisconsulto ac Præsule, cir-  
 cā libertatem antiqua & vulgata rejici oportebat, dum ei muniendæ no-  
 va fulcimenta quærit.

Nam neque consultum id erat, ad scholam referre tantum, nostram  
 de Conciliorum potiori potestate sententiam, quæ Constantiensibus canonibus  
 innitatur. Cumque nostra libertas Conciliorum, maxime Œcumeni-  
 corum, canonibus contineatur, non erat inficiandum ejus partem vel ma-  
 ximam in canonibus Constantiensibus esse repositam, quos Ecclesia Galli-  
 cana non modò summa pietate receperit, verum etiam ut conderentur,  
 omni studio procurarit. Tum illud libertati erat congruum, ut adversus  
 extraordinaria mandata, certa præscriptione uterentur, quodd esset in  
 canonibus firmum aliquid & invictum constitutum ab ipsa Ecclesiæ po-  
 testate, quæ Pontificiam potestatem, si quando extra limites efferretur,  
 coercere, quin etiam interdum in gravibus scandalis, castigare posset.  
 Quo enim alio firmiore telo usa est Ecclesia Gallicana ad tuendam liber-  
 tatem, quam appellatione? At illa nulla est, nisi Concilium statuas  
 potiore potestate esse. Quin Ecclesia Gallicana clarè & apertè legitimæ  
 defensionis fundamentum in Constantiensium canonum auctoritate reposuit.

Id docent ea verba appellationis Capituli Parisiensis, & Joannis Dauvet  
 Sup. lib. Procuratoris Regii, quæ supra memoravimus; placetque hæc addere  
 x. c. xxviii. haud minori emolumento futura. Capitulum quippe Parisiense, repetitis  
 ut supra descripsimus, Constantiensibus Sessionis V. & aliarum canonibus,  
 Appell. ij. hæc subdit: multa à Synodo Constantiensi esse decreta, ut Romanis  
 cap. Paris. Pontificibus congregandi Concilii universalis occasio necessitasque inisset,  
 preuv. des sponsæque CHRISTI universali Ecclesiæ sic congregatæ, id honoris singularis-  
 libert. cap. que preeminentiæ locum deferre consuescerent: ut si quid fortè tam arduum  
 xxij. n. 29. contingeret, quod omnes tangat, universorumque statum, commodum aut  
 incom-



*incommodum spectare videatur, ipsius universali Concilio atque veritate testante, supremo infallibilique judicio deliberandum determinandumque committerent; eoque pacto, non se jam rerum Dominos & Omnipotentes, & quibus à nemine dici possit, cur ita facis? Sed Domini sui CHRISTI Sponsæ famulos se, servorumque Dei servos, non verbo & lingua, sed opere & veritate faterentur. Hoc ergo fundamento, nempe invicta auctoritate Constantiensium canonum de suprema, & absoluta Concilii Œcumenici potestate, ipsa libertatis adversus imperatam pecuniam defensio nitebatur. Quanto magis uteremur illa defensione, si nobis præriperentur ea jura, quæ omni auro contra æstimamus?*

Neque Patres nostri unquam ab ea sententia discesserunt. Audivimus enim Cardinalis Lotharingii à Concilio Tridentino scriptam epistolam, *Lettr. du Card. de Lorraine à Breton son Secret. Me moire pour le Concile de Trente. P. 556. Pouvoir envoyé par le Roi Henri. ij. à son Ambassad. &c. ib. p. 20.* qua Papæ quoque ipsi testatum esse voluit, Gallos ad necem usque in ea sententia perstituros, quæ Constantiæ atque Basileæ, de Conciliorum potestate firmata est, quippe qua omnia Regni privilegia innitantur.

Idem professus erat Henricus II. cum in ipsis Concilii Tridentini initiis, hæc suis Oratoribus declarat ac mandat, tanquam rerum suo nomine agendarum certissimum fundamentum. *Nos pro nostro munere ac titulo, quem à Majoribus accepimus, cupientes Ecclesiasticam libertatem sartam testam tenere, & sacrorum generalium, & Œcumenicorum Conciliorum, & Sedis Apostolicæ auctoritatem illasam conservari, simul & Gallicanæ Ecclesiæ, Regni ac Dominiorum nostrorum jura ac libertates salvas esse & incolumes &c. Ecclesiæ igitur universæ, ac privatim Ecclesiæ Gallicanæ libertates, cum Apostolicæ quidem Sedis, sed primum cum Œcumenicorum Conciliorum auctoritate conjungit: quæ à viris æa tempestate maximis limata, atque ex intimo totius Ecclesiæ Gallicanæ sensu deprompta esse constant.*

Ergo Gallis non placent, à Gallo homine, & Præsule, Gallicanæ expositæ libertates diversissimo modo, quàm antea fuerat à Gallis summa consensione factum: perstititque Facultas, ut omittam cæteros, in pristina sententia, quam exposuimus, cum de Vernantii & Guimenii censuris ageremus.

Atque haud scio an probari debeat universim ea libertas, quam vir illustrissimus statuit, ut in novis morum decretis, ab Œcumenicorum etiam decretorum auctoritate liberè recedatur. Factum id quidem semel in recipiendo Concilio Tridentino, non solum à Francis nostris, sed etiam à Belgis ditioni Hispanicæ subditis: cujus rei multæ causæ sunt, & quædam à nostris tacite in ipso Tridentino Concilio; peculiare illæ quidem, nec trahendæ universim ad generalia Concilia; neque satis cautum aut honestum videtur, passim in eo reponere libertatem, ut ab universalis Ecclesiæ decretis recedere liceat. Atque id quidem monere interim; at excutere penitus, alieno loco non libet. Quod sane ajunt, ab Ecclesia Gallicana certis conditionibus ac modificationibus receptum esse Basileense Concilium, suprâ retulimus eas ita esse adhibitæ, *sub spe scilicet, quod per Sacrum Concilium admittentur.*

Sup. lib. vj. c. xxvij.

Vid. Mem. pour le Conc. de Trente, pag. 531. & seq.

Sup. lib. vj. c. xij. vid. Pragm. T. xij. Conc. p. 1429. & seq.



## CAPUT XVI.

*Hæc doctrina non obest dispensationibus Apostolicæ Sedis : Concilii Basileensis locus : GERSONIS doctrina à Sancto BERNARDO ducta .*

**N**EQVE verò putent , à nobis tanta canonum & Conciliorum auctoritate constitutas Sedis Apostolicæ dispensationes esse iublitas . Absit : has enim nemo Catholicus , nemo veri regiminis sciens , aut rerum Ecclesiasticarum gnarus abitulerit . Has toto animo complectitur , ea quam Pontificiæ potestati maximè adversari putant , Basileensis Synodus . Sic enim loquitur : *Per Concilium autem statuta in nullo derogant suæ potestati , quin pro tempore , loco , causisque & personis , utilitate vel necessitate suadente , moderari dispensareque possit , atque uti Summi Principis cuncta , quæ ab eo auferri nequit . Anno 1435 .*

Itaque in decretis Synodalibus Papæ auctoritatem exceptam intelligunt ( t ) , nisi aliter caveatur . Quam exceptionem Gerson egregiè explicat , atque ita vult dari locum Pontificiæ dispensationi , non ut sit effræna libertas , sed si necessitas , vel evidens utilitas postulet , nec recursus pareret ad generale Concilium ; alioquin non esset uti plenitudine potestatis , sed abuti plenissimè .

Qua sententia vir doctissimus juxta ac modestissimus mediam tenebat viam : Ne talis esset restrictio Papalis potestatis , ut semper ad Concilium recurrendum esset propter raritatem ; nec talis laxatio , quæ Conciliorum robur enervaret .

Grave illud ac memorabile , quod idem Christianissimus Doctor coram Alexandro V. Apostolica libertate prædicabat : *Leges rectè latis , quantalibet importunitate petentium fatigeris , nunquam dispensabis ; nisi aut necessitas urgeat aut communis provocet utilitas . Alioquin fuerit potius crudelis dissipatio , quam justa dispensatio . Cavebis dispensationem ipsam lege communiorē facere ; ne turpe sit , si regulam suā vincat exceptio .*

Quo ferè loco res esse , boni omnes lugent .

Cæterum eruditus Lector in oratione Gersonis , Beati Bernardi verba recognoscit . Notum id melliflui Doctoris : *Ubi necessitas urget , excusabilis dispensatio est : ubi utilitas provocat , laudabilis dispensatio est . Utilitas , dico , communis , non propria : nam cum nihil horum est , non planè fidelis dispensatio , sed crudelis dissipatio est .*

His

( t ) In decretis Synodalibus , Papæ auctoritatem exceptam intelligunt . ] Hanc difficultatem Patres Basileenses sic solvunt . Responderetur illud verum esse , quando persona Papæ specialiter non includitur ; sed si specialiter includeretur , non posset excipi .... sed in decretis Concilii Constantiensis specialiter dicitur : **QUILIBET , ETIAM PAPALIS DIGNITATIS , OBEDIRE TENETUR PRÆCEPTIS CONCILII** : ergo persona Papæ in eo certè articulo non potest excipi . Vid. loc. cit.



His igitur causis multa in jure permixta sunt sublimioribus, ac literatis personis ( u ) ; multa Episcopis, ut Episcopatus non tam dignitatem, quam onera sustinere possint; multa Principibus, quorum rationes publicis atque etiam Ecclesiasticis rationibus prosint: cujus generis est illud Tridentini Concilii: *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Cone. Trid. Sess. xxiv. c. v. de refor. Tom. xiv. p. 878.

Nec desunt quæ indulgere privatis, publica etiam utilitas postulat, ne pereant, ne abundantiori tristitia absorbeantur; ne Ecclesia infirmis materna viscera claudere videatur, excidatque ab Ecclesiastico regimine Apostolicum illud: *Infirmum autem in fide assumite.* Sed nobis non vacat prosequi singula; summa attigisse sufficiat. ij. Cor. ij. 7. Rom.

Illud prætermittere non possumus, aliud esse quod Ecclesia jubeat, aliud quod indulgeat, aliud quod toleret. Id jubet, ut quàm maximè observentur canones: id indulget, ut causis necessariis interdum relaxentur: id tolerat, quod sine gravi perturbatione punire non potest: quæ quidem tolerantia pars quædam est Ecclesiasticæ disciplinæ; sed ea quæ peccantes non excuset, imò etiam gravet; quippe qui Divinæ ultioni reserventur. xiv. 1.

Bernardo & Gersoni adjungere longo ordine poteramus scriptores antiquiores. Verùm posterioris ævi Doctores, hoc loco, vel maximæ auctoritatis esse omnes fatebuntur: quippe ex his æstimare liceat quid primis sæculis Ecclesia senserit, cùm priscus canonum obtineret vigor; oportetque omnino immota esse ea, quæ corruptissimis quoque temporibus, ac profligata disciplina, suo tamen pondere steterint.

CA-

( u ) *Literatis personis.* ) Doctor Christianissimus, cui dispensationes sine causa irritæ omnino videbantur, sæpe dicit viros literatos certis legibus non teneri, quibus cæteri omnes tenentur; nec immerito. Nam nulli dubium esse debet dispensationes tum concedi oportere, cùm hoc jubet publica utilitas, itaque oportere viros literatos, qui publicis utilitatibus inserviunt, à multis legibus esse immunes, ut lectioni & meditationi quàm plurimum incumbant. Quapropter in iis quoque Monasteriis, in quibus viget severior disciplina, doctos à nonnullis regulæ præceptis Superiores absolvunt. Verumtamen hoc doctiores admonitos volo: cùm ad remissorem disciplinam proclivia sint hominum ingenia, & dispensatione facile abutantur, sibi ut nimium indulgeant; hanc cuique votis omnibus expectandam esse à Deo, quam habuit Gerson omni doctrina pretiosorem veram pietatem, qua, ut oportet, & quantum oportet, dispensatione uti discant.



CAPUT XVII.

*Dispensationes sine causa ; Canon Lugdunensis in eorum gratiam à PETRO DE MARCA citatus, an id efficiat.*

QUAM, autem ex Bernardi Gersonique temporibus projecta : ac prolapsa sint omnia, vel ex eo patet, quod dispensationes etiam, *sine causa* valere tam multi sentiant, quorum auctoritas apud cordatiores nulla est.

Omnino enim, quæ ratione constituta sunt, quæ publica utilitate, non debent sine ratione, sine publica utilitate laxari; tales autem sunt leges; non ergo sine ratione, sine publica utilitate laxari possunt.

Ligant ergo potius quam solvunt, illæ nunc à multis tanto studio celebratæ dispensationes *sine causa* : ligant, inquam, non modò imperantem, sed etiam dantem, & cum Dominus incipiet rationem ponere Luc. xvj. cum servis suis, & egredietur illud ab alta CHRISTI Sede : *Redde rationem villicationis tuæ*, non credo valebit illud postremis demum temporibus natum : *Pro arbitrio fici*. Meminisse enim oportebat Sancti Cælestini dicentis : *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur*. Præpositis Ecclesiæ dominantur regulæ, primùm, cum eas exequuntur; deinde cum certa ratione solvunt. At profectò regulis dominantur, cum pro arbitrio solvi à se posse confidunt.

De Concord. &c. lib. iij. cap. xv. n. 3.

\* ij. Profert ille quidem Lugdunense \* Concilium sub Gregorio X, quod, Marca, ib. inquit, ad Romani Pontificis arbitrium retulit, *estimare quem modum vid Conc. beneficii sui esse velit: ex quo infert licere Summo Pontifici sine causæ Lugd. ij. cognitione aliquem canonibus solvere, dummodo status publicus non lædatur.* const. xvij. Quod etiam refert nomen beneficii, eoque significari vult, *gratiam ex mera T xi. pag. Principis liberalitate collatam.* Sed profecto hanc gratiam & liberalitatem meram, in exequendis canonibus, Ecclesiæ Traditio non agnoscit.

Ego verò diligentius expensum vellem illud, *estimare*, quid sit. Non enim, quod infert, *sine causa cognitionem aliquam canonibus solvere*; sed considerare, ponderare, quæ sit mens canonum, & quatenus boni publici inter sit eos temperari certis & extraordinariis casibus, pensata ea, quam Ivo noster celebrat, *honestæ vel utili compensatione* unde exstat illa, quam ipse Ivo memorat, *providâ dispensatio*; aut, ut idem definit, *auctoritate præsentium diligenter deliberata dispensatio*; quæ Synodus Lugdunensis, *estimandi* voce, complexa est.

Cæterum ille canon Lugdunensis agit de iis, qui plures dignitates & Ecclesias ex dispensatione obtinent; quod unum vel maximè, certa atque omnimò causa fieri oportere, & omnia jura clamant, nec ipsè Mar-  
CA inficietur.

CAPUT



## CAPUT XVIII.

*De dispensationibus sine causa sententia Cardinalium sub PAULO III.  
Concilii Tridentini decreta memoranda.*

**D**E dispensationibus sine causa, ac mera Papæ voluntate factis, optimum esset legi, atque animis infigi ea, quæ egregii Cardinales, Gasparus Contatenus, Joannes Petrus Theatinus, postea Paulus IV. Jacobus Sadoletus, Reginaldus Polus, una cum Episcopis ac Theologis suo ævo maximis, ad Paulum III. edidit Anno 1538. cum ejus Pontificis jussu de emendanda Ecclesia tractarent. Primum illud: Principium malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab iis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate ratio inveniretur, qua liceret id quod liberet. Tum illud: Principatum omnem sequitur adulatio, sicut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum: qua Doctorum adulantium fallacia contigerit, ut voluntas Pontificis qualiscumque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: ex quo procul dubio efficitur, ut quid quid libeat, idem etiam liceat: subdunt: Ex eo Fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspiciamus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, & minasse harum rerum famam ad infideles usque. Denique illud: Nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi urgeri de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis Republica induci potest, quàm hæc legum inobservantia, quas Sanctis majores nostri esse voluerunt, eorumque potestatem venerandam & Divinam appellaverunt.

Non vacat commemorare quæ de dispensationum atque indulgentiarum abusu viri gravissimi protulerunt; quorum summa est, dispensationes nulla necessitate factas, solvendis legibus, ac dissipandæ Ecclesiæ esse comparatas.

Hic illud gravissimum atque Sanctissimum de dispensationibus moderandis Concilii Tridentini decretum: Sicuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfaciat; sic frequentius legem solvere, exemploque potius quàm certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, Sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse; id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

Hæc

Conf.  
delect. Car-  
din. &c.  
de emen.  
Eccle. Paul.  
iii. exhib.  
An. 1538.  
vid. Sleid.  
com. lib.  
xij. fol.  
151. edit.  
1556.

Conc.  
Trid. Sess.  
xxv. de re-  
form. cap.  
xviii. p.  
916.



Ib.c.xxj.  
p. 917.

Hac lege confitemur ex eodem Concilio, in omnibus morum decretis *Sedis Apostolicæ auctoritatem salvam & esse & intelligi*; quod avos nostros ita commovebat, ut vel ea causa Synodum Tridentinam admittere recusarent; cum negarent à Papa relaxari posse Synodorum universalium decreta, nisi ipsæ Synodi permisissent.

At rectè æstimanti sufficere potest, quòd nisi *iusta & urgente ratione, causaque cognita, ac summa maturitate, & gratis facta sit dispensatio, subreptitia*; adeoque irrita & nulla habeatur:

Hæc pœna decernitur, non adversus dispensantes, sed adversus impetrantes: quo fit, ut in ejusmodi dispensationibus irritandis, non semper recurri debeat ad ipsum dispensationis auctorem. At debet impetrans conscientiam primùm adhibere judicem, atque illud apud se reputare, retractanda, imò etiam persæpe punienda Divino judicio, quæ humano judicio intacta fuerint.

## CAPUT XIX.

*Natura ipsa dispensationis ex Sancto SYMMACO & Sancto GELASIO, Romanis Pontificibus. Hinc dispensationes sine causa evertuntur.*

**H**UJUS verò doctrinæ de dispensationibus, fons radixque est ipsa dispensationis natura, & vox. Non enim dispensare est relaxare & solvere, quod jam animo conceptum habent; sed distribuere, regere, administrare pro locorum, temporumque ac rerum rationibus; ex quo interdum juris relaxatio consequatur: unde quod Græci, *οἰκονομίας* nostri dispensationem vocant.

Atque hæc quidem vox *dispensationis* & res ipsa, est ex juris mente profecta juris interpretatio, in causis extraordinariis & necessariis, quas ipsa lex exceptura fuisse præsumitur, si animo prævidisset.

Qua de re extat brevis illa quidem, sed aurea quam Dacherius Lucas, \* Viennensem. vir doctissimus ac religiosissimus edidit, Sancti Papæ Symmachi epistola ad Avitum \*: (x) *Licet*, inquit, *confusionem Provinciæ* \*\* à prædellatensis. cessore nostro Sanctæ memoria Anastasio Episcopo, præter Ecclesiæ consuetudinem, & antiqua prædecessorum nostrorum statuta, factam esse dixerimus, Symm. ep. xij. T. & non esse tolerandam; attamen si ea quæ fecit, rationabiliter fecisse frat. iv. Conc. p. 1312. & ternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum; Spicil. T. v. p. 583.

(x) *Ad Avitum.* Avitus Viennensis ab Anastasio Papa per subreptionem impetraverat concedi sibi ordinationes quorundam Episcoporum, qui antea Metropolitana jurisdictione Arelatensis Ecclesiæ regebantur. De ea re, Aonius Arelatensis relationem misit ad Symmachum, qui quidem decretum Anastasii rescidit, quod nempe *confusionem Provinciæ* faceret & antiqua statuta violaret. Tum Avitus graviter conquestus est hanc causam à Sede Apostolica, inaudita parte, fuisse judicatam. Hujus querelis respondet Symmachus in ea epistola. Vid. Symm. epist. i. ij. ix. x. &c.



tum ; quia quod fit præter regulam , modò sit JUXTA CAUSA , non infringit regulam , quam sola pervicacia , & antiquitatis contemptus lædit . Nam quamvis à Patribus statuta diligenti observatione & observanti diligentia sunt custodienda , nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur ; quod & ipsa lex cavisset , si prævidisset ; & sæpe crudele esset insistere legi , cùm observantia ejus esse præjudicialis Ecclesiæ videtur ; quoniam leges ea intentione latæ sunt ut proficiant , non ut noceant . Quæ una epistola diligens lector omnia nostra firmata comperiet .

Præluxerat Sancti. Gelasii auctoritas , quæ in dispensationibus necessariis , Gelaf. ep. ix. ad Episc. Lucan. c. i. T. iv. Conc. p. 1188. adhibita consideratione diligenti , decreta metiri , librare , temperare jubet . (y) Atque hæc illa est *emendatio* ratio , unde ortæ dispensationes ; librando , metiendo , considerando , æstimando . Quam proinde *emendatio* qui liberalitate mera , ac pro libitu , sine certa , gravique ratione administrari posse credat , cùm sit ipsa summa ratio , profectò desipiat . Ex quo sequitur in dispensationibus , quæ sine causa esse dicantur , ipsam dispensationis rationem ac nomen everti . Hæc verò utque adeò certa esse credimus , ut ea qui semel animo perceperit , nullomodò negare possit .

## CAPUT XX.

*An Auctor Anonymus tractatus de libertatibus , ad tertiam propositionem Declarationis Gallicanæ rectum aliquid , aut ad rem dixerit .*

**N**UNC erit facillimum ex dictis aperire , quæ de libertatibus Gallicanis , Auctor Anonymus , vel perperam vel extra rem , & inani opera , toto volumine differuit , & præsertim ad Caput tertium Gallicanæ Declarationis .

Quo loco statim illud occurrit : Potestatis usum , non potestatem ipsam Anon. de libert. &c. lib. vj. c. i. Summi Pontificis moderandam censent Illustissimi Antistites . Ac paulò post : n. i. Sed videtur , quemadmodum potestatem , ita potestatis usum , solus , qui concessit , posse moderari , nisi eam facultatem alteri permiserit . Denique : Scimus equidem inesse Apostolicæ Sedis rerum spiritualium plenam potestatem , ut habet secunda propositio ; sed à quo possit illius potestatis usus impediri ac ligari , à quo habemus ? Dissimulat Scripturæ locos , quibus supremam ipsam , atque omnino indeclinabilem auctoritatem in ipsa Ecclesiæ consensione esse positam , nostri ostendunt : dissimulat constantissimam Ecclesiæ Catholicæ , Sedisque Apostolicæ ea de re Traditionem : dissimulat locos innumerabiles , quibus ipsi Romani Pontifices adversus canones se nihil

(y) Temperare jubet . ) Præclara est illa Gelasii epistola , in qua , quamvis disciplinam non multum relaxet , sed remittat paulisper Ecclesiasticis promotionibus antiquis intervalla præfixa , ne nimirum ministris videntur Ecclesiæ , sæpe tamen dicit se invicem , & cogente temporum necessitate , aliquid de Paternorum canonum severitate remittere .



nihil posse prædicant. Haec ergò expendere, non una interrogatiuncula solvere, ac velut diffiare oportebat.

Quod Declaratio Gallicana non ipsam Pontificiam potestatem, sed illius usum moderandum esse docet, à Majoribus sumptum; quorum locos toto hoc opere saepe referimus. Concedimus enim in jure quidem Ecclesiastico, Papam nihil non posse, cum necessitas id postularit. Quis sit autem in his modus, præscribunt canones *totius mundi reverentia consecrati*; quod jam non ad potestatem illam in se, sed ad usum pertinet. Id si expendisset auctor, Gallicanos Patres, ut diligentissimè & accuratissimè ex Majorum sententia locutos, laudasset; non inanibus vexasset cavillationibus & quæstionibus.

Ib. n. 2. 3. Dispensationes necessarias esse docet Anonymus. Quis enim id nescit, aut quis negat? Quæ sit illarum ratio aut modus, quod ad rem pertinebat, levissimè transiit. Nempe illud unum volebat, notare Gallos, ut qui assiduè dispensationes implorarent, tanquam in reliquo Orbe Christiano plus canones obtinerent.

Ib. n. 4. Litem movet Anonymus Episcopis Gallis, quod instituta commendent à Regno & Ecclesia Gallicana recepta: quasi fraus aliqua in illis verbis lateat; nisi forte, inquit, *Regnum & Ecclesia copulativè sumantur*, quod magis crediderim; quasi verò aliter sumi possint.

Ibid. Metuere se fingit Anonymus, ne probari videantur *abusus contra jura Ecclesiæ à Magistratibus industi*. At Patres Gallicani studiosissimè monent statuta, & consuetudines, quæ pro legibus obtinere debeant, eas esse, quæ Apostolicæ Sedis & Ecclesiarum consensione firmentur: quo nihil est clariùs.

Ib. n. 5. 7. Quare Anonymus nihil hic habuit, quod objiceret, nisi istud: *Operæ autem pretium esset statuta ejusmodi & consuetudines per censere . . . alioquin nequaquam tollitur suspicio, ne, sub honestorum verborum specie, occultetur animus Sanctæ Sedis decreta propriis rationibus accommodandi*: quid igitur? Gallicanos Antistites non generales regulas exponere, quod in animo habebant, sed omnia statuta, consuetudines omnes, per censere oportebat; ac nisi statim canones omnes compilarent, omnes probatas consuetudines recenserent, suspicari licebit eos, decreta Sanctæ Sedis ad suas voluntates accommodare velle. Quid aut ineptius, aut malevolentius fingi potuit?

Ib. lib. x. Præf. n. 7. At illud etiam graviùs, quod alibi scribit Anonymus: *Possent etiam fortasse aliquis suspicari Iultrissimos Antistites Gallicanos, has quoque libertates, seu verius servitutes probasse verbis illis tertiæ propositionis: VALERE ETIAM REGULAS, MORES ET INSTITUTA A REGNO, ET ECCL. GALLICANA RECEPTA*. Quasi metuendum sit, ne Antistites Gallicani omnia Fevreti. (z)

(z) Fevreti. ) Carolus FEVRET in Curia Divionensi Patronus, librum multis nominibus æstimandum edidit, cui titulum fecit: *Traité de l'abus & du vrai sujet des appellations qualifiées du nom d'abus*. Quamquam in illo libro quædam sint fortè reprehendenda, certe laudand. est Auct. Consilium, qui tractaturus de variis quæ per tempora extiterunt inter

Puteani



Puteani (aa), omnia ab antecessoribus rejecta toties, probasse videantur, eò quod non Ecclesiam tantum sed etiam Regnum nominarint.

Has postquam gravissimas in tot ac tantos Antistites suspensiones iniecit, excusare voluit, dum subdit, id non præsumendum. Tu ne id tantum? At Illustrissimi Præsules non præsumptionibus, sed apertissimis verbis has suspensiones propulsarunt, disertèque expresserunt, commendari à se *statuta sanctæ Sedis & Ecclesiarum consensione firmata*.

Ibid.

Cur ergò Regnum pariter & Ecclesiam appellarunt? Quærant imperiti; non quærent, qui sciunt Ecclesiam in Regno esse, Regni paci consulere, Regni tutela ac defensione uti.

Jam secundo capite quærit Anonymus *de auctoritate summi Pontificis in Ecclesiam Gallicanam*. Quis enim hanc negat? Aut quid necesse erat operam in his perdere auctorem Declarationis Gallicanæ amplam discussionem pollicitum? An non enim satis clarè Gallicani Antistites eam auctoritatem agnoverant?

Ib. lib. VI. c. II.

Quæ deinde non pertractat Anonymus? Tanquam enim ea esset Gallicana Declaratio, quæ omnia commoveret, incipit agere de immediata jurisdictione Papæ in foro externo, interno; de causis Romæ judicandis; de ordine judiciario; deque citationibus, & probationibus; de exigendis subsidiis; de jure summi Pontificis circa beneficia; & quid non? Qua in tractatione quis commemoret, quot vera falsis, quot certa dubiis miscuerit? Quàm nihil à novellis antiqua discreverit? Quam parùm adverterit vera quoque & certa, quem habeant modum? Sed hæc ad discussionem Gallicanæ Declarationis minimè profectura, si pertractare aggredimur; nempe huc omnia jura transcribi oportebit.

Ib. c. III. &amp; seq.

Unum est quod auctorem volo esse monitum. Si quidem id sperat se suaturum Gallis, ut arbitraria jura, & omnia Curia scita pro lege habeant; ne agat ratiociniis è cerebro sumptis, ut facere amat, sed auctoritatibus & canonibus: ne confecta omnia putet, si Scholasticos tantum Canonistave nominet, si denique Gallos aliquos; qua in re victoriam plerumque collo-

cat,

Ecclesiasticam & civilem potestatem controversiis, maximo labore, summaque diligentia, non tantum curiosa multa concessit; sed & maximè utilia.

(aa) Puteani.) Petrus Duvivier, vir inter Gallos de Ecclesia deque Republica optimè meritis, multos libros scripsit plurima doctrina conspicuos. Is an. 1652. una cum fratre suo Jacobo, publici juris fecit librum, cui titulus est: *Traité des droits & Libertés de l'Eglise Gallicane*; eique libro alterum adjunxit sub hoc titulo: *Preuves des Libertés de l'Eglise Gallicane*. In illo altero libro, varia monumenta collegerat ex Tabulariis Franciæ & supremæ Curia Parisiensis, ex collectionibus canonum, actis Conciliorum, Capitularibus & decretis Regum Galliæ, ac demum ex historiis. Sed statim atque excusus est ille liber, hunc Nuncius Apostolicus proscribi petiit; & quidem, illius impulsu, Consilium Regium eodem anno cavito edicto ne venderetur; quia nempe excusus fuerat nullo Regiæ Majestatis privilegio munitus. Anno autem 1639. Episcopi numero XIX. hunc librum, lata sententia, proseripserunt; non quod Regni jura simul proscripta esse vellent, & Ecclesiæ Gallicanæ Libertates, sed quod in eo quædam nimia, quædam etiam parùm accurata reprehendebant. Itaque fratres Duvivier opus suum ad incudem retraxerunt, quod, multis monumentis auctum, Theologus retractandum commiserunt; sicque iterum prodierit an. 1651. cum Regis privilegio. Demum integrum opus recusum est an. 1731. nonnullis tractatibus hæctenus ineditis locupletius, & majori quàm antea diligentia recognitum,



cat, pro se afferat & laudet. Neque enim nos fugit multos etiam Gallos in posterioris ævi adulationem abreptos. Scholasticos, Canonistasve in honore habemus, suo quidem loco; sed nemo graviter feret, si Patres antequonimus; si ad Ecclesiasticas origines convertimus oculos, quas posterioris ævi scriptores, multis literarum præfidiis, ut omittam reliqua, destitutos, non satis explorasse constat.

Ib. n. 6. 7. Absurdissimum illud est, quod ad illimitatum Pontificiæ potestatis usum referre videatur insignem de exemptionibus sancti Bernardi locum:

Bern. de Confid. lib. III. c. IV. *Sic fallitando, inquit Bernardus, probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed iustitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum hoc debeatis quæstio est.* Subdit Anonymus: *Adèò certum habebat sanctus ille Abbas Pontificem in Christianos omnes etiam laicos jurisdictionem immediatam*

432. *habere: quod quidem nemo negat; sed summæ potestati adhibendum eum, quem dicimus modum sanctus Bernardus docet, dum in his plenitudinem deesse iustitiæ, quò modestius, eò efficacius ostendit; dum etiam illud subdit: Vides quàm verus sit sermo ille; OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIUNT. Quid si fortè non licet! Ignosce mihi; non facilè adducor licitum consentire, quod tot illicita parturit.* Hæc Bernardus docet, cujus auctoritatem venerandam Gallis meritò prædicat Anonymus. Sic extraordinaria & arbitraria inter illicita reputat. Hanc Eugenio III. proponit regulam.

Id. ibid. n. 16. p. 432. 433. I. Cor. x. 22.

## C A P U T XXI.

*Auctor Anonymus libro I. nihil agit; à scopo quæstionis aberrare se docet.*

**N**unc percurramus ab ipso initio ingens opus, ac paucis ostendimus auctorem Anonymum, in discutienda Declaratione Gallicana, nihil ferè aliud quam vana, & extra rem atque aliena sectatum. Et libro quidem I. multa ludit de definitione libertatum Ecclesiæ Gallicanæ: quo loco de Justelli, Lescasserii, Marcæ, Puteanorum, aliorumque definitionibus quærit. At quid hæc ad Gallicanæ Declarationis discussionem pertinebant? Habebant in manibus Declarationem ipsam, qua profectò quid vellent Gallicani Præsules satis perspicuè demonstrabant

Anon. lib. IV. c. 1. Et ille quidem ait propositionem primam de Regum potestate, nihil ad libertatem Ecclesiæ pertinere; quod confutavimus.

Vid. sup. part. I. integra. Anon. lib. V. c. 1. Ut secundam propositionem quæ de Conciliorum potestate agit, à libertatibus separet, Illustrissimum virum Petrum de Marca laudat; cui loco satisfacimus; & Conciliorum supremam potestatem libertatis Ecclesiasticæ fundamentum diximus.

Sup. hoc lib. c. XV. Anon. lib. VII. c. I. n. 1. Propositionem quartam discussurus, quæ ad fidei quæstiones definiendas pertinet, hunc librum sic aggreditur: *Putaverant hætenus libertates Ecclesiæ Gallicanæ nullatenus ad fidem pertinere: quasi nihil omninò pertineat ad Ecclesiasticam libertatem quo pacto doceatur fides, quidve ibi vel maximè Ecclesiæ consensus valeat.*

Quod



Quòd si ad strictiorem sensum Ecclesiasticam libertatem placebat accipi, adverteret auctor id quod ab ipso scriptum est : *Frequentius apud Gallos libertatis significatio ea esse dicitur, quæ, juxta Concilium Ephesinum, canone ultimo, in observandis canonibus, & conservanda cuique Ecclesiæ sua jurisdictione consistit.*

Ib. lib. I.  
c. II. n. 12.

Hæc ergo si quærebat, quæ frequentiora apud Gallos confitetur, ac libertatem Gallicanam ad illa jura revocabat: habebat in manibus, & in ipsa Declaratione, quam discutiendam susceperat, claram eorum jurium definitionem. Nempe Gallicani Patres ea obtinere volunt, quæ totius mundi reverentia consecrantur; quæ in Regno & Ecclesiæ Gallicanæ recepta sunt; quæ Sedis Apostolicæ & Ecclesiarum consensione firmata. Quin illud aggredieris? Quid Marcam, Launojum, Chopinum, Puteanos sollicitas? Quin Clerum Gallicanum, quem discutiendum polliceris, ipsum per sese loquentem oppugnas? Nempe hæc Cleri doctrina invicta erat; nihil metuebat argumentationes, aut si verum amamus dicere, cavillationes tuas: hinc ad aliena digrederis, & extra lineam ludis.

Atque is, qui veram & claram à Clero Gallicano prolatam libertatum definitionem prætermittit, alia Declarationis verba aucupatur: *Conventus Parisiensis*, inquit, *libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamenta sacris canonibus & Patrum Traditione niti, jam in ipso limine declarat, ut tanquam certum supponere liceat, Ecclesiæ Gallicanæ suas libertates in antiqui juris observatione constituere.* Ac deinde nos oppugnat; tanquam novella jura inter nos recepta à libertatum notione arceamus: neque saltem cogitat quid sit illud *niti*. Vel ipsa Declarationis verba perpendat: *Ecclesiæ Gallicanæ decreta & libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas, eorumque fundamenta sacris canonibus & Patrum Traditione nixa.* En, vir optime, fundamenta libertatum dicimus; quò collimandum sit docemus: non proinde novella jura apud nos recepta spernimus: id tantum volumus, ne extraordinariis atque arbitrariis imperiis Ecclesiæ gubernentur, in eoque reponimus Ecclesiasticam libertatem.

Ib. c. III.  
n. 13. vii.  
Decl. præf.

Quare, quæ auctor Anonymus de antiqui juris insufficientia ad constituendas libertates Gallicanas toto ferè libro I. studiosissimè quærit, supervacanea sunt. Neque propius rem est quod de origine Gallicanarum libertatum cum Marca disceptat. Non enim Petrum Marcam, atque, ut uno ictu omnia incidamus, non Joannem Launojum, non Edmundum Richerium, non Carolum Fevretum, non tractatum de juribus & libertatibus Gallicanis; non ejus probationes, non alios in quibus confutandis toto ferè opere desudat Anonymus, Clerus Gallicanus tuendos susceperat. Si quid ad rem pertinens de sancti Ludovici Pragmatica-Sanctione dixit, suo loco expendimus.

Ib. c. III.  
& seq. usq.  
ad XIII.

At postquam auctores, de quibus non agitur, satis à se confutatos putat, ipse quæstionem aggredi velle se simulat capite XVI. sub hoc titulo: *Vera origo & progressus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.* Quis non hic existimet rem serio agendam? At auctor nihil aliud quam ludit. Summa est in lugendo schismate, post Gregorium XI. exortas esse libertates Gallicanas; quippe cum utrique Pontifices *Beneficiariis gravissima onera imponerent, beneficio-*

Ib. c. XV.  
Sup. hoc  
lib. c. IX.

A non. ib.  
c. XVI.  
ib. n. 2.



rum collationem sibi reservarent, multaque contra disciplinam antiquam committerent. Tum à Clero Regiam opem imploratam, adductamque in medium libertatem Ecclesie contra Pontificum exactiones ac beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & canonibus contrarias, ac sensim contra cetera omnia quæ nimis gravia videbantur. Hinc invasisse animos studium quoddam libranda Pontificia auctoritatis, ne ultra positos sibi à CHRISTO limites in præjudicium Cleri ac Regni produceretur. Hanc ille narrat fabulam; quasi nusquam antea adversus extraordinaria & arbitraria mandata etiam Pontificia, recepti canones allegati essent; atque id fieri cœpisset in lugendo schismate sub Carolo VI. ætate ac mente debili, ut auctor commemorat. Cæterum probationes nullæ: auctor Anonymus de tripode pronunciat.

Ib. n. 3. &  
seq.

Ib. n. 9.

Vid Traité  
de la jurid.  
Eccl. & auct.  
du Clerg.  
1673. T. I.  
part. I. tit.  
II. c. IX. p.  
761.

Exinde memorat Pragmaticam-Sanctionem 1438. sub Carolo VII olim à Gallis habitam ut arcem libertatis; abrogatam deinde illam, & factum Concordatum sub Leone X. & Francisco I. Gallicanam Ecclesiam adversus Pontificia mandata sæculari tutela usam, in miseriores servitutes incidisse, Pragmaticam-Sanctionem iudicibus sæcularibus ad opprimendam & fere extinguendam jurisdictionem Ecclesiasticam viam stravisse: quod etiam acta Cleri anno 1673. edita docent.

Et quidem acta ab eo laudata docent Regios Magistratus, post Pragmaticam-Sanctionem, jura Ecclesiastica acrius invasisse, inductis etiam illis appellationibus, quæ ab abusu vocentur: non quod Pragmatica-Sanctio quidquam tale dixerit, sed quod Magistratus Regis Pragmaticæ-Sanctionis tutelam sibi commissam, ad omnia Ecclesiastica extenderent. Quæ ut vera sint, (bb) non nisi invidiosissimè ac malevolentissimo animo adversus De-

cla-

(bb) quæ ut vera sint &c. Non dicit D. BOSSUET ea omnia, quæ de appellationibus ab abusu scripta sunt à D. CHARLAS, vera esse, & merito non dicit. Nam ille auctor parum diligens, quanquam de Tripode semper pronunciet, sæpe miscet vera falsis, & dubia ac incerta non nunquam pro definitis & certis venditat, sperans faciles se lectores habiturum. Veruntamen falsum est inductas fuisse appellationes ab abusu occasione Pragmaticæ-Sanctionis; cum à Carolo VII. ad Ludovicum XII. & Franciscum I. quo tempore viguit Pragmatica, vix pauca exempla reperiantur hujusmodi appellationum. Tunc enim, in causis merè Ecclesiasticis, solam fere noverant appellationem ad Concilium generale; nisi quod erat recursus ad Regem in casu infractionis Pragmaticæ, ut fanciit Carolus VII. edito an. 1453. At verò postquam Bononiæ concordata inita sunt inter Leonem X. & Franciscum I. tunc appellationes ab abusu frequentissimæ fuerunt; & Carolus FEVRET luculenter probavit, Traité de l'abus, &c. Lib. I. cap. II. n. 4. hunc verum esse & genuinum fontem, unde postea tot manarunt appellationes ab abusu. Utrum autem laici iudices, cum has appellationes ratas esse jubent, potestatem usurpent Ecclesiasticam, quæstio est; sed hæc non est nostri instituti. Tamen observandum præcis temporibus has appellationes in usu fuisse, eò quod Concilia, quæ semper erant aut coacta aux mox cogenda, facile poterant Clericorum lites componere & dirimere. Verum ex quo Concilia nulla celebrantur, necesse est recurri interdum ad Regem cum potestas Ecclesiastica abutitur notoriè suæ jurisdictione. Bened. in repet. Clem. I. de offic. ordin. Rex enim Ecclesiasticæ disciplinæ sui Regni est, ipso Regio jure, protector & defensor; ac præterea eos omnes ex suis subditis tueri debet, qui abusu ejusdemque potestatis, etiam Ecclesiasticæ opprimerentur. Illi autem, qui appellant, ab abusu, probare debent abusum quidem esse in eo iudicio de quo appellant, & iudicem Ecclesiasticum, aut à fideis canonibus multum deviasse, aut usitatam in Regno disciplinam proseripuisse, aut demum de ea re iudicasse quæ non esset suæ jurisdictionis. Quisquis se his finibus continebit, tutus erit ab omni culpa; cum id tantum agat, ne innocens indefensus condemnetur.



clarationem Gallicanam adducuntur : tanquam illa Declaratio fæcularis potestatis invafiones probet . Interim de tuendis canonibus receptis , *Sedifque Apostolicæ & Ecclefiarum confenfione firmatis* , in quo ea Declaratio veram libertatem collocat , altum ubique silentium . Sic ab Anonymo promittitur Declarationis ampla difcuffio : fummâ ipfa rei omittitur ; vana & aliena copiofiffimè pertractantur .

## CAPUT XXII.

*Anonymi liber II: primum multa agit extra rem : tum in eundem fenfum nobifcum congruit .*

POſtea quàm ex Anonymi libro primo conſtitit ab univerſo quæſtionis ſtatu aberraffe eum , cætera expediemus promptius .

Libro ergo II. hic impoſitus eſt titulus : *De juſtitia libertatum Eccleſiæ Gallicanæ* . At ſub egregio titulo , quid ad rem dixerit , videamus . Anon.

Statim quidem proſtitetur duplicem à ſe tractandam quæſtionem : alteram , *De facultate retinendæ antiquæ diſciplinæ Canonice* ; alteram , *An juſ ſit examinandi novas leges , eaſque repudiandi , ſi cum utilitate conjunctæ non ſint* . Ac primo loco demonſtrat , interdum neceſſe antiquis legibus derogari , quod nemo noſtrum negaverat . Poſtea adverſus Marcam diſceptat , an vis legum ab acceptatione pendeat . Quæ utcumque ſe habent , nihil ad quæſtionem . Non enim neceſſe eſt de omni lege quærere generatim , ſed an Eccleſia ita ſit à Chriſto conſtituta , ut ſuprema ejus & indeclinabilis auctoritas in ipſa conſenfione ſit poſita ; quod ita ſe habere toto hoc opere firmavimus ; ac generalem illam de acceptationis vi quæſtionem omittimus .

Ib. à c.  
II. ad IX.

Quæ deinde pertractat auctor , nihilo magis ad Declarationem Gallicanam pertinere , ipſi capituli tituli indicabunt : niſi quod capite XII. & ultimo id quærit : *Quæ ſint vera juſtiæ libertatum Eccleſiæ Gallicanæ fundamenta* ? Quo loco hæc ſcribit : *Nihil differre Gallicanam nationem à cæteris in acceptandis vel recusandis legibus Eccleſiaſticis : ſiquidem nulli non licet legum executioni ſuperſedere , ſi vel annuat Eccleſia , vel penſatis rerum , locorum ac perſonarum conditionibus , injuſtum ſit ejus mandatis ad literam ſervire* . Ac deinde clariùs : *Si ſine cauſa repudiata ſint à Gallis conſtitutiones ( Pontificiæ de quibus hic agit ) ab aliis receptæ , non niſi ob tacitum Eccleſiæ conſenſum , ab inobedientiæ peccato immunes ſunt* . Si autem is erat in Gallia rerum ſtatus , ut ei ſicut cæteris Provinciis Orbis Chriſtiani , leges illæ non convenirent ; jure naturali & ipſa legiſlatoris intentione , ab earum executione liberi extiterant : nec enim nocet diſciplinæ diverſitas , dum eam exigit morum diſſimilitudo . Quo conſeſſo , quid erat quòd cum Petro de Marca tantopere litigaret ? Neque enim vir illuſtriſſimus contendebat , ut à Gallis novellæ leges ſine cauſa repudiarentur ; ſed idèd certè , ſi non convenirent . Cæterùm , ſi Anonymus nihil hic agit aliud , quàm ut Gallicana libertas naturali etiam lege aſſeratur , ac cæteræ Chriſtianæ gentes communi nobiſcum libertate gaudeant

Ib. c. XII.

Ib. n.



deant, non invidemus. In repudiandis noxiis, Ecclesiamve, aut Rempublicam turbaturis legibus, sui quique ritus moresque; quos si probat Anonymus, nã ille inique agit, qui solos Gallos ut Apostolicæ Sedi suspectos infectatur.

## CAPUT XXIII.

*De reliquis libris à III. usque ad XII. & ultimum uno verbo transigitur : ostenditur quòd in toto opere vix tertia pars ad confutandam Declarationem spectet.*

Anon.  
lib. III. c. I.  
Ib. à c. II.  
ad VII.  
Ib. c. VII.  
XI. XII.  
Ib. c. XIII.  
XIV.  
Ib. c. VIII.  
IX. X.

JAm de reliquis Anonymi libris rem uno verbo conficimus : ac de libro quidem III. perspicua res est. Primum enim quod in libertatibus explicandis, canonibus potius, quàm exemplis, ac si exemplis, probatis duntaxat agendum; nihil erat necesse, ut nos singulari capite auctor commoneret. Quæ deinde toto libro de Gregorio Turonensi & Hincmaro narrat, ad curiosa; quæ de Petro de Marca, de Joanne Launojo, de Edmundo Richerio, de Puteano tractat, ad aliena; quæ adversus Episcopos Gallicanos anno 1681. Parisiis congregatos impotenter agit, ad facta particularia referimus. Declarationis Gallicanæ doctrinam, quam unam hic tuemur, his minimè tangi res ipsa clamat. Pauca quæ de Joanne Gersone, atque aliis Parisiensibus Theologis rem propius spectent, suo loco pertractavimus.

Sup. lib. X.  
Sup. hoc  
lib. c. XX.

Libros Anonymi IV. V. VI. VII. ad rem pertinere fatemur; toto tamen libro V. ubi est *comparatio summi Pontificis cum Concilio generali*, ab ipso quæstionis statu aberrat: cùm auctor profiteatur loqui se de Concilio, à quo absit Pontifex; falsoque supponat Declarationem Gallicanā nihil aliud agi, quod est falsissimum, & rem suo loco ostendimus: hic tantum admonemus, quod jam supra demonstratum est, librum sanè VI. quo Cœtus Gallicani propositio III. expenditur, unum habere Caput I. atque illud fallacissimum, quod ad Declarationem faciat.

Sup. lib.  
VIII.

Jam librum VIII. *De origine Jurisdictionis Ecclesiasticæ*, quo Episcopalem à Papa, non à Christo deducit libro nostro VIII. expendimus; atque ibidem docuimus, quam pauca hic dicat Anonymus quæ ad rem conducant. Quatuor postremos libros; IX. quo Richerius; X. quo Puteanus, libri de libertatibus Gallicanis, ac probationum volumina duo; XI. quo Petrus de Marca ac Stephanus Balusius; XII. quo appellationes *ab abusu*, Marca quoque ac Carolus Fevretus iis patrocinantes oppugnantur, ad Declarationem Cleri Gallicani nihil pertinere constat, præter paucissima, quæ suis notamus locis. Reliqua partim contemnimus, partim ab instituto nostro aliena, aliis tractanda relinquimus. Ac si quæ sint quæ vera Gallicana jura lædant, speramus è Gallis vindicem non defuturum. Nec desunt in ingenti opere, quæ etiam probemus, ac tantum validiora ac moderatiora esse cupiamus. Sanè constat illam tanto hiatu promissam Declarationis discussionem ejusmodi esse, ut vix tertia pars ad eam confutandam saltem collimarit.

Hæc



Hæc igitur sunt quæ universum hunc tractatum, non satis solidum aut Theologicum probent. Illud neque Theologicum, neque Christianum, quod auctor, modestiam professus, scire, non docere, ac de Gallis ubique falsa comminisci; si quæ etiam, ut in rebus humanis, vera mala sunt, ea non medica aut leni manu tractare, sed animo hostili infectari & exprobrare videatur. Quæ nos partim contemnimus, partim ubi ad rem nostram pertinere visa sunt suo loco confutavimus.

## CAPUT XXIV.

*An auctor Anonymus Gallicanas libertates odiosas meritò esse dixerit.*

**L**ibertatis nomen, quo perduelles & pessimus quisque abutuntur, suspectum evasisse legitimis potestatibus, etiam Ecclesiasticis docet Anonymus; in eoque initio totius operis fundamentum jacet. Addit hujus nominis auctam invidiam, *quod aut nunquam, aut fere nunquam* Anon lib. I. c. I. II. *allegatur Ecclesiæ Gallicanæ libertas nisi adversus summum Pontificem; quasi supremus Ecclesiæ Pastor & Pater amantissimus, tyranni loco à Christianissima illa gente haberetur; quod est, non jam in Gallos, sed in ipsos Romanos Pontifices invidiosissimè & insidiosissimè dictum. Cum enim tot ac tanta contigisse constet, quibus Romanos etiam Pontifices, non modo à Gallis, sed etiam ab aliis, summa cum reverentia, absit verbo invidia, cohiberi oportuerit; an illi omnes ex Anonymi sententia pro tyrannis habebuntur? An verò ignorat, adhibitis legibus coerceri oportuisse etiam patriam potestatem? Neque illud verum est, quod est ab eodem Anonymo dictum, de iis qui Pragmatica-Sanctione sancti Ludovici utantur: *Odiosum poni principium; cum Romani Pontifices ab antiqua disciplina primum recessisse supponantur, ut beneficiorum collationem usurparent, tantosque in eo fuisse abusos, ut sanctissimus Rex eos suis edictis cohibere coactus sit.* Hæc à viro erudito dici potuisse miramur, Ib. c. IV. n. 2. Sup. hoc lib. c. III. & seq. cum è contra certissimum sit, ut supra ostendimus, Romanos Pontifices diutissime omnium Canonibus servisse, atque in Ecclesiastica disciplina persistisse. Cui etiam farciendæ tam firma jecerunt fundamenta, ut cum postremis sæculis extra lineas proflirent, non aliunde ipsis fuerit adhibendus modus, quàm ex propriis suisque Canonibus: neque id piis Christianisque Regibus indecorum, ut eos modestissimè ad sua & antiqua revocarent. Id quidem Galli docent, qui de libertatibus accuratè scribunt. Quo quidem liquiddò constat, Romanos Pontifices Ecclesiasticæ libertatis, hoc est, canonicæ disciplinæ, auctores potius ac primos defensores, quam primos oppugnatores, atque, ut ita dixerim, violatores extitisse; pessimoque animo actum ab Anonymo, qui contrariam sententiam nobis exprobravit.*

Quid illud, quod objicit: *Si quis consideret quæ hodie geruntur in Gallia, libertates Gallicanas non ineptè definierit, oppressionem Jurisdictionis Ecclesiæ.* Anon. lib. I. c. XIII. n. 6. sic-



*siastica à laica , & depressionem auctoritatis Romani Pontificis à Clero Gallicano . Quam infenso , quàm amarulento animo dictum ! Quam ad Declarationem nostram parùm attinet ! An quia Clerus Gallicanus vetera retinet ac renovat ; idè Pontificiam opprimit potestatem ; cùm potius ea doceat , quibus maximè constet , sitque invictissima . De Laicis quodd Anonymus queritur , pridem intelligimus quàm hostili animo ista tractentur à multis , qui regni Gallicani splendorem ac pacem moleste ferant . Nos autem queri juvat , cùm decet & prodest : remedia enim , non dissidia quærimus . Id quidem confidentissimè profitemur , nusquam verius ac sanctius libertates veras ac germanas fuisse tractatas : nusquam luculentius falsas ac spurias fuisse rejectas , quam in Declaratione nostra , ubi disciplinæ ratio in iis collocatur , quæ Sedis Apostolicæ & Ecclesiarum consensione firmata sint .*

Quis ergò jam ferat auctoris Anonymi haud invidiosam minùs , quam  
 1b. a. 7. ludicram definitionem libertatum ? *Vocantur , inquit , non incongruè libertates Ecclesiæ Gallicanæ , arbitrium ex antiquis Ecclesiæ decretis retinendi , & ex novis admittendi ea , quæ videntur utilia .* Quem impugnat aut quem irridet vir lepidissimus ? An soli Galli sunt , qui ex antiquis , non  
 1b. lib. II. vellisque ea retinent , quæ usu probata , publicæ utilitati , pacique con-  
 c. I. II. XII. gruunt ? Quin ipse docuit ea in re omnium gentium æquam esse libertatem : sed quoquo modo Gallos derisos atque invidiosissimè traductos oportuit .







DEFENSIO DECLARATIONIS  
CLERI GALLICANI,  
DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

---

COROLLARIUM.

Quod doctrinâ nostrâ Primatus Romanus non obscuratur sed  
illustratur & confirmatur.

---

I.

*Regimen Ecclesiasticum in duobus positum ; docendâ fide ; admini-  
stranda disciplina : Mennæ Patriarchæ dictum in Constan-  
tinopolitana Synodo : hæc duo à nobis illustrari .*



Am exacto opere gloriari libet in Domino, non modò vin-  
dicatam Declarationis Gallicanæ , Majorumque doctri-  
nam ; sed etiam , quod ab initio polliciti sumus , adver-  
sus hæreticos, schismaticos, & quoscumque obrectatores ,  
Primatum Romanum ac Sedis Apostolicæ Majestatem , op-  
tima & exquisitissima ratione à nobis propugnatam , con-  
firmatam , illustratamque fuisse . Id ita conficimus . Ea est optima &  
exquisitissima ratio tuendi & illustrandi Romani Primatus ac Papatus ,  
quæ cùm absurda , incommoda , invisa , ad hæc inania fugiat , maxi-  
ma, plenissima, ac sufficientissima æque docet : Talis autem est ea doctrina,  
quam, Galli præsertim, tuemur ; Nostra ergò doctrina Papatum Romanum,

Vid. ubi.  
in dissert.  
pæv.



optima & exquisitissima ratione confirmat & illustrat . Istud argumentum cum pertractavero , perorabo . Res autem planissimè conficietur paucis ; cum ad id intelligendum non nova promere , sed antedicta repetere , & mente complecti oporteat .

Conc.  
Const. sub  
Menn. act.  
r. T. v. Con.  
p. 47.

Ut autem procedamus claris , præmittimus, Ecclesiasticum Regimen, cujus Romanus Pontifex Caput sit, duobus contineri . Primum , docenda fide ; tum regenda disciplinâ . Hæc igitur sunt , quæ in Sede Romana eminere debeant ; hæc sunt quæ de illa Sede , sancta etiam Orientalis Ecclesia , & sacer ille Mennas Constantinopolitanus Antistes , in Constanti-  
*nopolitana Synodo prædicabat his verbis : Non mirum, si sua sequitur magna & Apostolica Sedes , sacras sanctiones sanctarum Ecclesiarum inviolatas conservando , & quæ rectæ sunt fidei defendendo , & his qui peccaverunt clementem veniam tribuendo .*

Vid. lib. r.  
sect. r. c. i.

Quibus quidem ea duo , quæ protulimus , paulum inverso ordine continentur ; uti à Romana Sede recta doceatur fides , regaturque disciplina ; quæ duobus item constat ; servandis canonibus , atque ubi necesse sit , relaxandis : quod ad veniam , sive indulgentiam , atque ad eam , quam vocamus , dispensationem pertinet . Hæc ergò Apostolica , Pontificia , ac verè Romana sunt ; hæc à nobis illustrari , confirmarique luce clariùs ostendemus . Nam de directâ , indirectave temporalium potestate nihil hic ultra dixerimus ; quippe quam Ecclesiæ Catholicæ , Sedique Apostolicæ minimè profuturam , plerique ultrò fateantur . Satis enim illi quidem , Davidem armis pastoritiis expeditiorem , ac fortiozem futurum , alienis armis gravari & impediri , potius quam ornari intelligunt .

## I I.

*De fide : in quot absurda adversarii se induant ; è re Ecclesiastica esse ea refecari ; ac primum in antiquis.*

**P**rimum igitur , ad fidem quod attinet ; à nobis tribuuntur Romanæ Sedi , ac Romano Pontifici , quæ , remotis incommodis , sive absurdis , tum etiam invisis , denique inanibus ; maxima & ad fidem docendam sufficientissima sint . Ea sic ordine colligimus .

Et quidem , qui à nostra abhorrent sententia , incommoda & absurda multa sectantur , quæ nos fugimus : incommoda , inquam , & absurda sectantur ; primum , in antiqua Traditione explicanda , deinde etiam in explicandis postremæ ætatis decretis ac dogmatibus .

Antiqua memoramus , quæ octo primorum Conciliorum tempore , hoc est , octo ferè primis sæculis comprehensa , usque ad Photium , & Græcorum inchoatum schisma . In his , si , quæ falsa dixerint adversarii , commemorare vellemus , totum opus replicare oporteret : quæ autem aperte absurda sint hæc notamus .

Inprimis Episcopos in fidei quæstionibus finiendis Romano Pontifici consultores , non condecernentes & conjudices assedisse , aut in Romani Pontificis



tificis auctoritate, potius quàm in ipsa consensione vim positam; quæ si quis tueri velit, tot absurda dixerit, quot argumenta solvat.

Quid enim absurdius, quàm Nicænos illos Patres sancto Sylvestro tantum consultores datos; aut ut suum symbolum assererent; illius expectasse sententiam; aut in ejus sententia intellexisse vim positam, non quod omnes per Orbem Domini Sacerdotes, in eandem consentirent fidem? Vid. Conc. Nicæn. T. II. Conc.

Quid autem Constantinopolitani Patres? An sancto Damaso consultores dati, qui in diversa Orbis parte collecti edebant Symbolum; non autem id agebant, ut Occidentis Orientisque consensu, fides vera constaret? Vid. Conc. C.P. I. ib.

Item quàm absurdum est, ut sancti Cælestini ac sancti Leonis de Nestorio & Eutychete judicia, vel non tota Sedis Apostolicæ auctoritate lata, quemadmodum Bellarminus; vel certè cum cæteris, pro summa & irretractabili fidei regula fuisse habita; & tamen ad examen æquè ac aliorum privatam, publicamve sententiam revocata dicamus? Bell. lib. II. de Conc. aut. c. XIX. Sup. lib. VII. c. XVIII. Sup. ib. cap. XXIV. xxx. xxxii. Ib. c. XVIII.

Idem de sancti Agathonis, sanctique Gregorii II. atque Adriani I. deque Nicolai I. & Adriani II. decretalibus epistolis esto judicium; quæ & tota auctoritate prolata, & tamen examinatae rursus, nec sine Synodica cognitione probatae sunt.

An etiam placebit absurdum illud, elucidationis tantum, non etiam auctoritatis causa, factum istud examen, definitiones editas, dicta anathemata, ac de novo quæsitum, rectene an secus, Romani Pontifices dixerint, docuerint, judicarint?

Jam in uno Honorii facto, quot absurda congerunt? Vel pro privato Doctore egisse, cum trium Patriarcharum consultationibus responderet; vel rectè dixisse, quem vera fallaque juxta improbantem, sexta Synodus æquè ac cæteros hæresis condemnavit; vel fallata esse sanctæ Synodi acta; fallata, inquam, toto Orbe vulgata, toto Orbe infcio, Legatis Apostolicæ Sedis, qui gestis interfuerant, consentientibus, nec obstantibus; fallatas quoque Leonis II. epistolas, queis acta firmentur; dolosque Græcorum ad extremam usque Latinitatis oram pervasisse, omnibus obdormientibus, sive potius emortuis? Hæc omninò dicenda sunt, ac præfractè tuenda, adversam sententiam defensoris.

Quid quod nec ista profuerint, cum vel si sit ab omni errato purus Honorius, sufficiat tamen tantum ejus erratum, aut à sexta Synodo credi potuisse; aut si sextæ Synodi acta fallata sint, sufficiat id quoque, pro veris fuisse habita; totamque Ecclesiam in id consensisse, ut tribus Patriarchis pro officio rescribens erraverit Honorius.

An verò quia ista assidue vexantur in scholis, & vanis distinctiunculis eluduntur, idè viros graves ad ea cogi oportet? Non ea cogitanda quæ Orientalibus Occidentalibusque schismaticis, ad nos utique, si Deus dederit, reversuris, suaderi possint? Non pudet denique in his causæ Catholicæ collocare summam, quæ doctis irrita, scholæque altercantis ludibria; non docentis sapientisque responsa habeantur.

Vel de Vigilio quid dicent? Egissene perperam sanctam Synodum V. quæ, ipso vetante, redum absente, de tribus capitulis quæstionem habuerit, quæque hæresis condemnarit Ibæ epistolam, quam idem Vigilus, *Constituto* ad Ib. c. XX.



omnes Ecclesias edito, comprobarit? Ac si synodus V. egit perperam, cur ejus judicium secuti Pontifices, Pelagii duo, & ipse Gregorius non reprehenderunt, sed ut legitimum comprobarunt?

Hæc ergò tot ac tanta egisse Episcopos Romano Pontifici tantum consultores datos? Aut si ab adversariis extorquemus, fuisse iudices, inferiores licet, etiam Concilio habito; qui factum, ut Concilio habito, de Romani Pontificis judicio toties judicarent?

Sup. lib.  
x. c. III. &  
seq.

ib. c. VI.

Bell. lib.  
iv. de R. P.  
c. VII. sup.  
lib. IX. c.  
IV.

Quid Cyprianus? Quid Firmilianus, totque Africani & Asiani Patres? Nonne sancti Stephani Papæ rebaptizationem vetantis, decreto per omnes Ecclesias divulgato, factis etiam Conciliis obstitit? An & illud placebit, pro indifferentibus hæc habita; quæ cum Apostolica Traditione constarent, tamen à diversa parte, apertissimis Scripturarum testimoniis adversa haberentur? An eò decurremus: quod Stephanus ageret pro privato Doctore, qui, teste Augustino, pro officio præceperat? Aut, ut, ait Bellarminus, *quod noluerit rem de fide facere*, is, qui dissentientes communione abstinere; & hi tamen ab ipso quoque Augustino excusantur, quòd in ambigua re Ecclesiæ universalis sententiam expectarent, non scilicet elucidationis causa, sed auctoritatis? Aut forte contumaces, quibus, cum æqua & sufficientia Romani Pontificis judicia non satisfacerent, superflua ex Ecclesiæ totius auctoritate remedia, tanquam ægris, ac desperatis concederentur? Hæc de Martyribus cogitari! Hæc sancto Augustino probari! In his summam fidei adversus hæreticos collocari potuisse!

Omninò enim aut ista tuenda sunt, aut causa deferenda. An ergò Catholicos non pudeat talibus præfidiis nixam, non privatorum Doctorum, sed universalis Ecclesiæ causam esse? Absit hoc dedecus ab Ecclesiæ Catholice Majestate.

Sup. ib.  
c. XXIII.  
& seq.

Leon. ep.  
ad Theod.  
XIII. alias  
Romanis Pontificibus non ægrè ferentibus. Nondum hæc novitia in men-  
EXIII. sup.  
tem venerant. Hærebat animis antiqua Traditio à beato Leone Papâ, à  
lib. VII. c.  
beato Simplicio, post illum tertio, explicata: fixa esse, quæ Apostolico  
XVII.  
Ministerio definita essent; cùm ea (Deus scilicet) UNIVERSÆ FRA-

Simp.  
ep. IV. ad  
Zon. Tom.  
IV. Conc.  
p. 1071. Sup.  
lib. XI. cap.  
XIV.  
Decl. Gall.  
c. IV.

TERNITATIS FIRMARET ASSENSU: stare inconcussum, quod Apostolicis manibus, sed CUM ECCLESIAE UNIVERSALIS ASSENSU constitutum esset. Quid autem aliud jam Galli postulant, qui Pontificia decreta summa quidem & indeclinabili auctoritate constare profitentur: sed, cùm Ecclesiæ consensus accesserit? Quæ totidem verba à sanctis Pontificibus dicta, nunc pro novis ac suspectis haberi, omni absurdo absurdus est.



## I I I.

*De posterioris ætatis monumentis, quæ Constantiensem Synodum antecesserunt, adversarii quot absurda congesserint.*

**P**ostquam Orientales à Sedis Apostolicæ communione sejuncti sunt, in Occidente ferè solo remansit Ecclesia. Qua in Ecclesiæ parte Romani Pontificis potestatem, non modò summi Primatus ratione valuisse constat, sed eò etiam, quòd à priscis temporibus, Romanus Episcopus Occidentali Ecclesiæ peculiari titulo præsideret. Et tamen antiquam de Ecclesiæ Catholicæ summa & irretractabili auctoritate doctrinam, non modò integram remansisse, sed etiam occasione data, ab ipsa Ecclesia in Constantiensi Concilio definitam esse, luce meridiana est elarius.

Quo loco adversarii ad incommoda illa & absurda coguntur: nostram sententiam occasione magni illius post Gregorium XI. schismatis natam esse; cum etiam oblitteratis, quod absit, antiquæ Ecclesiæ monumentis, hæc ante Gregorium XI. ex novella quoque ætate prodantur.

A Papa ad Concilium sæpe appellasse Anglos; appellasse Gallos; appellasse Franciscanos certum est: nihil ea gratia à Romanis Pontificibus X.e.XXV. reprehensos; quibus certò constet, Conciliarem auctoritatem absque controversia habitam esse potiorē.

Ad hæc Clementis V. tempore, cum is in eo esset, ut Viennense generale Concilium celebraret; Guillelmum Durandum Episcopum Mimatensem, ejus ævi virum maximum, ejusdem Pontificis jussu, de Concilio celebrando tractantem hæc scripsisse: quòd Ecclesia *in capite & membris* à sacro Concilio reformanda sit: quòd non nova à Pontifice, sine Concilio decerni oporteret. Quòd quovis decennio generale Concilium celebrandum esset: &c.

Addimus, suborta postea quæstione, de paupertate CHRISTI à Joanne XXII. propositiones duas hæreticas judicatas, edita decretali, cum inter nonnullos: hinc ei objectam decretalem, exiit: qua Nicolaus III. contraria determinasset: ac denique hunc nodum à viris ea ætate præcipuis fuisse solutum, quòd Romanum Pontificem, etiam determinando circa fidem & mores, errare contingeret: quòd ejus responsa adversa Scripturæ, nullius momenti sint: denique quòd unius Pontificis determinata, etiam circa fidem, à successoribus immutari possint: quæ nunc pro erroneis aut schismaticis haberi, nihil aliud esset, quàm prodere omnibus fœdam in Dogmatibus tradendis levitatem, & inconstantiam.

Quid quod ipse Joannes XXII. decretali, quia quorundam, cum fratres Minores objicerent, contrarium ejus quod ipse definisset ab ejus antecessoribus definitum; primum quidem id negat: tum, si vel maxime id fecissent, totum illud responderet esse irritum. Sed verba placet ponere: Procul dubio, inquit, falsa asserunt dicendo, prædecessores nostros definivisse talia, & adhuc sic loquentes, dum per talia Constitutiones nostras impugnare satagunt, Constitu-

Sup. lib.  
c. xxxviii.  
vid. dissert.  
præv. n. l.

Sup. lib. vii.  
c. xxxviii.  
vid. dissert.  
præv. n. l.  
Durand.  
de Conc.  
celebr. &c.

Dissert.  
præv. num.  
xlvi. xlviii.  
Extrav.  
Cum inter  
nonnullos.  
tit. xiv. de  
verb. signif.  
c. iv. sext.  
Decr. lib. V.  
tit. XII. de  
verb. signif.  
c. III. Exiit  
Sup. lib.  
ix. c. xlv.  
Extr. Quia  
quorumdam  
de verb. sig-  
nif. c. v. §.  
Ex præmissis



titutiones illas, quibus se adjuvant, ostendunt ( si eorum falsæ assertiones veræ existerent ) FORE INVALIDAS, ERRONEAS ET INFIRMAS . Nunc autem , si Deo placet , erronea erunt atque schismatica , quæ is Pontifex edita decretali docuit .

Gloss. in  
Clement.  
Exvi. lib.  
V. tit. XI.  
de verb. sig-  
nif. c. I. §.  
Proinde .

Anton.  
Sum. Theol.  
part. iv. lib.  
xii. c. iv.  
§. xxviii. p.  
208.

Grat. dist.  
XCII. cap.  
XXIV. ex  
Hieron. T.  
IV. ep. Cr.  
ad Evan. al.  
T. II. ep.  
LXXXV.  
ad Evagr.

Grat. lib.  
Differt.  
præv. au.  
LII.

Cauf.  
XXXII. qu.  
VII. cap.  
XV III.  
Melch. Can.  
deloc. Theol.  
lib. VI. c. I.  
Diff. præv.  
loc. cit.

Sup. lib.  
v. c. ix. ap-  
pell. Card.  
Greg. apud  
Rain. Tom.  
XVII. ann.  
1408. n. 9.

Huc etiam pertinet, quod Joannis XXII. decretalem supra memoratam, Cum inter nonnullos; quamquam est definitio de fide, Glossa quidem Romana tolli cupit, remque in medio relinquit ut liberam. At sanctus Antoninus, potestatis Pontificiæ assertor eximius, idè pro certo firmoque decreto haberi vult, quod per Prælatos & Doctores acceptata, approbata & examinata fuerit: quæ Declarationi Gallicanæ aut genuina sunt, aut etiam fortiora & explicata clariùs. Sic antiqua Traditio in postremis quosumque sæculis manet; sic Sedis Apostolicæ studiosissimi Pontificias definitiones, Prælatorum & Doctorum, non modo *acceptationi*, & *approbationi*, sed etiam *examinationi* subdunt. Nunc ea subito sunt erronea & schismatica.

Hæc igitur XIII. XIV. XV. sæculo dicta, facta, edita sunt: nec mirum; cum Gratiani dictis congruant, quæ omnium minibus terebantur. His nempe constabat, Orbem Urbi etiam auctoritate esse majorem; si enim auctoritas quaeritur, Orbis major est Urbe, Dist. XCIII. legimus; hoc est, glossa interpretante: *Statuta Concilii præjudicare statutis Papæ, si contradicerent*. Nunc salva sunt omnia, si Orbis extensivè quidem, non autem intensivè major esse dicatur: quasi de extensione, non de ipso pondere auctoritatis ageretur.

Neque minus clarum erat in Gratiani dictis vulgaribusque Glossis, quædam statuta Papalia fuisse contra Evangelium; quasdam epistolæ decretales; quædam responsa authentica, Evangelicis præceptis, Evangelicæ & Apostolicæ veritati penitus esse adversa. Nunc eas sanctiones, ea responsa, ea decreta, privata esse somniant; Pontificemque pro officio consultum etiam ab Ecclesiis, tamen pro privato Doctore respondisse. At Melchior Canus Gratianum accensebat iis, qui Pontificiam infallibilitatem negasse videantur; nunc, credo, damnabitur, quem juris Pontificiæ fontem, Romani Pontifices esse voluerunt.

His igitur constat quàm falso dixerint, opiniones, quæ Pontificiæ infallibilitati & superioritati derogent, fœdi illius post Gregorium XI. schismatis esse fetus; cum eam doctrinam per manus traditam, ad extrema quoque sæcula devenisse, tot acta demonstrent. Quo etiam factum est, ut Ecclesia schismati provisura, œcumenicam Synodum imploraret, non ut eam, cui extraordinaria potestas in schismate daretur; sed ut eam, à quâ, & in quâ solent gesta etiam Romanorum Pontificum quæcumque pertrahari, decerni, & judicari. Ea quàm consuetum esset illud remedium, quod nunc extraordinarium, & schismati proprium esse contendunt. En quid Synodis liceat in quæcumque gesta Romanorum Pontificum.



## I V.

*In Constantiensi Synodo nihil novum ; sed antiqua in rei judicata auctoritatem necessaria causa transisse : id qui negent in quot absurda cogantur .*

**N**unc postea quàm omnium sæculorum Traditione constitit , vim Ecclesiæ supremam & indeclinabilem in ipsa consensione esse positam ; intuendum sanè , quomodo data occasione causaque necessaria , tanta res Constantiæ in rem judicatam transferit .

Qui id iudicium incauti aspernantur , incredibile est in quot , quantaque sese manifestò conijciant incommoda .

Ac primum quidem , ut sanctæ Synodi mentem obscurent , sic verba torquent , ut *quilibet* , *quacumque dignitate* , *etiam Papali* , præditus , sit tantum Papa dubius : tum , ut *cujuslibet Concilii generalis legitimè congregati* nomine , intelligatur Concilium in schismate habitum : denique , ut ad causam schismatis , Concilii auctoritas constringatur , quam Patres non tantum ad *schisma* , sed etiam *ad fidem & ad reformationem in capite & in membris* patere definiant .

Hæc igitur ludibria vim illatam Synodo tam apertè clamant , ut Tur-recremata hujus Glossæ auctor , id ipse fateatur : clarissimèque patuit ex gestis , Constantiensem , eamque secutam Basileensem Synodum , non modò potestatem sibi vindicasse in Papam etiam certum ; sed etiam exercuisse , Romanis Pontificibus Martino V. & Eugenio IV. consensientibus , imò exequentibus .

Ex quo infirmantur ea quæ de Constantiensium decretorum fluxa auctoritate commenti sunt .

Primum enim constitit à ducentis Patribus communi consensu , sessionum IV. & V. canones , de quibus agitur , fuisse conditos ; Synodicoque decreto , non modò celeberrimas Orbis Academias , prælucente Parisiensi , omnesque Religiosos Ordines : verum etiam longè maximam Ecclesiæ Catholicæ partem adhæsisse ; tum horum Canonum conditores eos fuisse , qui primi omnium extinguendo schismati manum admoverint , qui cæteros à schismate redeuntés in sinum susceperint , qui hæreticos Wiclesum , Hussum , aliosque compresserint : ut profectò pudere debeat aspernari ; imò foedis erroris ac schismatis notis tantum infamare cœtum , vel si etiam , quod absit , pro œcumenica Synodo non valeret .

Cùm id negare nemo possit , tum verò Constantiensem Synodum pro œcumenica jam inde ab initio valuisse , sessionumque IV. & V. canones Conciliariter factos , totaque Ecclesia approbatos , tot actis Martini V. Eugenii IV. Pii II. probavimus ; tot deinde decretis Senensis , Papiensis , Basileensis Florentinique œcumenicorum Conciliorum ; ac profectò Basileensis , dum etiam ab Eugenio pro legitimo œcumenicoque Concilio habebatur , ut id in dubium revocari , nihil aliud sit , quàm contemnendis Synodis viam

Dissert.  
præv. num.  
xxxviii. &  
seq. lib. V.  
c. II. & seq.  
Con. Const.  
Tom. XII.  
Conc.  
Turrec.  
Resp. ad  
Basil. part.  
II. n. 2. &  
4. T. XIII.  
Conc. pag.  
171. 171.  
Vid. lib. V.  
& VI.  
Sup. lib. V.  
c. XXI. &  
pass. tot. lib.

Ib. cap.  
xxix. xxxi.  
Ib. c. XIV.  
& seq. &  
tot. lib. VI.

pan-



pandere, tot retrò Pontificibus illudere; ut unus Papa, summa semperque indeclinabili auctoritate polleat, Conciliis, ipsis Pontificibus, totique Ecclesiæ eam auctoritatem detrahere; uno verbo fidem evertere.

Sup. lib. vi.  
c. ix. x. xi.

Jam quod ajunt, Constantienses Canones in Florentina Lateranensique Synodis antiquatos: primum quidem satis constitit, ne nominatos quidem, nec de illis quæritum; imò pro certis esse suppositos, cum eorum auctoritate in Florentina Synodo, etiam Basileenses premerentur; atque interim Græci Latinique ipseque Eugenius IV. dictis factisque firmarent, summam tractandæ fidei auctoritatem, non in solo Papa, sed in Ecclesiæ consensione esse positam.

Lib. VI.  
c. XVIII.

De Lateranensi verò sub Leone X. Synodo, quod ajunt; tantum abest, ut Constantienses canones abrogarit, ut ne Basileenses quidem, nisi post secundam dissolutionem, hoc est, post Sessionem XXIV. anteriores verò Sessiones, præsertim usque ad XVI. integras reliquerit, quibus certè Sessionibus Constantienses Canones tot decretis, atque Eugenii IV. non modò consensione & approbatione, sed etiam executione atque obedientia firmati sunt.

Ib. c. I. II.

Ib. c. III.  
IV.

Omninò enim Eugenius, & Synodum dissolverat, & continuatam damnaverat; & tamen ad obedientiam Sessionis V. Constantiensis auctoritate adactus, Basileensibus hæsit; decreta sua rescidit, edito diplomate. An verax ac rectè decernens? Confecta ergò res est; an errans? Haud minùs confecta res; erroremque semel factus, frustra deinde infallibilitatem ob-

Declar.  
Gall. c. II.

tenderis. Quo ex loco duo fiunt: primum, ut Constantienses Canones, invicta auctoritate; tum in Pontificem certum quoque & indubium, qualis erat Eugenius, valeant; stentque omninò Synodi Constantiensis & sensus, & auctoritas; neque jam revocari possint in dubium ea, quæ Patres Galliani sua Declaratione complexi sunt.





## V.

*Constantienses Canones postremis quoque Romanis Pontificibus intallos , quàm absurdum à privatis configi : quàm item absurdum ea , quæ Tridentina Synodus , ac nostra etiam ætas tuta esse censuerit , repente damnari , & de Papæ auctoritate postulari plura , quàm ipse DUVALLIUS aliique Romanæ Sedis studiosissimi poposcerint .*

**Q**UÆ cum ita sint , si quid Romani Pontifices contra Constantiensium canonum auctoritatem moliti essent , irritum caderet ; ut pote tot anterioribus firmisque decretis contrarium . Nunc autem certum est , nihil ab ullo Romano Pontifice , contra eos canones gestum esse : imò tota Constantiensis Synodus , æquè ac cæteræ Concilii Generalis insignita , in editione Romana Pauli V. jussu prodiit . Unus Binius tanto Concilio ausus est hanc notam apponere : *Concilium Constantiense ex parte approbatum* , nullis Ecclesiasticis gestis , nulla auctoritate nixus ; uno scilicet Bellarmino , præunte . Quæ si privatis liceant , nihil est quod Theologi adversus hæreticos , Conciliorum œcumenicorum fixa & irrevocabilia decreta jactemus .

Tantumque abest , ut Constantienses canones , ullo Ecclesiæ decreto læsi sint , ut Patres nostros eam fidem professos , Synodus Tridentina ac Pius II. susceperint : ex ea doctrina suos canones , ipsamque aded fidei professionem temperaverint , diligentissimèque caverint , ne ea doctrina vel in speciem læderetur . Quæ si jam jaceant , nempe nihil in Ecclesia firmum fixumque est ; Dogmata quoque , quod absit , temporibus serviunt ; omnisque Ecclesiastica prostrata est auctoritas .

Jam illud quis non doleat , tot Ecclesiæ lumina , Alliacensem Cardinalem , Gersonem , pium illum Dionysium , Sanctissimi Carthusiani Ordinis decus , Toletum Abulensem Hispaniæ lumen , cæteros innumerabiles , ipsumque Adrianum VI. nusquam hætenus reprehensos ; imò summa cum laude nominatos ; quin ipsam Parisiensem Academiam studiorum decus ac lucem repente damnari ? Quid Turrecrematam ? Quid Sanctum Antoninum ? Quid alios tot ac tantos eximios potestatis Pontificiæ defensores commemorare , qui ultimum fidei robur in communi Ecclesiæ auctoritate collocarunt , qui in fidei negotio rebusque universam Ecclesiam tangentibus , Concilium Papæ prævalere docuerunt ? Quid autem hæc memorem ? Cum ipsum Turrecrematam ; Turrecrematam illum , quo capite tot illa absurda & nimia profluxerunt , planè & apertè docuisse constet , fieri posse ut Papa errorem definiat solemniter , & à Christianis asserat tenendum tanquam Catholicum ; Ergò Eugenii IV. tempore , cum summa omnia peterent , ab hoc tamen temperabant , ne mortalis unus infallibilis haberetur . An in eos quoque censura sæviat ; novisque nova semper superstrui placet ? Quid verò privatos memorare libet , cum ipsas Synodos , earumque Sacrosancta decreta susque deque habita lugeamus ?

Tom. II.

Q q

An

Sup. lib.  
v. cap. j. &  
pass. & lib.Bin. T.  
vij. part. ij.  
pag. 1134.  
Bell. de conc.  
cap. vij.Dissert.  
præv. num.  
xiv.Ibid. num.  
xij. & seq.  
usq. ad xxxj.Turrecr.  
summ. de  
Ecclef. lib.  
iv. part. ij.  
c. xvj. fol.  
388. edit.  
Ven. 1560.



Bell. de conc. aut. fide; Parilienſium, Adrianique VI. de infallibilitate ſententiam, *ferè de c. xvij. de erroneam, atque hæreſi proximam dixerit*, nova ac trepida privati Doctotis R.P lib iv. c. ij. cenſura; atque illud *videri*, pro certa firmaque Eccleſiæ Catholiciæ fide. Ibid. & habeatur: aut quia alii *nunc* de fide eſſe dixerint, eorum ſententiam. Suar. de fid. pro certa auctoritate teneamus; ac *nunc* illud habeamus illius loco, diſp. v. ſect. *quod ubique, quod ſemper*; quam Catholiciæ fidei teſſeram, cum Vincen- vij. n. 4. tio Lirinenſi omnes Catholici celebrarunt? Abſit hæc ab Eccleſiæ Catholiciæ Tapp. orat. gravitate ac majeſtate levitas. Theol. iij.

Quid Andreas Duvalius? Nonne cum Edmundum Richerium & Simo- wig. Stap. nem Vigorum adortus eſt; Pariſienſes Doctores à parte Conciliorum genera- &c. paſſ. *lium ſteſſe*, atque ad ea *ultimam analyſim fidei retuliſſe* conſtitetur; non- Vinc. Lir. ne ſummi muneris loco poſtulat, ut non ea doctrina de fide habeatur? Non- comm. j. ne ipſe palam edixit ſententiam, quæ Concilium Papæ anteponat, neque- cap. iij. T. ne ipſe palam edixit ſententiam, quæ Concilium Papæ anteponat, neque- vij. Bibl. eſſe hæreticam, neque erroneam, neque temerariam? Pontificiam verò Pat. p. 50. infallibilitatem, quam aperte, quàm clarè non *videri de fide*, dixit? Ne- n. xvij. & que tantum dixit, ſed argumentis probavit non eſſe de fide, & contraria- ſeq. Duval. argumenta ſtudioſiſſimè ſolvit. Hæc cum Anno 1612. 1614. 1636. doceret ac Elench. p. ſcriberet, tamen Pontificiæ dignitatis accerrimus vindex Romæ quoque eſt 9. 68. 105. & in Tract. habitus. Hunc Cardinalis Ubaldinus Sedis Apoſtolicæ Nuncius præcipuè fo- de R.P &c. vit. Notæ in Urbe ſunt, ac Doctorem inter manus ubique verſantur ejuſdem- part. iv. qu. Cardinalis literæ, quibus id conſcribitur; conſtatque Duvalii adverſus Ri- vij. p. 53. cherium libros, Roma probante, Roma inſtigante, compoſitos & editos. ib. part. ij. Nunc adverſarii Romam incendunt atrocibus dictis, ut quæ noſtra ætate quæſt. i. p. pro indifferentibus habuit, acri cenſura configat. Quo operæ pretio? 210. An ut novitia hæc repente de fide fiant, ipſeque jam Duvalius dignitatis Apoſtolicæ proditor habeatur? Abſurdum. Imò ſi hæc fierent, quod illi con- tendunt, nihil aliud ageretur, quàm ut novum experimentum novum- que monumentum extaret publicum, Pontificem falli poſſe.

## VI

*De Pontificum lapſibus agnitis vel præviſis; deque Conciliorum congregandorum cauſa quam varia & abſurda diſta ſint.*

**A**NTIQUORUM Pontificum lapſus alios negant; quàm inanè opera res ipſa docet: alios, etiam corpori juris inferos conſentitur; ſed Ro- manos Pontifices non eo animo egiſſe, ut docerent univerſalem Eccle- ſiam, neque pro Cathedra dixiſſe contendunt. Qua quidem in reſponſione miris ſe involvunt ambagibus; primum enim ea errata vidimus, quæ ad univerſalem Eccleſiam ederentur: tum abſurdum illud eſt, Romanum Pontifi- cem juſſum univerſim confirmare fratres, officio tungi, cum univerſos docet, non autem cum ſingulos; imò cum ritè conſultus reſpondet Ec- cleſiis aut Religioſis Cœtibus; atqui eo ritu conſultos Stephanum II. Grego- rium II.



rium II. Cælestinum III. Innocentium III. aliosque egregios licet Pontifices, falsa & erronea respondiſſe in confefſo eſt. Ergo Apoſtolico officio confirmandi fratres deſuiſſe conſtat; eò quidem magis, quò viam ſalutis quaerentibus, cùm certa & infallibilia poſſent, dubia & errori obnoxia, reſcripta miſerunt.

Jam illud toties dictum à Doctoribus ipſoque Auguſtino; dictum ab ipſis Pontificibus; ipſoque Gelafio, Innocentio III. Joanne XXII. cæteris; dictum ad ipſos Pontifices in Conciliis ſedentes; ſi quidem ipſi prava deſinirent, nihil id veritati, nihil Eccleſiæ nociturum; an elevari putant, cùm reſponderint: non id tanquàm dubios, ut ipſa verba præferunt; *ſed per im-poſſibile* voluiſſe dictum: quem verò non pudeat, doctrinæ Catholicæ ſummam, ad hæc minuta & ſubtilia deduci?

Sup. n. iij.  
& lib. ix. c.  
xviii. xix.  
xxvj. xxvij.  
xliv.  
Lib. x. c.  
vi. j. ix. &  
diff. num.  
xlvij. xlvij

Denique illud quàm invictum inconcuſſumque eſt: fruſtra convocari generales Synodos, ſi tota deſiniendæ veritatis ratio in uno Pontifice conſtat? Quo uno argumento attoniti, ac veluti palabundi in diverſa ſugiunt: ſed undique præcipitia, neque quidquam perſugii eſt.

Hi nempe reſpondent conſultores dari judicature Papæ. Conſultores verò ei qui jam judicaſſet, ut de Sancto Cæleſtino, de Sancto Leone, de Sancto Agathone aliisque certum: conſultores ei, qui tam longè abeſſet, qui Legatos mitteret, non ad ſe relatuſ, aut ſuam expectatuſ ſententiam, ſed ſtatim cum Patribus judicatuſ: conſultores eos, qui proſectò non conſultatoriam, ſed decretoriam ſententiam promerent. An non pudet Episcopos toto Orbe convocatos, non alio loco eſſe, quàm Academijs ac Theologicis Facultates, conſultatoria decreta proferentes?

Sup. lib.  
viii. c. xj.

At fortè illud melius: convocari Synodos elucidandæ rei? Cur ergo non tractatus, & elucidationes, ſed definitiones, ſed anathemata, ſed judicia & decreta jam irretractabilia produnt?

Denique decurrunt ad illud: convocatas Synodos, quacumque in quaſtione, non ex neceſſitate ad ſolvenda dubia; ſed ex abundanti, ad frangendos contumaces. Frangendos verò, an potiùs adjuvandos; ſi poſt infallibile, ut illi quidem volunt, Pontificis judicium, quaſtio innoveretur? Vel enim illuſoria deliberatio eſt, ludibriumque ſit de re jam confeſta quaerere; vel vera ſeriaque habetur quaſtio. Jam dubitante Synodo, non modò contumaces, ſed etiam modeſti, probique dubitare coguntur.

His victi alij, neque quidquam aliud habentes, quod Concilio tribuerent; reſpondent, Papam quidem per ſeſe eſſe intallibilem: ſed congregata Synodo, ad totam Synodum intallibilitatem transmitti; nec jam Papæ ſas judicare ſoli. Quæ primùm nec ſibi conſtant; abſurdum enim eſt à Papa, convocata Synodo, abdicatam innatam poteſtatem: neque quaſtionem ſolvunt; & remanet quaſtio, cur operoſa moliantur, cum prompta & expedita ſuppetant. Denique qualis Papa in adunata Eccleſia, talis in diſfuſa eſt: neque enim habet aliud adunata Eccleſia, quàm ut toto Orbe diſfuſam repræſentet. Quare quæ in adunata virtus, ejus proſectò radicem in diſfuſa eſſe oportet.

Quæ cùm ita ſint, quaſtionem noſtram in ſa Conciliorum convocatione finitam contendimus. Compendioſa ſanè & explorata demonſtratio, quæ in ipſo Concilii nomine continetur.



## VII.

*Quàm grave sit Ecclesiæ Catholicæ causam in tot absurdis collocari, cum præsertim ea invidiosissima sint.*

**H**Æc igitur absurda sunt, in quæ, nosque seque, totamque Ecclesiam, quantum in ipsis est, conjectum eunt. Quis autem non videt, quàm eadem invidiosa sint, summam Ecclesiæ ac fidei, uni homini summo quamvis, summaque dignitate prædito, sed mortali tamen, ne-  
 Act. xv. quid dicam amplius, permittendam; convocari Episcopos ac viduari Ecclesias,  
 28. ut unum audiant; rem per se tantam, tam incredibilem, atque huc usque  
 Cælest. pro dubia saltem habitam, pro certo Ecclesiæ fundamento collocari; deni-  
 ep. int. aet. que ut id fiat, everti formulam ab Apostolica usque ætate firmissimam,  
 Conc. Eph. nempe illam; *Visum est*, non Petro; sed *Spiritui Sancto & nobis*.  
 aet. ij. T. Quanta autem audent, qui Petro negata, Petri successoribus tribuunt.  
 iij. Conc. p. Atque hanc Apostolici Concilii formam Sanctus Cælestinus, & Sancta V.  
 614. Conc. v. coll. vij. Synodus ad omnia deinde Concilia pertinere putant. Unde VII. Synodus:  
 Tom. v. p. *Dominus Deus noster nos Sacerdotii Principes, beneficio suo undique convocavit,*  
 662. sup. *quatenus Deifica Catholicæ Ecclesiæ Traditio, communi decreto recipiat fir-*  
 lib. vij. c. *mitatem.* Et VIII. Synodus, qua nulla Sanctæ Sedi obedientior extitit:  
 vj. *Sanctissimi Vicarii Senioris Romæ, & nos qui reliquarum Sedium Vicarii*  
 Sup. ib. *sumus, hæc omnia dissolvimus\*, gratia Domini nostri JESU CHRISTI,*  
 c. xxx. *qui dedit nobis summi Sacerdotii potestatem justè & congruè ligandi & solvendi.*  
 Conc. vij. En qui Papæ consultores atque Vicarii habeantur. Tum illud: *Spiritus enim*  
 T. vij. pag. *sanctus, qui locutus est in Sancta Romana Ecclesia, credimus, quod & in no-*  
 554. *stris Ecclesiis locutus exiterit.* Meminerant enim illud: *Visum est Spiritui*  
 Sup. ib. *Sancto & nobis:* quæ Legati Apostolici pronis animis susceperunt, atque  
 cap xxxij. *adjecere insuper ad Imperatorem: Sanctissimus Papa nos famulos suos direxit*  
 Conc. viij. *in hanc urbem, ad manifestationem veri & justì judicii in conspectu imperii*  
 aet. vj. T. *pe sacra- & sanctæ universalis Synodi; ita ut non habeant, (Photiani scilicet)*  
 viij. p. 1049 *bus se Pho- vocem appellationis vel repedationis; sed quemadmodum jam judicati sunt &*  
 \* Nem- *dejecti, in sæculum maneat.* En in quo vim summam collocarent; cum  
 pe obliga- *scilicet Capiti universa se Ecclesia conjunxisset; quam modestiam omni ela-*  
 rant. *tione firmiorem qui infringere satagant, Sedis Apostolicæ Principatum*  
 Conc. *extollunt in speciem, re ipsa deprimunt, invidiamque tantum non ve-*  
 viij. ib. p. *ram auctoritatem conciliant.*  
 1056.



## V I I I.

*Hæc absurda & invidiosa etiam esse inania, neque prohiberi posse quin ad Ecclesiæ consensum necessario recurratur: ex Cathedra pronunciari quid sit.*

**A**T illa importuna, nimia, invidiosa sectati, nec sic proficiunt: huc enim illis res redit, ut quantumlibet judicante Pontifice, tamen ad ultimum fidei stabiliendæ robor consensu Ecclesiæ requiratur; quod ita conficimus.

Sanè qui Pontificem ut Pontificem errare posse negant, non eandem ineunt viam, neque omnes conveniunt, illud pro Cathedra pronunciare, quid sit. Turrecr. sic docet: *Si Romanus Pontifex efficitur hæreticus, ipso facto quo cadit à fide Petri, cadit à Cathedra & Sede Petri, ejusque judicium non esset judicium Apostolicæ Sedis.* Quid ergo? Repetendum, donec verum pronuntiet. Unde autem vera dixisse contabit, nisi cum Ecclesia consenserit? Turrecr. sum. de Eccles. lib. ij. cap. cxij. fol. 160. mal. 258.

Nihil horum refugimus: placet non imputari Sedì Apostolicæ, si quid erit noxium, si quid erroneum, si quid alienum; quæ Sanctus Antoninus paulo enucleatius explicare visus est. Is quidem sic distinxit: *Papam ut personam particularem, ex motu proprio agentem errare posse in fide: at Papam ut personam publicam errare non posse.* Personam autem publicam sic interpretatur, *utentem consilio & requirentem adjutorium universalis Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam.* Anton. sum. Theol. par. iij. c. iij. §. iv. p. 410. vers.

Sit ergo Pontifex ex officio interpret Ecclesiæ quoties avita & Ecclesiæ tradita interpret attulerit, toties à Cathedra dixerit; toties Pontificem, personamque agat publicam: privatus habeatur Doctor, teste Antonino, cum ex motu proprio in fidei negotiis egerit.

Hinc idem Antoninus Pontificiam definitionem valere quidem dicit summa & ultima firmitate; sed *acceptam, examinatam, approbatam*, quemadmodum mox retulimus: ut cum varii varia, de eo quod sit pro Cathedra dictum, attulerint, certissimum signum sit pro Cathedra esse dictum, cum Ecclesiæ consensus accesserit. Sup. n. iij. & Ant. part. iv. &c.

Decorum magnificumque Pontifici, ut pari ferè loco, atque Concilia generalia habeatur. Certum est apud Catholicos Concilia generalia infallibilia esse; at cum dubitari possit, Conciliumne aliquod generale sit, id ex Ecclesiæ consensione reperatur; ita certum firmumque, si velint, habeatur, Pontificem pro Cathedra docentem esse infallibilem; at cum dubitari possit, an pro Cathedra dixerit, adhibitis omnibus conditionibus, ultima nota ac tesserà sit Pontificis ex Cathedra docentis, cum Ecclesiæ Catholicæ consensus accesserit.

Id si Romæ placeat, pacique profuturum sit, haud equidem contradixerim; sed alia Bellarmino ac Duvallo placent. Placet quippe Pontificem, quoties adhibita formula aliquid Ecclesiæ proposuerit, saltem cum anathemate, esse



esse infallibilem . An vel sic Ecclesiae consensum excludent ? Non sanè  
 Differt. Andreas Duvallius , cujus verba alio loco relata adversus Richerium dispu-  
 præv.n.xxi.tantis , audivimus .

Neque verò Bellarminus , tametsi in speciem asperior summa ipsa discre-  
 Bellar. pat. Is enim est , qui dixerit , *Definitiones de fide præcipuè pendere ex Tra-*  
 lib. iv. de *ditione Apostolica & consensu Ecclesiarum ; ut autem cognoscatur , quæ sit to-*  
 R. P. cap. *tius Ecclesiae sententia , & quam Traditionem servant Ecclesiae , non esse aliam*  
 vij. sup. lib. *meliozem rationem , quàm ut conveniant Episcopi ex omnibus Provinciis , & quis-*  
 viij. c. xx. *que referat Ecclesiae suæ consuetudinem , addit , necessaria videri Concilia ;*  
 Ibid. *quia nonnulli aperte dicunt , Summum Pontificem potuisse errare : quorum*  
*nullam rationem haberi oporteret , nisi aut vera , aut saltem probabilia*  
*dicerent .*

Quare quidquid illud est , quod Bellarminus dixerit , Parisiensium sen-  
 tentiam sibi *videri erroneam , atque hæresi proximam* ; sanè intellexit suum  
 illud , *videri* , minimè prohibere quominus ea sententia adeò probabilis  
 videatur , ut in celebrandis Conciliis & quæstionibus summa & indeclinabili  
 auctoritate finiendis , ejus rationem haberi necesse sit .

Neque aliud , si satis attendimus , Patres Gallicani voluerunt . Hic enim  
 patere volumus Gallicanæ Declarationis arcanum ; Gallicanos Patres non  
 id edixisse , ne Romanus Pontifex infallibilis haberetur , de quo in scholis  
 tantæ rixæ sint . Procul has scholæ voces rixasque habuerunt ; non id Epif-  
 copale suumque æstimarunt . Ad praxim maxime respicere placuit ; atque  
 illud pro certo figere , utcumque scholastica ac subtilis quæstio , se habeat ,  
 tamen convenire inter omnes Catholicos , Pontificium decretum non haberi  
 pro irreformabili , neque ultimum robur esse consecutum , nisi Ecclesiae  
 consensus accesserit . Quo Dogmate constituto , tota infallibilitatis quæstio ,  
 speculativas inter , vanasque quæstiones , habeatur .

Hunc in sensum si accipi placet Gallicanam Declarationem , non ipsi  
 Gallicani Patres , credo , refugient . Ego verò toto hoc tractatu id egi , ne  
 tantoperè pro ea infallibilitate litigent , quæ dubia saltem [ pro dubia enim  
 habemus in fidei negotio , quæ fide certa non sint ] nunquam conciliare possit  
 Pontificiis decretis certam & indeclinabilem auctoritatem ; ut & illud omit-  
 tam , nimis incredibile & absurdum videri , infallibilitatem , tantum munus  
 à CHRISTO Pontifici traditum , necdum Ecclesiae revelatum fuisse .  
 Interim quæ Sedis Apostolicæ Majestatem decerent , & certa Traditione  
 constarent , asserui clariùs , quàm ut in dubium revocari possint . Nempe  
 in Sede Apostolica semper vivere , ac victurum Petrum fidei Principem ; neque  
 successionem ejus unquam à fide abruptam , & Catholicam fidem ad  
 finem usque sæculi , non aliam quàm Romanam futuram ; ex qua fide quo-  
 ties Romanus Præsul dixerit , tunc ex Cathedra dictum videri . Atque his  
 confido , me talem exhibuisse Papatum , qui refecatis dubiis , incommodis ,  
 invidiosis omnibus , ad hæc inanibus ; sanctus & sanus , omnibus gratus ,  
 venerandusque habeatur ; præterea tam sit ad fidem stabiliendam sufficiens ,  
 ut neque Duvalius , neque Bellarminus , quantumlibet infensus , atrox-  
 que esse videatur , aliam postulent sufficientiam .



## IX.

*De regenda disciplina discrepantes in speciem sententias summa ipsa convenire. DUVALII loci. Item locus Anonymi, qui de Gallicanis libertatibus scripsit.*

JAM ergò magna & Apostolica Sedes, ex Declaratione Gallicana, secundum Mennam, circa fidem obtinuit, quod suum est; nempe ut eam tueretur; quod est præcipuum Ecclesiastici regiminis officium. De altero, quod ad servandos dispensandoque canones spectat, audiamus.

Hic verò, iam icio, nihil difficultatis occurreret, si quæ in confesso sint advertantur: namque Ecclesiam, & canone regi, & canones interdum relaxari oportere constat; neque quis diffitetur.

At enim forte id postulant, ut Papa pro plenitudine potestatis, supra omnia Concilia in omnibus, pro arbitrio dispensare possit. At non ita Antoninus; tamen enim negat Papæ à Concilio præigi posse legem, id tamen addit: *Dico quòd in convenientibus universalem statum Ecclesiæ, non potest Papa disponere contra statutum Concilii, si statuendo decoloraretur status Ecclesiæ.* Ita Turrecremata; ita omnes etiam Pontificiæ potestatis studiosissimi confitentur.

Quid Duvallius? quæstione, an sit absoluta Ecclesiæ Monarchia, hæc habet: *Non potest suprema illa potestas (Romani Pontificis) statum Ecclesiasticum in toto, aut in parte minuire, nedum evertere: verbi gratia; uni eisdemque sexcenta beneficia conferre: pueros ad Episcopatum promovere; ritus etiam generaliter per Ecclesiam ab omni ævo inviolabiliter observatos abolere, &c. sic enim Ecclesiæ dignitas & splendor maximè minueretur, & ad certissimum exitum devolveretur.*

Enumerant Theologi Canonistæque canones longe plurimos quos Romanus Pontifex rescindere nequeat: verbi causa, canonem *lææ sententiæ* (a) adversus percussores Clericorum; quod, eo rescisso, Ecclesiasticus status decolorari videretur: quasi non alii sint innumerabiles, quibus conculcatis honores Ecclesiæ deflorescat magis.

Quin addit Duvallius, Benedicto XIII. meritò *denegatam obedientiam*, non modò quòd schismaticus esset, sed quòd de Ecclesiasticis beneficiis, contra jus fasque, in detrimentum Ecclesiæ statuere præsumeret. En quot canones Romanæ potentie invictos esse constat. Quid eos qui non universam, sed tamen singulares pessundent Ecclesias? An Romanus Pontifex abolere, & alios canones pro arbitrio statuere potest? Anonymus libertatum Gallicanarum oppugnator audiatur. Is uno verbo rem conficit; sic namque decernit: *Nihil differre Gallicanam nationem à cæteris, in acceptandis, vel recusandis legibus Ecclesiasticis; siquidem nulli non licet legum executioni supersedere,*

[a) *Tata Sententiæ.*] Excommunicatio non est diversa ab ea quam canonistæ vocant, ipso jure, ipso facto, Vid. Evcill. Trait. de l'excom. cap. XII. p. 117.

Sup. lib.  
xj. integ.

Anton.  
sum Theo.  
part. iij. tit.  
xxij. c. ij.  
§. vj. p. 416.

Duval. de  
sup. R. P.  
&c. part. i.  
quæst. ij. p.  
88 part. iv.  
quæst. ix p.  
615. edit.  
t. 14.

Duval. lib.  
p. 89.



Anon. *sedere, si vel annuat Ecclesia, vel pensatis rerum, locorum ac personarum*  
 tract. deli- *conditionibus, injustum sit ejus mandatis ad literam servire. En quid de*  
 bert. Gall. *abolendis statutis veteribus, novisque inducendis fiant, qui nos vexa-*  
 lib. ij. cap. *tos volunt.*  
 xij. n. 4.

sup. lib. xj. An autem supersedere tantum, non verò novam legem in totum res-  
 c. xxij. pueri liceat, sequentia demonstrabunt: *Si is erat in Gallia rerum status,*  
 lb. n. 5. *ut ei sicut cæteris Provinciis Orbis Christiani, leges illæ non convenirent,*  
*jure naturali & ipsa Legislatoris intentione, ab earum executione liberi exti-*  
*terunt. Quid Gallos exagitant libertatum defensores, si cæteræ gentes, alio*  
*sub titulo, aliove ritu, idem jus observent & exerceant?*

At enim, inquires, se tutos Galli putant non modò naturali jure, aut  
 intentione Pontificis, sed etiam Concilii Generalis auctoritate superiori?  
 Quid autem? An idè in nos Vaticana ab arce fulmina detonabunt, quòd  
 Concilii Generalis decreto legem naturalem, ac Pontificis intentionem con-  
 gruere rati, omnia in unum conjungimus, ac disciplinæ Ecclesiasticæ  
 servire cogimus?

Nempe, inquiunt, in Pontificem canonum everforem, a Concilio pro  
 potestate, animadverti posse dicitis. Quo enim pertinebat Concilii Constan-  
 tiensis allegatus canon? Nonne ut constaret Pontificem Concilio contuma-  
 citer inobedientem, *debite puniendum*? Jam ergò non nos Galli; sed  
 tanta Synodus, pacis Ecclesiasticæ instauratrix vapulat.

Conc. Const. sess. v. Dion. Carth. de aut. Pap. &c. part. i. art. xxxiv. fol. 342. vers. Dried. de libert. Christ. diff. xl. cap. vj. Bell. Rosell. & alii pass. Ad enim Constantiense Concilium de dubio Pontifice interpretandum  
 erat. Absurdum. Fac tamen, ut mollioribus auribus parceremus, vim Con-  
 cilio illatam, totaque ejus verba. Quid deinde proficiant? Nempe osten-  
 dimus, scandalosum, & contumacem, utpote jam hæresis suspectum, pro  
 dubio, imò pro nullo Pontifice haberi ab optimis, ac Pontificiæ potestatis  
 studiosissimis Doctoribus. Quid quòd mitiores ne sententia quidem, si rectè  
 advertatur, sed verbis tantum ab aliis discrepant? Hoc ergò peccamus,  
 quod Parisiense, imò Concilii Constantiensis simplicitate magis quàm  
 aliorum ambagibus, ac subtilitate delectamur? Certè bonus & æquus Pon-  
 tificex nihil metuit ab illis extraordinariis casibus, qui vix mille annis eve-  
 niant, uti ex Joanne Majore discimus. Sed tamen mortalem tanta pote-  
 state pæditum, tot tentationibus obnoxium, tanta adulatione circumda-  
 tum, aliquo canonum metu coerceri oportet.





## X.

*Sedis Apostolicæ Majestas & potestas.*

**H**IC subit admirari Romanam potestatem uniendæ Ecclesiæ natam , unde perducamur ad æternam charitatem , qua in Deo unum sumus .

Petrus ergo & Petri successor , ne inter se dissentiant Ecclesiæ , communis Traditionis interpres ; ne incertis motibus fluitent , communium canonum executor , Sede Apostolica auctore , vel probante confectos custodit & vindicat . Hæc habens & exercens Apostolica Sedes : tanta antiquitatis auctoritate viguit , ut postea , fidens dixerim , imminuta magis quam aucta esse videatur .

Ea ille Leo Magnus ex Patrum Traditione influentem in omnium animos edit epistolam ; \* Imperatorem adversum nactus , ad Ephesinam generalem Synodum invitus , nec suo loco positus , cogitur , nec auditur . Itaque antiqua condemnatur fides . At ille latrocinalem Synodum valere non est passus ; Imperatoria potestate fretum Alexandrinum Dioscorum fregit ; ad instaurandam cognitionem Imperatorem perpulit ; Chalcedonenfis Synodi auctor , ac deinde executor , ad constabiliendam communem Ecclesiæ fidem , invicta potentia stetit .

\*Ad Flavium .

Eadem exequendi auctoritate freti , Gelasius , ac deinde secuti Romani Pontifices , adversus Imperatores , ac Regiæ urbis Antistites , in Chalcedonensem Synodum rebellantes , nullâ nova Synodo indigere se professi , tanta egere confidentia , tantaque vi , ut Imperatores totamque Orientalem Ecclesiam , ad condemnandos perduelles , sola jam Sedis Apostolicæ auctoritate perpulerint .

Quid ubi nulla Synodus intervenit ? Ecclesiarum consensione freti , haud minus fiducialiter egerunt ; Pelagianos nullo loco consistere passi sunt ; ac superbis ne illud quidem solatium reliquerunt , ut ab œcumenica Synodo damnati viderentur . Quis autem Pontifex posteriore ætate , qua nonnullis potestate aucti videntur , tanta auctoritate tanta gessit ? Tanta potest , auctore & executore Petro , capiti connexa Ecclesiarum fides !

An ideo putamus infirmam Sedis Apostolicæ auctoritatem , quia Ecclesiarum consensum postulamus ? Imò firmiorem . Idem tantum tribuimus Ecclesiis , ut agnoscant \* , ut sentiant , an communis Interpres , satis ex communi Traditione dixerit ; in ea acquiescant \*\* , ( b ) in ea Spiritus Sancti magisterium fungentes .

\*Examine.  
\*\* Judi-  
cum officio  
fungentes .

( b ) *Ut agnoscant , ut sentiant ... acquiescant* ) Multoties audiivi quosdam palam dicere , doctrinam Ecclesiæ Gallicanæ à D. BOSSUET , in illo tractatu , non tam suis nervis instrui , quam quibusdam veluti integumentis involvi . Credo equidem eos , qui talibus calumniis virum maximum insectantur , Gallicanam doctrinam non habere satis cognitam , & penitus ignorare quibus nervis instructa esse debeat Theologica oratio . Hæc enim nisi nescirent , non redarguerent D. BOSSUET , qui , cum nitidius quam quisquam antea Gallicanæ doctrinæ capita proponit , validius defendit , accuratioribus argumentis confirmat , tum temperat diligentissime ab illis decretis aperte nimis , quibus plurimum delectantur multi neoterici scriptores ; ratus nimirum ,

aefas



magisterium collocatum, neque unquam defuturum certa fide credant.

Nec minus invicti fuerunt Romani Pontifices, cum canones ab Ecclesiis, Sede Apostolica, five Auctore, five probante, susceptos vindicarunt. His Constantinopolitanos Præsules alta spirantes, & Principum gratia ferocientes, & à Nestorianis, Acacianisque usque temporibus, Ecclesiæ graves, tanquam in schisma erupturos animo providerent, qua gravitate poterant, coercebant; Orientali Ecclesiæ, quæ novæ Romæ faveret, Nicænos canones opponebant; invictos se rati, quandiu, ut ipsi profitebantur secundum canonum regulas paternorum rem gererent.

\* I. Itaque eorum tanta vis fuit, ut Agapetus \* Papa exul. [c], & supplex  
 \*\* Anthimus. Constantinopolitanum Præsulem \*\* (d) ad pristinam Trapezuntinam Sedem,  
 Conc. contra canones dimissam, amandaret; ab hac quoque dejiceret, nisi  
 C. P. sub rectam profiteretur fidem; ejus sociis certis conditionibus veniam indulge-  
 Memn. vid. ret: ex quo illud, quod hujus Corollarii initio posuimus: *Magna, &*  
 sup. n. 1. *Apostolica Sedes antiquum obtinet, rectam fidem tuens; Sanctarum Ecclesia-*  
 Greg. *rum Sanctiones servans; ubi oportuerit indulgentia utens.*

Mag. indic. Interim cum Episcopis rectam fidem & regulam secutis æquo propemo-  
 r. lib. viij. dum jure agebant. Eulogius Alexandrinus Episcopus scripserat se Sancti  
 epist. xxx. Gregorii Papæ jussa capessere. At ille ea verba, ac jussionis vocem pro-  
 T. ij. pag. cul a se amolitus, hæc ait: *Quod verbum jussionis peto à meo auditu removete:*  
 919. al. lib. *loco enim mihi fratres estis; moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia*  
 vij. ep. xxx. *visa sunt, indicavi.*  
 \* Byzantinus Primas.

Id. lib. An non ergo ille se superiorem sentiebat? Id hæretici, id imperiti jac-  
 ix. ep. lix. tent: non enim intelligunt quænam à Domino constituta sit Ecclesiastica  
 p. 976. al. potestatis ratio ac vis. At Gregorius tam modestus, quàm fortis intelli-  
 lib. vij. ep. gebat: *Nam quod, inquit \*, se dicit Sedi Apostolicæ subjici, si qua culpa in*  
 Lxv. *Episcopis*

nefas esse viro Theologo illos transgredi terminos quos posuerunt patres nostri. Quod autem hic Ecclesiis tribuere videatur hoc tantum, ut agnoscant, ut sentiant an Papa ex communi Traditione dixerit, & sic apiescant, nulla esse potest difficultas iis, qui hunc tractatum attentè, non cursim legerunt. Nam D. BOSSUET non semel docuit in toto suo opere, etiam in hoc Corollario, Ecclesias nunquam agnoscere Papæ doctrinam, nisi prius facto examine in illam inquisiverint; & in ejus doctrina tum acquiescere solitas, postquam de illa cum auctoritate decreverint & judicaverint: quæ toties iterata, hic etiam iterari non erat necesse. Hæc dicta sunt in malevolos ac indoctos tanti viri obtrectatores.

(c) Exul.) Non erat exul Agapetus, quanquam non omnino sua sponte Romam reliquerat. Hoc enim tantum memorat Liberatus Brev. cap. ij, Agapetum gravibus minis Theodati Gothorum Regis territum, pro concilianda pace, Legationem ad Imperatorem Justinianum suscepisse.

(d) Constantinopolitanum Præsulem &c.] Anthimus Eutychianus, Trapezuntinus Episcopus, studio & favore Theodori Augustæ, post obitum Epiphaniæ C. P. in ejus locum successus est, consensu etiam Imperatoris, cui ille, multa dissimulando, se esse Catholicum persuaserat; ita ut Justinianus ejus ordinationem ab Agapeto, tunc Constantinopoli degenti, approbati cuperet. At Agapetus nec Anthimum videre voluit, neque cum eo colloqui; quod causa fuit cur Imperator illum interrogaret de duabus in CHRITO naturis. Tunc Anthimum deprehensum Eutychianum Justinianus in exilium misit, & Agapetus Mennam magni Monasterii Abbatem, Patriarcam consecravit. Vid. Anast. vit. Agap. Tom. iv. Conc. p. 1707. & epist. Agap. ad Pet. Hieros. Tom. v. p. 43.



*Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit: cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt. Quam communem regulam omnibus Præpositis esse voluit: Sit, inquit, rector bene agentibus per humilitatem socius; contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut & bonis in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat. Quod ille multis exemplis, Scripturarumque testimoniis prosecutus; sic denique concludit: Summus itaque locus bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur. Itaque ille Gregorius, tam humilis, tam modestus, tam æquo cum cæteris jure usus, summa potestate Constantinopolitanorum Præsulum superbiam contudit, acta Synodica per Sedem Apostolicam dissoluta, cassataque memorat, (e) & antecessoris ea de re sententiam vindicat: neque ullus unquam Pontifex majore constantia Apostolicam auctoritatem exercuit. Quid ita? Quia canones, quia priscas consuetudines, quia omnium fratrum jura æquè ac sua servabat, ut vidimus.*

Id. Reg.  
Past. part.  
ij. c. vj. ib.  
p. 2022.

Lib. ix.  
ep. xij. al.  
lib. vij. ep.  
lxiv. pass.  
in ejusd.  
ep.

Sup. lib.  
xj. c. xij.

## X I.

*Quàm sædam Ecclesiastici regiminis Pontificiæque potestatis ideam adversarii, ac præsertim Auctor Anonymus proferant, quàmque hæreticis faveant, dum Papatui favere velle videntur.*

**A**T Auctor Anonymus qui de Gallicanis libertatibus scripsit, aliam Papatus ideam informavit. Libro enim VI. quo caput III. Gallicanæ Declarationis aggreditur, id agit, ut quia Romanus Pontifex, omnium fidelium Pastor etiam immediatus habeatur, omnia pro arbitrio ad se trahere possit, nullis obstrictus canonum, vel avitæ probatæque consuetudinis vinculis. Ac primum quidem eos affert locos, quibus universa Ecclesia, atque etiam Gallicana Romano Pontifici subiecta sit, quod nemo nostrum negat. Atque id ille sensit. Subdit verò: *Hæc quidem ita in communi dicta negantur à nemine, quia nemini sunt incommoda; sed cum ad praxim deducenda sunt, auctoritas Concilii Generalis, libertas Ecclesiæ, canones & similia opponuntur: quasi verò illa excepta intelligantur in verbis CHRISTI, aut etiam in declarationibus solemnibus \**

Anon. de  
libert. &c.  
tot. lib. vj.

Ib. c. ij.  
\* Quibus  
Episcopi  
Papæ obedi-  
entiam  
profiteban-  
tur.

Eò ergò nos adigit, ut non modò ex solemnibus obedientiæ Romano Pontifici præstandæ declarationibus, sed etiam ex CHRISTI verbis ad omnia extraordinaria & arbitraria teneamur: ut, quia CHRISTUS generalibus verbis Petro dixerit, *quodcumque ligaveris, quodcumque solveris*; jam neque Ecclesiæ libertatem, neque canones, neque Concilia generalia allegare liceat.

Sanè

(e) *Acta Synodica .... dissoluta memorat;* nempe Constantinopolitani Concilii an. 585. quæ Pelagius II. Gregorii antecessor ideo rescidit, quod Joannes, dictus jejunator, C. P. Antistes se *Episcopum universalem* appellasset. Miror Sanctissimum Patriarcam Mennam illo superbo nomine ubique appellari in Concilio C. P. An. 536.



Sup. tot.  
lib. xj.

Ibid. c.

viii. vid.

quoq. lib.

ix. c. xxj.

Diff. Præv.

nu. lxxx.

lxxxj.

lxxxij.

Vid. lib.

xj. c. xvj.

xvij. xvij.

xix.

Sup. lib.

vij. cap.

xxxvij.

Durand.

de mod ce.

leb. Con.

&c. vid.

disert. n.l.

Sup. lib.

xj. c. xvij.

Sanè ille prævidit obstitura sibi primorum sæculorum tot ac tanta documenta, quibus Romanus Pontifex, antecessorum quoque auctoritate, canonibus servire jubeatur: quæ nos libro XI. executi sumus. Quo loco id etiam ostendimus, promissam sanè obedientiam, sed secundum canones, & jure servato; cui etiam professioni, Romanorum Pontificum antiqua professio responderet. At Anonymus, ne prisca illa Traditio, verborum CHRISTI interpretes sibi objici possit, commento illo cavet quod jam confutavimus.

Ergone, inquires, nulla tunc canonum relaxatio; imò aliqua, non promiscua; extorta necessitate, non ad libitum proflua; provida & modesta; non quæ se super omnia jura superferret. Hæc ad XI. usque sæculum permanasse; hæc omnium cordatiorum, præsertim verò Gallorum animis inhæsisse; hæc in Concilio Constantiensi stabilita esse; hæc paulò ante Constantiense Concilium, à Durando Mimateni, Clemente V. jubente, scripta esse vidimus. Ille per dispensationes & exemptiones, impunem regnare licentiam, ac perdita esse omnia conclamabat; ille per Synodos generales his adhiberi modum, utque Ecclesia Romana, non omnia ad se traheret, ne omnia perderet, postulabat. Cætera alibi memorata, ac præsertim egregiam illam, jubente Paulo III. de reformatione Ecclesiæ summorum virorum consultationem, atque ipsa decreta Tridentina prætermittimus. Quidnam ergò illud esse dicemus, quo potestatis Pontificiæ, secundum Anonymum, totus sese fulgor explicuit? An cum non jam ferè tutandis canonibus, sed exemptionibus, dispensationibus, reservationibus, denique extraordinariis arbitrariisque mandatis & imperiis eminere cœpit auctoritas, cum Papa longè positus, tot capitula, tot Monasteria, de quibus ne cogitare quidem vacat, immediate regenda suscipit, proprios arcet Episcopos, atque ab iis suum quoque Clerum avellit; cum Episcopalem jurisdictionem in Monachos atque in mulieres effundit, aut effulam tutatur; cum denique Romana Curia Episcopos veluti adversos habere, in tot exemptis præsidium ac firmamentum, ponere voluisse visa est? Hiccinne ille est Ecclesiæ Romanæ fulgor explicitus? An fumus potius? At nos ex illo fumo dari lucem votis omnibus supplicamus. Id in Concilio Tridentino, pro temporum quidem necessitate, inchoatum Ecclesiæ gratulamur; certòque statuimus, nunquam Ecclesiæ Catholicæ, nunquam Sedi Apostolicæ suam dignitatem constitutam, nisi defensis canonibus, adscriptisque Episcopis, quos ipse CHRISTUS adjutores dederit.



## XII.

*Quam falsò afferant Gallicana Declaratione contentam doctrinam dissidiorum occasione proditam aut innovatam : Cleri Facultatibusque Parisiensis antiqua monumenta replicantur : nova etiam produntur : quædam Gallis malevolentissimè ab Anonymo objecta refelluntur : votum auctoris ejusdemque erga Ecclesiam Catholicam Sedemque Apostolicam devotus animus .*

JAM luce est clarius pessimè objectum Gallis , quòd de Sede Apostolica , male sentiant , cujus dignitatem confirmare & illustrare non cessant . Sed quandoquidem auctor Anonymus tractatu de libertatibus Gallicanis , ea de re mendacissimè ac malevolentissimè scripsit , non teremus Christianissimi Regni impunè violari Majestatem .

Ac primum grave illud est , quod semel atque iterum inculcat , à Bonifaciani dissidii tempore , Gallorum in Sedem Apostolicam studia repressisse : cum , ut cætera omittamus , id etiam imperitissimis rei historicæ notum sit , post ea dissidia , sub Benedicto XI. & Clemente V. aliisque Pontificibus , Curiam Pontificiam translata ad Gallias , atque Avenionem toto fere sæculo residentem , cum Gallicano Regno conjunctissimam , ejus obsequiis floruisse . Sed nos insulsißimum commentum jam confutavimus .

At Anonymus graviora protulit . Nempe & id scribere ausus : quæ à Gallis Scriptoribus de Romani Pontificis auctoritate proferuntur , *avitam ac ferè ingentum testari illius nationis erga Sanctam Sedem studium magis fortè quàm modernorum affectum* ; tanquam ab eo studio moderni desciverint . Postea : *Quòd Galli aliquibus schismaticorum nomine suspecti sunt , aut inimicorum esse invidiam aut politicorum minas .... aut fortè justum piorum metum ; ne si crescat Pontificiorum mandatorum neglectus , in contemptum transeat , qui à schismate solet non longè abesse* : quasi jam Gallis solemne sit Pontificia mandata negligere . Gravius & acerbius illud : *Ferè pœnitere Galliam , quòd olim Sanctam Sedem tanta reverentia prosecuta fuerit , tanta humilitate audierit , tanto zelo defenderit* . Ad illud durum & abominandum de Gallicanis etiam Antistitibus dictum : *Frustra Antistites Gallicani auctoritati Pontificiæ gravissimum vulnus illaturi honorifica præfatiuncula ferrum occultant* : ut parum esse videatur , quòd Romano Pontifici adversentur , nisi etiam blandientium ac venerantium specie , parricidiales manus inferant . Quo argumento ? Qua probatione ? Nulla : nisi quòd avitam , Ecclesiæ Catholicæ Sedique Apostolicæ salutarem , certè tot retrò sæculis , à studiosissimis Sedis Apostolicæ defensoribus pro innoxia habitam , sententiam , nulla cujuscumque offensione proponunt .

Et quidem toto Anonymi tractatu ipsam illud : priscas illas de Ecclesiæ Catholicæ & Conciliorum generalium auctoritate sententias , in Gallia tunc esse prolatas , cum Reges à Romano Pontifice dissiderent . In his igitur Gallos

Anon.  
lib. r. c. xvj.  
n. 2. lib. iij.  
c. ix. n. 3.  
Sup. lib.  
iij. c. xxij.  
xxiv. xxv.  
lib. iv. cap.  
xxij. lib. x.  
c. xxv.

Anon.  
lib. vj. c. ij.  
num. 1. 2.

Id lib.  
xj. Præf.

Id. lib. vij.  
c. 1. n. 3.  
Id. lib. iij.  
c. vij. n. 9.  
ro. lib. vij.  
præf. n. 1.  
ib. c. vij.  
n. ij. lib. ix.  
c. x. n. 3. 4.  
in conclus.  
oper. n. 13.  
& pass.



Gallos *Aulæ desiderii obsecutos, atque alicujus spei vel timoris impulsu esse permotos*; quin ipsos Episcopos Gallicanos anno 1682. *odiosam & importunam obsecisse doctrinam, ut Summum Pontificem ab executione Lugdunensis de Regalia (f) canonis deterrerent*. Sed hæc quàm falsa sint, quàmque iniquo animo exprobrata, alia Ecclesiæ Gallicanæ acta testantur.

Sup.lib.  
vj. c. xxj.

Vetusta omittimus; posteriorum sæculorum exempla proferimus. Nullum sanè erat Christianissimo Regno cum Martino V. dissidium, cum sacra Facultas Joannem Sarazinum, qui Conciliarium statutorum vigorem in Summo Pontifice reponeret, repellebat & ad ista adigebat; quòd *tota auctoritas dans vigorem statutis Conciliaribus, residet, non in solo Pontifice, sed principaliter in Ecclesia Catholica, & Spiritu Sancto*.

Ib.c.xxij.

Nullum erat dissidium cum Romanis Pontificibus, eo tempore quo eadem Facultas ad hæc Lutheranos compellebat, ut Ecclesiæ Catholicæ, & Conciliorum generalium determinationes absolute admitterent; decreta verò Romanorum Pontificum ita, *si ab Ecclesia recepta, & approbata essent*.

Ibid.

Nullum erat dissidium, cum editis adversus Lutherum articulis, Ecclesiasticam potestatem exponere aggressi, Pontifici quidem suam; at ut errare non posset, non nisi Ecclesiæ Catholicæ & Conciliis generalibus tribuebant.

Diff.præv.  
num. xiv.

Nullum erat dissidium, cum toti Orbi Christiano Tridenti collecto, atque ipsi Pio IV. testatum volebant, se in Constantiensibus, iisque conjunctis Basileensibus decretis persistere, ac porro perituros, neque laturos unquam, ut Sacrosancta decreta ulla vel ambigua formula læderentur.

Proc.verb.  
de la Cham-  
bre Ecclef.  
1614. du  
Mardi 30.  
Decemb.  
Mem. du  
Clerg.T.r.  
p.198. ed.  
1673.

Recentiora ac nostri sæculi exempla postulas? Nullum erat dissidium anno 1614. cum gravis illa exitit de tertii Ordinis articulo, ac Regum suprema auctoritate dissensio: & tamen in actis Ordinis Ecclesiastici conscriptum legimus: lecto articulo Patribus visum, *eo articulo sterni viam ad schisma; ac fieri ut civiles Ordines nulla auctoritate, nec potestate legitima de verbo Dei judicent, decernantque quid illi congruat; damnent ac ligent conscientias; quæ auctoritas Concilio Generali & Ecclesiæ universæ spirituali potestati reservata est*. Quo etiam die pomeridiano conventu iteratum, *hujus quæstionis judicium Concilio Oecumenico reservatum*.

At enim, inquis, non hîc tractabant quæstionem, neque Conciliarem potesta-

(f) *De Regalia*. Adeo inconsulte quæstiones tractat D. CHARLAS, ut illa ferè omnia, quibus Cleri Gallicani causam conclamata vult esse, in hujus causæ præsidium nullo labore adduci possint. Sic est Canon. XII. Sess. XV. Concilii Lugdunensis, quem allegat. In eo enim canone, illi tantum qui *Regalia ... de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum ... vacantium occupare præsumunt ... excommunicationis sententiæ subjiciuntur*. Deinde additur: *Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum ... fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudentes abstineant ... quòd ea quæ non pertinent adfructus ... non usurpent, nec bona cetera ... dilabi permittant, sed in bono statu conservent*. Tom. xi. Conc. p. 982. 983. Atqui hæc firmant, nedum infirmant Regalia quæ sunt ex antiqua consuetudine. Porro P. SIRMOND Jesuita & Petrus DUPUY multis & validissimis argumentis probaverunt ex antiqua consuetudine esse Regaliæ jura quæ sibi Reges Galliæ vindicant; qui etiam credunt his juribus usos fuisse primæ stirpis Reges. Ergò pessimè à D. CHARLAS allegatur canon ille Lugdunensis.



potestatem cum Pontificia comparabant. Rectè. Tantò ergò magis, quæ animis erant infusa, nullo contentionis studio proferebant; arduam quæstionem, summaque inter Catholicos dissensione agitatam, ubi etiam de Papæ Auctoritate quæreretur, *Concilio Œcumenico*, sive ut explicitius in superiori congregatione dictum erat, nec jam repetere necessarium, *Concilio Œcumenico & Ecclesiæ Catholicæ potestati* interuebant; de fidei quæstionibus terminandis communem Cleri consensum simplici animo testabantur; Sancti & Orthodoxi mirificas laudes à Paulo V. Summo Pontifice, Brevi speciali edito, referebant.

Nullum erat dissidium Anno 1625. cùm Clerus Gallicanus Stephani Louytori Decani Nannetensis, Apostolicæ Sedis auctoritate prolatam sententiam adversus Episcopum Leonensem, declaratione edita, impiam, sacrilegam, nullam esse ceniuit! (g) accepto deinde nuncio declarationem à Summo Pontifice esse abrogatam, Regi Christianissimo totius Cleri nomine supplicavit: si res pacificè neque Romæ, neque in Gallia componi posset, *permitteret Nationale Concilium, ut consuleretur quid fallu opus esset, & ut Concilium Œcumenicum peteretur*. Concessum à Rege, cum Legato actum, missum Romam \*commonitorium, allatumque imprimis, non potuisse à Papa contra tot Episcopos discerni, nisi illis auditis, dataque commissione in partibus, juxta concordata & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ; ab Episcopis Gallicanis postulatum Nationale Concilium; ac nisi Breve Apostolicum premeretur, daturus ibi operam, ne quid libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ detrimenti caperent. Quid piura? Pressum Breve; Louytorius à sententia destitit; Leonensi Episcopo satisfecit.

Nullum erat dissidium anno 1650. cùm occasione viri Illustrissimi Renati de Rieux de Sourdeac, Episcopi Leonensis à Commissariis Apostolicis depositi, atque aliorum Commissariorum sententia (h) restituti, veritus est Clerus.

(g) Nullam esse censuit. Rem ut gesta est narrabimus. Summus Pontifex Doctores GALLEMANT & DUVAL ac P. DE BERULLE Congregationis Oratorii Præpositum Generalem, tam in spiritualibus quàm in temporalibus, præfecerat omnibus Monasteriis Monialium Carmelitarum in Gallia constitutis. Plurimi autem Episcopi intercesserant, ne Bullæ & Brevia Apostolica ea de re missa executioni darentur, quos inter D. DE RIEUX Episcopus Leonensis enixe contendebat, Episcoporum auctoritatem in Moniales eam esse, quam Papa nullo decreto, nulla Bulla posset convellere. Itaque Moniales Carmelitas Morlaenses suæ Diocesis, quæ ultrò Episcopali suæ jurisdictioni se submiserant, transtulit primum in domum suam Episcopalem, & inde in castellum Breitiæ. Verùm D. DE LOUYTRE delegatus à Cardinalibus DE LA ROCHE-FOUCAULT & DE LA VALETTE, ut in ea causa Papæ nomine judex esset, venit Leonam; ibi que, lata sententia, jussit Moniales anathemate innodari, Ecclesiam Cathedralē Leonensem interdicti, & ipsum Episcopum ab omni ministerio Episcopali suspendi, nisi intra decem dies dictas Moniales ad Papæ obedientiam reducere conaretur. At Clerus Gallicanus indignè ferens D. DE LOUYTRE hæc tam multa tantaque nullo jure fuisse molitum, illud egit, quod hic à D. BOSSUET narratur.

(h) Commissariorum sententia. Reus Majestatis postulatus fuerat D. DE RIEUX Episcopus Leonensis; eò quòd opera sua & consiliis favisset: Mariæ Medicæ Regis matri è Regno fugienti, ipse apud Belgas absque Regis licentia esset commoratus, quo tempore reum non parvam contrabationem in Regno creaverat Reginæ matris & Gastonis fratris Regis fugæ. Quapropter de Sede sua dejectus est an. 1635. judicio DD. DE BARRAULT Archiepiscopi Arelatensis, BOUTHILLIER Turonensis Coadjutoris, DE NOAILLES Foriopolensis, DE HARLAY DE SANCY Maclovienensis Episcoporum, quos Urbanus VIII. Commissarios in hac causa delegaverat. Quie-

Ib. T. i. part. i. tit. i. c. i. n. 14. 15. vid. recueil. des piec. concer. l'Hist. de Louis xiiij. T. iv. pag. 310. & seq. \* Ad Oratorem Regium. Ib. n. 26.

Ib. n. 37. 41.



Clerus ne Provinciarum juri & canonico ordini noceretur. Itaque solemnī protestatione edita, & Nuncio rite intimata, id egerunt, ut *Episcoporum judicia, congregatis in Synodo Provinciæ Patribus, salvo jure appellationum, ad Romanam Sedem antiqua canonum auctoritate reservarentur; neve Apostolicis literis ullum sibi præjudicium fieri possit; neve trahantur eadem in exemplum, quo quisquam sibi putet contra salutarium reverentiam regularum temerè quid licere. Sic cavebant ne adversus canones extraordinaria & arbitraria mandata valere putarentur.*

Sup. lib.  
vj. c. xxvj.

Nullum erat dissidium anno 1656. cum sacræ Facultatis jussu, postulantibus ac probantibus Episcopis, in ordinario ac frequenti consensu Lutetiæ congregatis, à Francisci Guillovii Thesi hæc præsertim eruta sunt: *Concilia ad melius convocari; in his, à Pontifice auditis Episcoporum sententiis ac judiciis pro sua auctoritate certoque & infallibili charismate, verbum fidei pronunciari. Substitutum illud: Episcoporum jurisdictionem esse juris divini, & esse immediatè à CHRISTO, eosque in Conciliis Generalibus verè esse judices; atque in his ex eorum judicio Summum Pontificem pronunciare.*

Sup. lib.  
x. c. xvij.  
xviij.

Denique nullum erat dissidium, cum per eadem ferè tempora tot adversus Jansenium acta confecta sunt, laudatique à Romanis etiam Pontificibus Episcopi Gallicani; cum tamen prisce disciplinæ Traditionisque memores, Pontificias Constitutiones ita admitterent exequendasque mandarent, ut à se facta deliberatione, datoque judicio, acceptatas & interpretatas, ut ex actis publicis fusc docuimus.

Anon.  
lib. viij.  
præf.

Memorat Anonymus lib. viii. inculcari frequenter ab Episcopis Gallicanis, jurisdictionem Episcoporum ita esse de jure Divino, ut eam à S. Sede neutiquam accipiant; eo fine, ut Summum Pontificem à proferendo circa controversiam de Regalia judicio deterrerent; aut si quid pronunciaret, minoris videretur esse auctoritatis. Tum in eodem libro hæc habet: *Abstinuissimus ab hujus quæstionis tractatione, non solum propter ejus difficultatem, sed etiam quia, cum sacrum hunc Ordinem maximè veneremur, displicent nobis quæcumque venerationem illam possunt quavis occasione imminuere: nisi animadvertissimus Illustrissimos Episcopos Parisi congregatos suam in Deum jurisdictionem referre tum maximè conatos, cum justis Summi Pontificis decretis repugnabant.* Quis ferat derisorem, reverentiæ specie, talia exprobrantem? Qui

Ib. c. viij.  
n. 1. 2.

Sup. lib.  
viij. c. xiv.  
& pass. tot.  
lib. & seq.

si Ecclesiæ Gallicanæ & sacræ Facultatis acta toties publicata & à nobis relata, amico animo perlegisset: profectò fateretur, jurisdictionem Episcopalem, nullo non tempore, ut à CHRISTO immediatè profectam, apud nos prædicatam; neque nostra aut avorum memoria unquam contigisse, ut quisquam

vit quidem D. DE RIFUX, quandiu vixit Cardinalis DE RICHELIEU, quem in illo negotio sibi adversarium sentiebat, & cujus non immeritò ultricem potentiam ulterius experiri verebatur: Gallicani verò Præsules, licet ferrent ægerime hoc judicium, cum injustum, tum nullo ordine canonico latum, iisdem de causis fluerunt. Sed mortuo Cardinale, Episcopus Leonensis, interjecta appellatione, postulavit ut Innocentius X. judicium in se latum juberet retractari; qui Pontifex an. 1646. septem Episcopis causam, retractandam & suprema auctoritate judicandam commisit; atque tunc demum Episcopus Leonensis innocens omnium sententiis absolutus est. Vid. Mem. du Clerg. Gall. Christ. Hist. de Louis le juste aut. Dupl.



quam hominum contrariam sententiam impunè propugnaret . Quæ nunc , si Deo placet , vir amicissimus & erga Episcopalem Ordinem obsequen-  
tissimus , adversus Pontificem comparata esse prædicat .

Hæc quidem sunt iniquissima ; hoc vero absurdissimum , quod appel-  
lationes ad Concilium generale factas eo nomine elevat , quod , *occasione*  
*diffidiorum , vel schismatis , natum sit genus illud appellationum , tum si*  
*Papa negaret , quod ex parte Regis rogaretur , aut vellet contra ipsum ejus-*  
*ve subditos procedere .* Quis enim appellaret , nisi aliquod existeret grava-  
men aut diffidium ? An appellatum vellet ab eo qui omnia largiretur ?  
Cæterum de illis appellationibus , quàm schismate antiquiores sint , quam-  
que non tantum à Gallis , sed etiam ab aliis frequentatæ suo loco osten-  
dimus . Hic quidem commonere volumus , quàm non modò iniqua , sed  
etiam insulsa auctor Anonymus contra Gallos scripserit .

Anon.  
lib.VI.c.I.  
n. 2.

Sup.lib.v.  
c.VIII. IX.  
lib. x. cap.  
xxiii. xxiv.  
& seq.

Cujus etiam generis illud est quod passim exprobrat de dispensationi-  
bus apud Gallos maximè frequentatis : quasi alibi canones purè obtineant ;  
nullæ translationes ; nulla pluralitas ; nullæ commendæ sint ; uni tantum  
Galliæ in dispensandis gratiis desudet Curia ? An quia non quemadmo-  
dum illi laicorum invasiones assidue impropere , ita nos ad invidiam us-  
que objicimus , oppressam ab Inquisitoribus ordinariam potestatem ; erep-  
ta Episcopis de fide judicia , quibus maximè Episcopatus constat ; Ec-  
clesiasticos redditus , per gravissimas pensiones , easque resignabiles in fru-  
cta concisos ; ac beneficiariis nudum propemodum relictum titulum ; alia-  
que hujus generis innumerabilia , à quibus puri sumus , idèò disciplinam  
apud nos profligatam confiteri oportet ; florere apud eos , quos inter ex-  
traordinaria & arbitraria imperia sine more modoque vigent ? Et quidem  
utinam omnes prophetarent ? Cæterum si gloriari oportet , id dicam ,  
quod exteris audimus sæpe memorantes : nullum esse Regnum , in quo  
magis religio floreat , quam hoc Cristianissimum ; nullum , in quo sit  
Clerus doctior , sanctius Sacerdotium , Monastica disciplina castior ac fe-  
verior , morum doctrina purior , Scripturarum & antiquitatum ferven-  
tius studium ; nullam denique gentem , quæ accuratam disciplinam , si  
quis id fortiter aggressus sit , æquiore animo passura videatur .

Anon.  
lib.vi. c.I.  
n.2. & alib.  
pass.

Desinant ergò nos incessere calumniis , tanquam ea , quam Galli tue-  
mur , doctrina è dissidiis orta sit . Cogitent potius nostra memoria , au-  
licis artibus pressam , ultrò postea erumpere ; ac facile promi , quod est  
pectori insitum , Faxit autem Deus , ediscant Ecclesiæ regendæ Principes ,  
Ecclesiasticum regimen , non aulæ flatibus ac motibus ; sed æterna veritate  
ac Patrum Traditione niti oportere .

Denique quod objiunt , cæterarum gentium consensione nos premi , ac  
posse à Pontifice securè damnari Galliam , decreto ex nostris quoque Dog-  
matibus totius Ecclesiæ consensu valituro , tanquam Ecclesia Gallicana , tan-  
ta Ecclesiæ pars , eaque florentissima nihil sit . His quidem objectis , inscitiam ,  
hostilemque animum , non modò adversus Galliam , sed etiam adversus Ec-



clesiam universam produnt. Nempe dum Rex optimus, ac pietate major quam armis, tot egregiis ac immortalibus titulis, id etiam addit, ipso regnante, excisam hæresim in Galliis, tum ipsam Galliam, sub tam pio Principe erroris aut schismatis damnari posse confidunt. Sed frustra sunt. Non ita œcumenici Constantinensis Concilii jacebit auctoritas: non ita Ecclesia Catholica repente mutatur; nec per cæteras gentes, usque aded prostratam veritatem arbitramur, ut ejus apud se tot vetusta, tot recentia monumenta obliterari sinant. Quod si tanta quæstio, tantis Catholicorum altercationibus nobilis, in qua Conciliaris, Papalisque auctoritatis summa vertitur, jam finienda est, non sine œcumenico Concilio eam finiri posse sentiunt: aderit omnium sæculorum firma Traditio: evigilabunt sui memores Episcopi; ac Spiritus Sanctus veritatem vindicabit.

Illud etiam exprobrant, gratam hæreticis esse eam, quam Episcopi Gallicani de Concilii auctoritate Declarationem ediderunt. At nos contra experimur, obstinatis hæreticis eam esse molestissimam, qua calumniandi causas detractas esse sentiant. Qui verò modestiores sunt, ac pacatores, hos in Ecclesiam Catholicam, Sedemque Apostolicam propensiores evadere, toti Ecclesiæ gratulamur.

Act. x. 12.

His ergo intelligimus Petrum ab alto vocari, quemadmodum olim in Actis, ut comedat *quadrupedia & serpentina terræ & volatilia cæli*; mundaque æque ac immunda in sinum congerat, in corpus trajiciat, unitati servet, aut reddat.

Differt.  
præv. n. vii.  
viii. ix. x. xi.

Jam qui Declarationem Gallicanam veram quidem esse, sed tamen præposteram objiciunt; neque Ecclesiasticæ rei conducere, ut ultrò Catholici nova & contentiosa tractent; hos quidem confutavimus; neque iterare piget, à nobis non nova proferri, sed à Majoribus quæsitæ, imò etiam definitæ, quæ Catholicæ Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ æquitatem dignitatemque commendent.

De Regalia, cujus gratia Declarationem Gallicanam exortam esse volunt, alii dixerint. Ego hoc tantum: extensam fortè nullo malo animo, sed ex prætenso, ac dudum præconcepto jure; Regaliam haud tantam esse rem, propter quam jusque fasque videretur, ex Apostolica Sede tantos intentari metus, tanquam omnia ruerent.

Quod ajunt, Declaratione provisæ esse remedia, si quid gravius immineret; arcanorum inscius quid dicam? Neque viri graves fortè succenseant, si tot inter minas, Christianissimo Regno, ex avitis consuetisque Dogmatibus, aliquid præsidii comparetur; quæ præsidia qui Gallis erepta esse velint, cogitent evenire posse ea tempora, quibus ipsis Ecclesiæ, ac Sedi Apostolicæ necessaria esse videantur.

Nunc postquam de suscepta quæstione dicta sunt omnia; de me uno verbo dicam. Ac primum, Deo teste, profiteor, eum esse me, qui Sedi Apostolicæ ac Pontificiæ Majestati impensissimè faveam; & confido fore ut, si qui bono animo hæc quærant, id sentiant; Sedi Apostolicæ suæ & antiquæ  
& tuta



& tuta, humilis pacificusque reddo; hostibus, ne per aliena & falsa eam oderint, consulo; Catholicis hominibus, ne utrimque fortè sint nimii, vera & æqua præmonstrare satago; Gallos meos, ac præsertim Episcopos, nonnullis suspectos, tanquam Sedi Apostolicæ aliquid detractum velint, ab ea contumelia vindico; tuta ab illis esse omnia, priscis exemplis monumentisque probo; Petrum has super aquas tutum incedere, neque frustra trepidare moneo & hortor; utcumque est, securus hanc causam ad CHRISTI tribunal perfero, Si Sedes Apostolica utrique parti, æquo jure consulens, filere interim edixerit, polliceor pariturum; denique ad supremum usque halitum, in Ecclesiæ Catholicæ, Romanæque & Apostolicæ Sedis, in eaque sedentis Romani Pontificis potestate esse me, futurumque profiteor. Ita me Deus salvum velit; ita me Petrus, ita me Pater sanctissimus habeat oviculam ad ejus pedes pro pace Ecclesiastica suspirantem; sub quo incurvari peto altitudinem sæculi frustra intumescens, Turcicamque barbariem, hæreticamque & schismaticam, quocumque loco, vel se exerit, vel latet, superbiam; atque id supplico ab his nostris abesse temporibus, ut hæc tam antiqua, tam sana, audens dixerim, tam pacifica, tam modesta, ferre non possint.

**FINIS.**







# APPENDIX

A D

DEFENSIONEM DECLARATIONIS

CLERI GALLICANI

D E

*ECCLECIASTICA POTESTATE*

AN. 1682.

Tom. II.



# PRÆFATIO

## AUCTORIS.



*Ostea quam edita est* CLERI GALRICANI de Ecclesiastica Potestate Declaratio, multa adversus eam scripta prodierunt. Ac primum divulgati Libelli duo, quorum alteri titulus: Ad Illustrissimos & Reverendissimos Galliae Episcopos, Disquisitio Theologico Juridica super Declaratione Cleri Gallicani, facta Parisiis.

19. Martii 1682. Alter inscribitur: Doctrina quam de Primatu, Auctoritate & Infallibilitate Romanorum Pontificum tradiderunt Lovanienses Sacrae Theologiae Magistri, ac Professores tam veteres, quam recentiores &c. Declarationi Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate nuper editae opposita. Uterque Anonymus. Ab utroque Cleri Gallicani Declaratio non tantum impugnatur, verum etiam proscribitur, ut quae faveat haereticis, Romanum Pontificem dignitate Primatus, Divina ei ordinatione constituti, exuat, & Sedem Apostolicam labefactet; quin etiam exfuscitet Wiclefi errores, à Constantiensi Concilio condemnatos. Miram rem, ut quod Synodus Constantiensis de suprema Conciliorum auctoritate sanxerit, in Wiclefo ipsa proscripserit! Ceterum NICOLAUS DU BOIS, Sacrarum Litterarum in Universitate Lovaniensi Professor Primarius, se disquisitionis Auctorem professus, alias scriptiunculas sparsit, ut si non vi ac pondere, nos numero saltem premere velle videatur. Atque haec apud vicinos Belgas, magnis acta sunt clamoribus. Sic enim Auctores illi de summa Catholica Fidei agi vociferantur; quasi haec quaestiones in Ecclesia nunc primum audiantur, non autem à multis saeculis, nullo erroris, nullo Schismatis metu pertractatae fuerint. Verum ex longinquo gravioris belli metus; nec jam disquisitio aut tractatio, sed censura. Nempe Illustrissimus GEORGIUS \* Strigonensis Archiepiscopus, ac Regni Hungariae Primas, ostentata primum Concilii Nationalis auctoritate (credo ut Clero Gallicano parem Cleri Hungarici auctoritatem opponeret) ipse interim, dum praefata Synodus suo tempore celebretur, cum

quin.

Doct. Lov.  
Præf.

Disq. art.  
iv. p. 21.  
22.

Doct. Lov.  
in fine.

\* Zelepe-  
clini.



quinque fortasse vel sex Episcopis , non est veritus tot Gallicanorum Episcoporum , ipsiusque adeò Ecclesiæ Gallicanæ decreta configere , Cens. Arch. Strigon. vid. in vind. Maj. Scol. Par. propositiones interdicare , proscribere , prohibere ; ut quæ Christianis auribus absurdæ , ac planè detestabiles , atque à Satanæ ministris disseminatæ , blandæ pietatis specie schismaticum virus instillent : etiam eam , si Deo placet , ut jam ceteras omittamus , quæ Regiam potestatem à depositionis sententiis tutam illæsamque præstat ; etiam eam quæ Canonibus moderandum Apostolicæ auctoritatis usum profitetur . Sic omnia subvertuntur ; nec tantum Majestas Regia , verum etiam Ecclesiastica libertas omnis è medio tollitur ; nec jam Canone , sed ad nutum regitur Ecclesia , ac Majorum scita tot Romanorum Pontificum decretis firmata evanescunt . Sic innocui Galli avitas Libertates , avitam doctrinam , publica Ecclesiæ Regnorumque jura , absque ulla cujusquam contumelia , ullave censura propugnantes , indignis proscinduntur modis . Frustra Canonum , frustra Patrum implorant opem . Ecce enim ille Disquis. Art. IX. p. 44. Disquisitor ab Episcopis Gallicanis , minimè fuisse discussos Patres ac Canones , ad quos in hac Declaratione fit relatio ; sed simpliciter allegantibus creditum sibi persuadet . Qui si sacro Cœtui , totque privatis Conventibus per quatuor menses habitis adfuisset ; si discentes audisset Illustrissimos Archiepiscopos Parisiensem & Rhemensem , sacri Cœtus Præsides , totque alios Episcopos doctrinæ atque eloquentiæ laude conspicuos , eos verò maximè , qui ad id negotium deputati , Tornacensem (a) dico , Meldensem , reliquos omnes Sacræ Theologiæ Facultatis Parisiensis Doctores , atque in sacra doctrina versatissimos ; qui quidem , non nisi perpensis Sacræ Scripturæ Patrumque omnium locis , atque Ecclesiasticis ab ipsa Christianitatis origine gestis evolutis dixere sententiam : adhibitis quoque aliis secundi Ordinis deputatis , Parisiensibus Doctoribus & omni eruditione præstantibus viris ; hos , inquam , si audisset , ipsumque adeò Tornacensem Episcopum , tanta pietatis ac doctrinæ laude celebratum , ad universum Cœtum sua & Collegarum sensa referentem ; non pro-

a 2

fe-

(a) Tornacensem .) D. Guilbertus DE CHOISEUIL DU PLESSIS-PRASLIN Convenensis , deinde Tornacensis Episcopus , pietatis studio & plurimæ doctrinæ laude clarissimus , scripsit de religione multa commentaria , & de potestate Ecclesiastica egregiam epistolam ad D. STEYAERT Lovaniensem Doctorem , quæ virum demonstrant in rebus Theologicis versatissimum . Et quanquam illa non superessent hujus viri monumenta , satis esset ad ejus gloriam sempiternam illa gravissima & doctissima relatio an. 1682. coram amplissimo Cleri Gallicani cœtu habita , quam hic laudat D. BOSSUET , quamque nos , diu expectatam , demùm publici juris facimus . Vid. nostram Præfationem .



festò hæc unquam incauta & temeraria de Gallicanorum Episcoporum supina credulitate profudisset.

Interim, cum alii subinde adversus Gallicanam Declarationem tractatus, in Italia, in Germania, in Hispania ederentur, Emmanuel etiam SCHELSTRATUS (b) nova acta produceret, eaque se retenturum arcana jactaret, quibus Basileensis simul & Constantiensis decreta statim conciderent; viri boni gravesque Gallicanos Episcopos Doctoresque hortabantur, ne avitam doctrinam, quæ prisca Ecclesiæ jura ac dogmata continentur, indefensam relinquerent; neque modò confutarent recentiores istos, qui plerumque, levi opera, nihil aliud quàm Turrecrematæ, Cajetani, Bellarminique aliquot argumenta repetebant, verùm etiam rem totam ab origine panderent, atque Ecclesiastica monumenta proferrent, quibus Clerus Gallicanus, tantà doctrinæ pietatisque fama conspicuus, Declarationem suam munitam credidisset.

Ego qui Deputatis ascriptus, publicis privatisque Conventibus interfui, nec tantùm audiui religiosissimos Episcopos, sed etiam quæcunque insigniora, ac memoratu digniora dicerentur, diligenter exscripsi, atque ipsius Episcopi Tornacensis, doctissimam juxta atque eloquentissimam relationem gestis insertam attentè perlegi; præcipue hic momenta percurram, ut intelligat Christianus Orbis, à Clero Gallicano nihil novi prolatum; sed vetustam atque constantem Scholæ Parisiensis totiusque adeò Ecclesiæ Gallicanæ, imò & universæ sententiam repetitam; eamque à Scripturarum fonte, atque Apostolica Traditione manantem. Atque ea me dicturum confido, quæ planè sufficiant ut hæc duo probentur: Primum doctrinam Gallicanam verè Catholicam esse, & ab omni censura ac nota liberam: tum eam doctrinam absolutè esse veram; ac si censura adhibenda sit, adversam sententiam ea animadversione dignam. Addam Corollarium, quo clarum perspectumque sit, Primatum Beati Petri, & Romanæ Sedis, doctrina Gallicana non modò non obscuratum, verum etiam illustratum, confirmatumque esse; tum censores nostros ad

cam

(b) Emmanuel . . . Schelstratus ) Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, antiquitatis Ecclesiasticæ habitus est investigator industrius & diligens. Is cum vidit Gallicanam Declarationem eo imprimis commendari quòd niteretur Constantiensibus decretis, statim vetustos quosdam codices Concilii Constantiensis, à se hinc inde exquisitos, sibi que optimæ notæ visos, vulgavit, ut concussio Declarationis fundamento, ipsa Declaratio rueret. Sed præterquam quòd, & horum MSS. adductarum licet suspicari, & Schelstratus non satis probat acta Constantiensia antea vulgata, à Basileensibus fuisse adulterata; dici potest parva esse & nullius momenti ea quæ in hodiernis codicibus notat ut mutila & interpolata. Vid. Lib. V. Adi quoque dissertationem Gallicam, cui titulus est: *Éclaircissement sur les Conciles généraux &c.*, qua D. ARNAULD exagitat & egregiè confutat Schelstrati absurdas cavillationes.



eum Primatum propugnandum, falsa & dubia cum certis æquè congerentes, id omnino efficere, ut eam penitus doctrinam convellant, quam se præ cæteris tueri gloriantur.

Speramus autem Lovanienses, viros doctos ac pios, cum hæc legerint, non modò ab iniqua censura temperaturos esse, verùm etiam nobiscum ultrò consensuros; certè coercituros, si quidem id valeant, Professore suum NICOLAUM DU BOIS, qui cum alia multa, tum illud præsertim æquè impotenter ac imperitè scribit: Excommunicatos nos esse, aut saltem in periculo ad cautelam (c) absolvendos. Romanos quoque & Italos credimus, si jam liberas voces, Christianas tamen ac modestas, atque ab ipsa antiquitate depromptas audire sustineant, non adeò exarsuros: Pontificem certè, cujus Majestatem in terris maximam, Majorum more tanto studio, tanta religione ac fide colimus, facilè intellectu, quam sincero cultu Sedem Apostolicam prosequamur; quippe quam invictam & immotam, non cæca pietate, aut humanis ratiociniis, sed manifestissima veritate, ac traditionis robore, & Canonum haud minus auctoritate, quàm moderatione præstemus. Neque verò velimus, quod Catholici omnes, summique Pontifices meritò perhorrescant, Ecclesiæ, tanti corporis imbecille esse Caput, ipsum scilicet Romanum Pontificem; sed firmissimum, valentissimum Conciliorum auctorem, Principem, executorem, Canonum custodem, atque ubi res postulet, æquum interpretem, & dispensatorem providum, imò etiam conditorem, fidei & Traditionis toto Orbe terrarum assertorem à Christo institutum; denique adversus contumaces quosque, sive Episcopos, sive alios, in Christi nomine, contemptæ Ecclesiæ præsentem vindicem. Quæ cum in Romano Pontifice, ut à Christo profecta, veneremur; nihil quidquam ab ejus Sede metuimus, sed ad Ecclesiæ pacem cessura omnia, Deo auctore, confidimus. Nos enim hic non nostra argumenta, sed Majorum testimonia & acta referemus; eaque integra & tota, ne fraudi & insidiis locus esse possit. Placuit enim in tanta re perspicuitati potius quàm brevitati consuli; & acta quidem recensemus, non Cleri Gallicani, aut Universitatis Parisiensis (quanquam & hæc quoque, ut quæ cum Ecclesiæ Catholicæ, sedisque Apostolicæ

Consul.  
XII. p. 69.

tra-

[c] Ad Cautelam, ] D DUROIS verba referam. Timendam vobis est, inquit, ne insideritis in excommunicationem; & consequenter debetis petere absolutionem, ad minimum eam quam Canonistæ vocant AD CAUTELAM.



traditione conjuncta sint) sed ipsius Ecclesiæ: neque illa recondita aut latentia; sed quæ in omnium sint manibus, imò quæ ab adversariis lecta, allegata, exscripta sint; sed tanta occupatione animorum, ut interdum non legisse, sed cursim transiliisse videantur. Quæ si quis attenderit, rem confectam, judicatam, definitam dabimus Majorum sententiis; neque, uti faciunt qui contra sentiunt, Conciliaria Decreta cum Pontificiis, vel etiam Conciliaria cum Conciliaribus; Constantiensia scilicet, cum Florentinis aut Lateranensibus collidemus, quod hæretici rideant; sed quæ ad summam attinent, omnia coalescere, atque uni omnino formæ reddi demonstrabimus; unde existit illa dogmatum consensio, ac planè unitas, in cujus amorem admirationemque hostes Ecclesiæ, vel inviti rapiantur. Quod si quid quæstionis supersit, fateantur omnes amicè disceptari pertractarique debere, uti inter fratres decet, qui non sua protervè tueantur, sed communi studio in unius matris Ecclesiæ auctoritate acquiescant.

Caterum eam secuti sumus scribendi rationem, quæ maximè perspicua sit. Ipsam orationem, licèt per se continuam, in capita distinximus; probationes atque documenta in sua quæque loca contulimus; præfixâ summâ juvamus memoriam, rerumque seriem indicamus. His quidem sublevare conamur attentum diligentemque lectorem. Nam qui tantas res claras perspectasque esse volunt, etiam si mentis aciem nec adhibere curent, atque oculos tantùm hæc illacque circumferant, hos non modò ab hac tractatione, sed etiam ab omni Theologica graviorique re alienos esse decernimus.

Verbis autem utimur vulgatissimis atque notissimis, nihil scilicet veriti fastidiosas aures, quæ nihil nisi ex Tulliano Terentianovè penu depromptum admittant, hujus eloquii plerumque imperitissimi. Nos profectò, ut non sumus eorum numero, qui Theologicam veritatem nonnisi horrida incultaque ac scholastica oratione explicari posse putant; sic ab iis abhorremus, qui ne id quidem æquo animo patiantur, novas res, novis designari vocibus. Itaque Investituras, Dominium, Feudos, aliaque hujusmodi tanquam venena horrent; at dum refugiant Infallibilitatem, Superioritatem, ejusdemque generis in Schola receptas usitatasque voces, in eos se verborum circuitus induunt, unde evolvere se non possit oratio. Sed hæc satis surperque. Jam Cleri Gallicani acta referamus.





# APPENDIX

## AD DEFENSIONEM DECLARATIONIS

### CLERI GALLICANI

#### DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

---

In quâ probatur DECLARATIONEM GALLICANAM  
ab omni censurâ esse liberam, & eam Romani  
Pontificis auctoritati nihil nocere.

---

#### PARS PRIMA SIVE LIBER PRIMUS.

Id probatur ex Professione Fidei, & Doctorum Catholicorum  
nobiscum sentientium auctoritate.

---

#### CAPUT PRIMUM.

*Cujus sit generis ea quæstio quam trac-  
tamus: nullum hic patere locum ad nos  
vel hæreseos, vel erroris in fide inculpandos.  
Professio fidei à PIO IV. edita ex Concilii  
Tridentini mente, ut vera & sufficiens  
regula proponitur. Articuli Parisienses An-*

*ni 1542. adversus Lutherum huic prælu-  
xerunt, ejusdemque sunt Spiritus.*



Olet Ecclesia Catholica exor-  
tis erroribus statim opponere  
plenam ac luculentam veri-  
tatis à Deo revelatæ Decla-  
rationem, qua nodum ipsam  
difficultatis expediat: Un-  
de illud BEATI AUGUSTINI (a):

A  
Di-

(a) Lib. II. de Don. perev. Tan. X. cap.  
XVI. n. 40. p. 843.



Dicatur ergo verum, maximè ubi aliqua quæstio, ut dicatur, impellit. Sic Sacræ Doctrinæ inserviunt omnia, & per hæreses quoque Ecclesia proficit. Didicimus enim, ut præclare idem S. AUGUSTINUS addit, (b) singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius diffenderetur Scriptura Divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret. Qua diligentia fit illud quod ait Vincentius Lirinensis (c): ut intelligatur illustrius, quod antea obscurius credebatur. Quare cum postremis hisce temporibus Lutherani, & alii Christianæ & Catholicæ Unitatis æque ac Veritatis hostes, Sedem Apostolicam tanta insania oppugnaverint, necesse planè erat ut Ecclesia Catholica, plena & clara fidei professione, errorem elideret. Non quod illi primi de Petri Primatu quæstionem moverint; nam Wiclefistæ & Hussitæ, jam & antea Valdenses & Photiani seu Græci in eam Petram impeerant; sed cum Hæretici hujus temporis in Sacro-Sanctam Potestatem vehementissimè debacchentur, ipsa veritas postulabat ut, qua perspicuitate ac plenitudine Ecclesia Catholica cæteros Articulos Luthero & Calvino adversos proponebat; veram quoque & antiquam de Primatu Petri, ejusque Successorum Romanorum Pontificum profiteretur fidem. Huc enim vel maximè pertinebat illud à jure desumptum, & in hoc argumento sæpe considerandum; Error (d) cui non resistitur, approbatur; & veritas (maximè lacerata & impetita) cum minime defensatur, opprimitur. Quod à Felice III. (e) in causa fidei primò pronuntiatum, ac deinde in iisdem causis ab ejus Successoribus, & ab omnibus Doctoribus magno consensu frequentatum est.

Hinc PIUS IV. (f) post Concilium Tridentinum plenam fidei professionem edidit, quæ omnes Articuli à novis Hære-

ticis oppugnati ad Sacræ Synodi mentem exponantur. De Sede verò Apostolica hæc habet: Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati PETRI Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Hac fide qui intra Ecclesiam sunt, ad Ecclesiæ Dignitates ipsasque aded Episcopales Cathedras promoventur; Hac fide qui extra sunt, ad Ecclesiæ Catholicæ castra revocantur. Si quid ultra ad fidei plenitudinem exigitur, decipitur Ecclesia; decipiuntur Hæretici ad Ecclesiam quotidie hac fide redeunt; & Catholica Veritas à Catholicis quoque Pontificibus proditur. Hæc vero sunt de quibus nulla inter Catholicos controversia esse possit. Hac stante fidei summa, cætera, quæ deinde incurrunt, jam non in fide, sed in quæstione sunt posita, inter Catholicos pacifico animo disceptanda: Quare Clerus Gallicanus ea ut sibi certa, ut Ecclesiæ Gallicanæ familiaria, ut Ecclesiæ Universæ utilia, ut ab ipsa Antiquitate deprompta, non ut eadem fide credenda proponit. Habent hoc maxima etiam quæque mysteria, ut cum de summa constet, de modo tamen innoxie, uno etiam utiliter disputetur. Sic de modo exponendæ Apostolicæ Potestatis, cum de re apud omnes constet, amico & fraterno animo quærere nos oportet.

Hanc verò fidei Catholicæ summam à Clero Gallicano fundamenti loco sincere esse positam, nemo negaverit; cum Romanos Pontifices Petri Successores Christi-que Vicarios ubique prædicent cum (g) primatum Beati Petri, ejusque Successorum Romanorum Pontificum, à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, atque in iisdem utpote Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem agnoscant.

Quod

(b) Ibid. C. XX. pag. 251. (c) Common. r. c. 32. T. 7. Bib. PP. p. 259. (d) Decr. dist. 83. c. Error (e) Felix III. Epist. r. ad Acac. Tom. IV. Conc. pag. 1051. (f) Vir. Pii IV. Fid. Prof.



Quod in fidei professione est scriptum, Sanctam Catholicam, Apostolicam, Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram, quidam ipsam Universalem Ecclesiam intelligunt; quæ propriè, ac strictè, ut ajunt, *Catholica* sit: *Apostolica* verò, quod Apostolica Successione gaudeat; ac *omnium Ecclesiarum* particularium, uti omnium fidelium *Magistra & Mater*, meritò apelletur: Romana porro sit, vel maximè quòd Sedem Romanam ac Petri Cathedram Principem fidei & Caput communionis agnoscat. Alii (g) Romanæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ nomine, designatam volunt Sedem ipsam Romanam à Petro & Paulo fundatam, vereque Apostolicam, Catholicamque, eo sensu, quòd ab ea in omnes venerandæ communionis jura dimanent: omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram, quæ nos lacte alat Doctrinæ Salutaris, eamque tradat qua vivimus omnes, Romanam Fidem. Quis hæc non fateatur? Quis pro his non fundat sanguinem? Et utrumque sensum, ut summa & sententia unum, sua declaratione complexi Patres Gallicani: *Sedis (h) Apostolicæ in qua fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, venerandam omnibus gentibus majestatem colunt; & in fidei quoque questionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere profitentur*. Quid plura postulas? Non præcipuam, inquis, sed *solum*, atque in se omnia continentem ejus auctoritatem necesse est ut agnoscamus; & ab ipso (i) *ut capite accipere Patres in Conciliis Oecumenicis congregatos quod sine errore recta decident*. Hanc fidei summam esse prædicas, qua eversa omnia quatiantur. Addis tu quidem ad fidem Ecclesiæ; nova profers: Nos refugimus; nos à Spiritu Sancto doceri credimus in Synodis Oecumenicis

Domini Sacerdotes; quodque recta decident non à Summo Pontifice accipere, sed à Spiritu Sancto, quo auctore dicant illud Apostolicum: *Visum est Spiritui Sancto & (k) nobis*; sed à Christo Doctore à quo audierint: *Ego vobiscum (l)*: Hæc tu interpretaris: Pessimè, ut nos quidem credimus: Verum ea quæstio tantisper in suspenso sit, interim id audias velim. Sanè non ignorabant Summi Pontifices in Ecclesia Catholica de his rebus maximas esse quæstiones, nec verba deerant quibus multiplices nodos amputarent. Hæc omiserunt. Romano Pontifici veram deberi obedientiam decreverunt; id profitendæ fidei sufficere censuerunt.

Majores quidem nostri jam idem senserant: Anno enim 1542. postea quam Lutherana pestis in hoc quoque Christianissimum Regnum grassari cœpit, Doctores Parisienses, collecta facultate, hos Articulos edidere.

XVIIIo. Tenetur quilibet Christianus firmiter credere unam esse Universalem Ecclesiam, in terris visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest, cui omnes fideles, in iis quæ sunt fidei & morum, obedire obstringuntur.

XXIIo. Certum est Concilium Generale legitimè congregatum, Universalem representans Ecclesiam in fidei & morum determinationibus errare non posse.

XXIIIo. Nec minus certum est unum esse Jure Divino Romanum in Ecclesia militanti Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur: Hæc fidei tessera ab Episcopis & Ecclesiis omnibus Gallicanis tradita, Regia quoque auctoritate, atque omnium Ordinum consensu, excepta, divulgata & custodita est. Vides quàm diversis verbis de Ecclesia ac Synodis Oecumenicis, deque Summo Pontifice egerint; *Ecclesiam & Synodos errare non posse: At Summo Pontifici Jure Divino*

A 2

ab

(g) Epist. Conc. Rom. ad Theod.

(h) Dec. Cler. Gall. Pref. Cens. Arch. Strig.

(i) Doct. Lov. art. 2. pag. 1. par. in fine. p. 90.

[k] Act. XV. 28. [l] Matth. XXVIII. 20.



*ab omnibus Christianis esse parendum* : Hæc sine Concilio ita distincta scilicet? Neutiquam . Non condebant, sed tradebant fidem ; Quæ cuique competere, non ex privatis opinionibus, sed ex communi omnium sensu tribuebant . Sic factum ut iisdem quoque verbis Romanus Pontifex PIUS IV. Sedis Suae auctoritatem astrueret, & quidem cætera omitteret, nihil verò aliud Jure Divino, quam *veram obedientiam* postularet . At illa obedientia, inquis, omnimodam Superioritatem, atque ipsam adeò infallibilitatem infert : Iterum atque iterum admoneo, ad communem fidem addis tua, ad ea quæ consequi putas, longâ nos & dubiâ, imò etiam fallâ argumentatione deducis, atque id ex tuis quoque rationibus efficiam clarè : An enim contendes obediendum nemini qui non sit infallibilis ; non Episcopo, non Synodo Provinciali, non Nationali, non Legato Apostolico, non denique ipsi Pontifici, nisi de fide ex Cathedra decernenti? Absurdum . Nullumne ergo discrimen inter Papam & alios? Certè maximum : Nam aliis suis quisque grex ; Papæ omnes obedire oportet, & id signanter ipsa fidei professio ab omnibus poscit . Quid, si quis jam dixerit, eò quod Romano Pontifici Jure Divino ab omnibus obedientia vera deberi Fide Catholica credatur, quidquid ille scripserit, edixerit, jusserit, quocunque in negotio, in jure, in facto, in Ecclesia, in Repubblica, nihil nisi obediendum esse; neque, unquam obrepi posse, aut mala suaderi, occupatissimo licet, sed standum ubique jubentis voluntati, in eoque veram repositam esse pietatem? Insaniet, inquis, certè . Ergò illi obedientiæ tam justæ, tam necessariæ, sua quoque adhibenda cautio est. Quænam illa sit : Quousque pateat, quid Concilia, quid Canones, quid ipsi Romani Pontifices, quid denique Scriptura & Scripturæ interpretes Traditio poscat,

quoniam ambigua res est, pacificè & amicè quærere ; non statim omnia clamoribus miscere nos decet . Atque interim certum est à PIO IV. Pontifice Confessionem Fidei requirente, ea selecta esse verba quæ quæstiones omnes in Scholis quidem Catholicis utrinque disputatas, relinquant integras ; quæ autem ad fidem spectent, apertè & sine ulla tergiversatione decident .

## CAPUT SECUNDUM .

*De PII. IV. professione diligentius quæritur : In Synodo Tridentina consulto omissa quæ inter Catholicos controversa essent . Pallavicinus Cardinalis testis adducitur : De Florentina Formula, quod Romanus Pontifex regat Universalem Ecclesiam, Tridenti in medium allatâ, atque omisi, ne nostra sententia vel sub dubio læsa videretur : Claudii Sanchezii, & Caroli Cardinalis Lotharingii Epistole : PII. IV. responsum egregium : Ea tantum in Concilio Tridentino definienda, in quæ omnes Catholici conspirarent .*

**N**Eque verò mirum est in professione orthodoxæ fidei à PIO IV. prætermissa esse illa quæ inter Catholicos controversa erant, cum eam professionem ex Concilii Tridentini decretis, & ad eorum mentem esse à se editam ipse testetur . Cui quidem Concilio, attestante Pallavicino è Societate Jesu Cardinali, illius Synodi nobili Historico, idque centum in locis, nihil fuit antiquius, quam ut à controversis in Ecclesia Catholica quæstionibus abstineret ; quod quidem vel studiosissimè, in ea quam tractamus quæstione, factum esse idem Historicus profitetur : Scribit enim sic, Joanne Giartino, ejusdem Societatis interpretante : *Potissima Legatorum* ( Pontificio-



eiorum) cautio fuit (m), nedum ageretur de rebus unde videbantur, vincula posse injici manibus Pontificiis, impingeretur in seditiosam quaestionem de prerogativa inter ipsum & Concilium. Hæc autem ad Pii IV. Pontificatum pertinent; cum postea, eodem Pontifice, de Sacramento ordinis ageretur, instarentque permulti, Hispani præsertim, quibus se nostri adjugebant, definiendum esse Jurisdictionem Episcopalem à Christo immediatè esse profectam; legati postulabant ut quemadmodum de Episcopis, ita etiam de Papa vera exponeretur fides, & jam aliqui Canones nostris propositi erant: Tum Cardinalis Iotharingus ad se Paleorum accivit, (n) eique significavit se non posse, quantavis adhibita diligentia, suos Episcopos & Theologos, (Gallicanos scilicet, quorum & ipse dux Antesignanus esset) adducere ad Decretum illud canonesque acceptandos, quod imprimis non admittebant ea verba, INESSE POTESTATEM SUMMO PONTIFICI REGENDI ECCLESIAM UNIVERSALEM, cum illa officerent sententiæ neganti, eum esse superiorem Concilio, ac proinde loco, Ecclesiam Universalem, ponendum esse: OMNES FIDELES ET OMNES ECCLESIAS.

Neque tamen nostri ignorabant ea verba à Concilio Florentino, Græcis quoque approbantibus, in Decreto unionis esse edita, atque optimo sensu, neque ipsis repugnante intelligi posse, uti postea videbimus. Sed cum in diversam sententiam ab adversariis ea verba traherentur, nostri Episcopi ac Theologi summo consensu vehementissimè refugiebant, adeò verebantur ne vel ambiguis verbis ab antiqua, atque animis penitus infixâ Doctrina discedere viderentur: quorum (o) sententia à Paleoto perlata ad Legatos & ad Pium IV. statim perscripta

est; neque ita multo post Regis Christianissimi Oratores, Legatos Pontificios ea de re conveniant. Quid autem egerint narrat Lansacius unus Oratorum, duabus Epistolis [p] ad Listium Romæ Legatum. Sed præstat audire ipsam Cardinalem ita referentem.

Tum inquit Ferrerius (Oratorum unus) quasi pro certissimo posuit Concilium supra Romanum Pontificem esse; Religionem & Ecclesiam Gallicanam (q) non modo id sentire, sed profiteri, & jurejurando affirmare, tanquam articulum necessarium; idque jure optimo ex Constantiensis Concilii Decretis, præscribi quidem sibi in mandatis regiis, ne hujusmodi controversiam excitarent, sed simul ne liberum sinerent aditum cuilibet verbo quod illi ipsorum Religioni opponeretur; ac propterea hujus rei declarationem à se retardatam fuisse, donec ab ipso tempore, ac negotio cogerentur. Ad hoc verò Legati, Pontificiam quidem supra Concilium auctoritatem asserre; Concilii Constantiensis Decreta interpretari, aperte significare se minimè à proposito discessuros: cæterum in speciem ista, cum & viderimus, quam in eum scopulum impingere vererentur; & certum sit ea verba quæ nostros movebant in Synodi Decretis consultò prætermissa esse.

Neque id sine conscientia Pii IV. factum esse, cum ex se perspicuum est, tum si quis addubitet, idem Historicus memorat. Eo namque teste, Pius IV. ea de re monitus ita rescripsit, ut quantum rationibus Florentinum Decretum tuebatur, subderet (r) tamen, ubi arduitas in eo quoque ostenderetur sine dissidio insuperabilis, satis futurum Pontifici, si nec de sua, nec de Episcoporum Potestate quicquam exprimeretur, ILLIS TAN-

(m) Hist. L. 19. c. 11. pag. 313.

(o) Eodem Lib. c. 13. pag. 327. [o] Ibid.

(p) Lettr. du 25. Janv. & 1. Fevr. 1561.

(q) Mem. du Conc. de Trêves p. 379. cod. Lib. cap. 14. p. 331.

(r) Palavic. cod. Lib. c. 15. pag. 336.



TANTUM EDITIS DEFINITIONIBUS, IN QUAS PATRES UNANIMI CONSENSU CONSPIRARENT. Quominus admirare in fidei professione non esse appositam illam formulam ab eo Pontifice, qui ab ea quoque in Synodi Tridentinae Decretis abstinere voluerit.

Cæterum quod Pius IV. scripsit, ut *ea definitiones ederentur, in quas Patres, unanimi consensu conspirarent*: Id verò tanta Sede, tantòque Pontifice dignissimum fuit. Neque enim in fidei decretis, quid privati quique seorsum sentiant, sed quid communis traditio omnes doceat, attendendum est. Quare Pius IV. non agit pugnaciter, neque ea sibi tribuenda contendit, quæ multi privato sensu, sed quæ omnes communi fide tribuerent, atque à Formula Florentina, recta licet, si bene intelligatur, sed tamen dubia Gallis in tanta re omnem ambiguitatem recusantibus temperandum putat.

Quid autem Gallos nostros ad eam Formulam Tridenti omittendam, moverit, unus omnium quotquot in ea Synodo Parisiensium Theologorum doctissimus & sanctissimus *Claudius Sanchezius*, postea Ebroicensis Episcopus, Fidei Catholicæ adversus Lutheranos & Calvinistas scriptis quoque editis defensor egregius lucidissimè demonstrabit: Is enim ad *Claudium Espenceum* Doctorem item Parisiensem, virum ea ætate Doctrinæ ac Pietatis laude commendatissimum, hæc scribebat 15. Junii 1563. quo tempore hæc Tridenti maximè tractarentur. *Rogo ut rescribas an placeat PAPAM DEFINIRI ET APPELLARI PASTOREM [s] UNIVERSALIS ECCLESIAE, HABENTEM PLENAM POTESTATEM REGENDI ET PASCENDI UNIVERSALEM ECCLESIAM*: Neque hic ignoramus nonnullos Romanos Pontifices ita locutos esse, & id recto sensu dici posse; sed quæstio est an in Concilio tam

celebri, quàm istud est, determinari possit absque periculo, nequod aliquos velle videmus, hæc verba trahantur in eam sententiam, quæ Concilium Papæ subjicit. Vides apertè non modò quid nostri re-fugerint, sed etiam à quò postea Tridentina Synodus Romano Pontifice auctore temperavit.

Et eam quidem Formulam ex Florentina Synodo sumptam in eadem Epistola testatur Sanchezius, sed nostri Basileensi Synodo additi Synodum Florentinam eò factam putabant, ut *Romani Pontifices* (t) *non Concilio tantum, sed etiam omni reformatione superiores essent*.

Atque in hac sententia cum cæteris Episcopis Cardinalem etiam *Lotharingium* fuisse, docet ea Epistola quam his temporibus ad Bertoneum suum Secretarium tum Romæ Cardinalis nomine agentem dedit. Qua quidem Epistola hæc Sancto Pontifici suo nomine significanda scribit: *Quod [u] ad illum titulum quem Summo Pontifici ex Florentina Formula dare satagunt; se quidem Gallum neque inficiari velle, & in Parisiensi Universitate educatum in qua doceatur Concilii auctoritatem Pontificiæ superiorem esse, atque Hæresis notentur qui contrà sentiant, & totam Galliam in Concilii Constantiensis, ut Oecumenici, Decreta omnia consentire, Basileensem sequi, Florentinam, neque Oecumenicam, neque legitimam habere; certumque Gallis mortem pati potius quam se ab ea sententia dimoveri sinant, ac Theologos quidem ad cælum usque vocem sablaturos, regni privilegia hac unitate niti; ita subverti omnia, si contraria sententia statuatur: expectare verò ut Gallorum ullus Antistitem in id consentiat, statutum, errorem esse. Oratores quoque regios solemni*

(t) Ibid.

(u) Lettr. du Cardinal de Lorraine, à Bertone son Secrétaire & son Agent en Cour de Rome, en Janvier 1563.

(s) Mem. pour le Conc. de Tren. pag. 442.



*lemni contestatione questuros, ac Schismatis initium imminere,*

Quibus omnibus liquet quo tum loco res essent, & nostros quidem omnes, in antiqua Parisiensis Academia, totiusque adeo Ecclesiae Gallicanae sententia publicè perituisse, idque Pio IV. renunciatum esse; atque adeo abfuisse nostros ab illo Decreto probando, quod Pontificiam superioritatem astrueret, ut Florentinam quoque Formulam, qua illam aditui quibuscumque videretur, omitti vellent; Pontificem verò in ea omnia ita consensisse, ut ab ea Formula, non modo in Synodo Tridentina, verum etiam in edenda fidei professione consulto abstineret.

### CAPUT TERTIUM .

*Circa Florentinam Formulam solennis distinctio: quòd Romanus Pontifex regat Universalem Ecclesiam distributivè, non collectivè: de ea distinctione audax Du Vallii locus. Ea distinctio non merè Scholastica, sed à Concilio Constantiensi Martino V. expressè approbante, de prompta.*

UT autem plenius intelligatur rectus ille bonusque sensus, quem in Florentina Formula nostri etiam agnoscerent, placet interpretem, haud fanè suspectum adhibere, ANDREAM DUVALLIUM, qui inter Theologos Parisienses antiquae sententiae abolendae primus auctor extiterit, ac Duvalistas suo nomine fecerit. Is verò retert Eugenii IV. ac Synodi Florentinae verba in Decreto unionis quibus definitur: Romano Pontifici (x), ut Christi Vicario, Petri Successori, totius Ecclesiae Capiti, omnium Christianorum Patri, ac Doctore, pascendi, regendi, gubernandi, Universalem Ecclesiam plenam potestatem à

Christo esse traditam. Sic autem interpretatur: Satis, inquit, constat Concilium Florentinum (y), auctoritatem Papae supra Concilium non definivisse; nam & si definiat eum esse Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput, & à Christo illi traditam potestatem regendi Universalem Ecclesiam; HOC TAMEN NEMO EORUM QUI CONTRA SENTIUNT NEGAT.

Illum enim habere in Ecclesiam potestatem Universalem, ubique locorum diffusam admittunt, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem eum agnoscunt; sed contendunt Concilium non propterea definivisse eum in Ecclesiam Universalem, quatenus est legitimè congregata, & est in Concilio aliquo generaliter per suos Praelatos unita & consentiens, potestatem habere; tunc enim, inquiunt, Ecclesia Universalis est totum quoddam, in quamlibet sui Partem, etiam praecipuam, qualis est Romana Ecclesia, auctoritatem habens: ideoque cum nomen hoc (Universalis Ecclesia) dupliciter sumatur, distributivè quidem pro omnibus Ecclesiis per orbem diffusis, & collectivè, id est pro Concilio Generali; priorè modo, ajunt, Concilium Florentinum definisse Summum Pontificem in Ecclesiam Universalem habere auctoritatem, non tamen posteriori. Praecipue ille quidem ut solet. Ceterum illa distinctio distributivè, collectivè, ne vana ac nimis Scholastica videatur; nam adversus Wiclefum Synodus Constantiensis & Martinus V. rotaque Ecclesia Catholica docuit (z). Sic certè statuit Sessio 8. Concilii Constantiensis. Sic repetitum legimus Decretali inter cunctas quam contra Wiclefum, Sacro Concilio Constantiensi approbante, Martinus V. edidit. Propositio Wiclefi 41. non est de necessitate Salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias; error est si per Romanam Ecclesiam intelligat Universalem Ecclesiam

(x) Conc. Flor. in Decret. unionis.

(y) Du Vallius Tract. de sup. R. P. pa. 4. pag. 71.

(z) Tom. Conc.



*eleſiam, aut Concilium Generale, aut pro  
quanto negaret primatum Summi Pontificis  
ſuper alias Eccleſias particulares: En il-  
lud diſtributivè à Concilio Conſtantienſi  
& Martino V. diſertè approbatum: En quo  
ſenſu ſan iſſima iſta Synodus, tantuſque  
Pontifex decernant Pontificiam Poteltatem  
in Eccleſia primam & ſupremam eſſe,  
non quod ſit ſuper omnem conjunctim  
& collectivè, ut ajunt, Eccleſiam; ſed  
quod ſit ſuper omnes Eccleſias particu-  
lares ſeparatim, ac diſtributivè ſumptas.  
Hæc tamen, ſi placet, non urgeamus ad-  
huc totis viribus: ſit tantisper in ſuſpen-  
ſo quæſtio, an Pontifex adunatæ, & ex  
toto orbe collectæ Eccleſiæ obediat, an  
imperet? Concilii Conſtantienſis Decre-  
ta taceamus, & illam à Concilio in Pon-  
tifices, etiam in fidei cauſis aſſertam po-  
teſtatem. Concilium Florentinum in  
Decreto unionis ea voce utitur, quæ  
utrique ſententiæ poſſit accommodari;  
adeo ab alterutra condemnanda abhor-  
rebat.*

Atque illud (a) eſt unionis Decretum  
quo Conſtantienſia & Baſileenſia Decre-  
ta penitus eliſa eſſe, & CAJETA-  
NUS & BELLARMINUS poſtea, &  
nunc Lovaniienſes aliiſque inclamant. Nos  
ultima Decreti verba, quæ nobis favent,  
conſultò prætermittimus, & in alium re-  
jicimus locum; ea tantum promimus qui-  
bus nos maximè urgeri putant, atque in  
his ipſis verbis à noſtra ſententia condem-  
nanda ſtudioſiſſime temperatum fuiſſe luce  
clarius, atque ipſo Duvallio fatente, in-  
tuemur.

Quid ad hæc responderi poſſit, haud  
equidem intelligo. Certè enim Decreta  
Conſtantienſia præceſſerant, & Florentini  
Concilii tempore Baſileenſe habebatur,  
& de poteſtate Concilii ſupra Papam,  
vel Papæ ſupra Concilium, ſumma utrin-  
que contentione agebatur, & ea diſpu-  
tatione omnia perſonabant; an Romanus

Pontifex ita toti præſſet Eccleſiæ, ut  
adunata quoque & collecta ſuperior eſ-  
ſet: an ita ut omnibus quidem, particu-  
laribus præſſet Eccleſiis, ſed in unum  
congregatis, & Generale Concilium fa-  
cientibus obediret? Quid ergo quæſtio-  
ne orta factum oportuit, ſi decidi pla-  
cebat? An non Florentinis & Eugenio  
IV. idonea verba ſuppeteſcant quibus al-  
teri parti omne præcluderetur effugium?  
Cur ergo adhibent communes utrique  
parti voces? Nempe rem in integro  
ſaltem relinqui volebant, quodque in con-  
ſeſſo eſſet Pontifici aſſerebant. Summam  
illam in Concilium poteſtatem omittēbant,  
quam ſi ipſi, vel maximè admitterent,  
neque Græcis unquam, neque reliquæ Ec-  
cleſiæ probaturi eſſent.

Et tamen illa etiam in Florentino Con-  
cilio inter utramque ſententiam librata, ac  
temperata verba ſibi planè favere jacta-  
runt, non modò Epifcopi ac Theologi  
Gallicani, verum etiam tota Synodus  
Tridentina, & ipſe Pius IV. cum in Sy-  
nodi Decretis, tam in fidei profeſſione  
omiſſa voluere, ne ſcilicet parum veri-  
tati conſulerent, ſi cuiquam videri poſ-  
ſent, definire voluiſſe ea quæ in Scholis  
utrinque diſputata, non ſatis firma, con-  
ſtanſque traditio attuliſſet. Quod qui-  
dem Divino planè conſilio factum eſſe  
conſtat: Cum enim hæc duæ Formulæ,  
illa Florentina ſcilicet, & iſta Pii IV. re,  
ac ſumma convenient; eundemque Pri-  
matum alia aliis verbis, ambæ tamen  
pariter ac ſufficientiſſimè prædicent, fanè  
oportebat anteferri eam, quæ cum Hæ-  
reticos æquè convelleret, Catholicis aptior,  
congruentiorque haberetur; ut quemad-  
modum veritas, ita etiam pax & chari-  
tas in Eccleſia Catholica coleretur. Ne-  
que noſtros quidquam amplius flagitaſſe  
Pallavicinus refert: Tametiſi enim poſt  
Conſtantienſes Canones ſententiam ſuam  
ad fidem pertinere crederent, ſimul in-  
telligebant, aliud eſſe quod illis videre-  
tur,

(a) Doct. Lov. diſ. 7.



tur, aliud quod toti Ecclesiæ Catholicæ definiendum putarent . Quare fovere pacem & Catholicos omnes charitate complecti æquum arbitrantur . Quæ quidem sequuti eorum successores, in hac postrema declaratione, simul & avitam sententiam Ecclesiæ Catholicæ ac ut quid jam dicamus amplius, utilem defenderunt, & ab omni prorsus censura temperarunt . At in eos tam doctos, tam modestos, tam paci Catholicæ consulentes, *Strigonijs* Archiepiscopus, aculeatæ censuræ gladium stringit; eorum articulos absurdos, detestabiles, Schismaticosque pronuntiat, ut eam doctrinam, quam visam, quam agnitam, inculcatam, tot Pontifices, tot Synodi, intactam saltem illæsamque relinquerent, unus ille audacior, validiorque conficiat .

## CAPUT QUARTUM .

*Ex antè dictis probatur Cleri Gallicani Declarationem jam in tuto esse, nondum licet prolatis probationibus .* LEONIS X. in Concilio Lateranensi & adversus Lutherum acta, nihil ad rem facere, Tridenti acta, & Pii IV. professio probant .

**V**ide interim, *Lector candide*, quantum è jure nostro decedamus . Nondum quæstionis arcana referamus : quid *Eugenius IV.* à Synodo Basileensi postularet, quibus convenireat, in quo dissiderent, quid postea addiderint, & quæ jam à nobis extorquere velint Pontificiæ potestatis immodici, atque improvidi, eoque jam nomine non satis idonei defensores; hæc nondum explicamus; probationes nostras instrumenta causæ, Constantiensia decreta Sess. iv. & v. nondum producimus : illa, inquam, Decreta quibus P.P. totaque universalis Synodus declarant, statuunt, definiunt Conciliis Oecumenicis quibuscumque potestatem à Christo immediatè datam eam, cui etiam Papa

Tom. I.

*obedire teneatur* . Neque tantum in causa Schismatis, quam tractabant, sed etiam in iis, quæ pertinent ad fidem & ad reformationem in capite & in membris, hoc est, in omnibus causis quæ generales essent, quæ ad statum universalis Ecclesiæ pertinerent, & maximè in fide, quæ sit omnium fundamentum . Hæc nondum urgemus : nec dum asserimus, uti profectò, Deo dante, luce clarius faciemus; Constantiensis Concilii mota quæstione sensum perspicuum, judicium firmum, certam & inconcussam auctoritatem; nondum proferimus Decreta Pontificis *Martini V.* ipsius *Eugenii IV.* ac *Pii II.*; aut Concilii etiam Florentini, quibus Constantiensis Canones apertissimè comprobantur . Decretum unionis tantum, eamque Decreti, quæ maximè nobis objici solet, partem expromimus, & jam ab omni censura, ab omni periculo tuti sumus; tanta causæ vis & veritas inest !

Nondum, inquis, ita tuti; nam etiam si à Florentinis Tridentinisque Decretis, ac Pii IV. professione tuti, ad Leonem X. & Lateranensia sub eo Decreta, hæreatis necesse est; Pontificiam namque superioritatem à Concilio Lateranensi assertam (a) *Bellarminus* & alii contendunt; & *Suarez* nostram sententiam à Leone X. in *Luthero* damnatam, & quidem hæresis, confidenter affirmat . Hæc quidem dispungemus statim; & quam trepida *Bellarminus*, & quam vana *Suarez* dixerit, ostendemus . Interim quærimus annon ea omnia Tridentina Synodus, & Pius IV. tenerent, si transacta, confecta, definita referat, cur omitti placuit? Nam profectò *Lutherus* eam quæstionem moverat, & à Leone X. ritè damnatus ad Synodum universalem provocaverat; & Constantiense Concilium ostendebat, (b) & Parisienses auxilio advocabat . Id quo-

B

que

[a] BELL. L. II. de Conc. aut. & passim SUAREZ de Fide, disp. 3. Sect. 7. n. 5. [b] DISQ. ART. 9. p. 43. Diss. Lovan. art. II. pag. 69.



que Censores nostri obijciunt, quasi necesse sit à nobis rejici ea omnia quibus Synophanta perditissimus abusus est. Ergo contemnamus Theologicas facultates quas frustra appellavit; & Episcopalem auctoritatem quam in Archiepiscopo Moguntino, & Papalem quoque, quam in Leone X. implorabat. An quia impurus nebulo sacra omnia nomina, ordine invocavit, ut ausu sacrilego omnia conculcasset, nos Catholici antiquam traditionem evertamus? Sed profecto id verum; si contra fidem Ecclesiæ traditam, atque in legitimo Concilio definitam homo audacissimus aliquid attentavit, id in Tridentina Synodo, id in professione fidei, quæ Lutheri opponeretur, non dissimulatum, sed vindicatum oportebat: Tunc enim vel maximè valebat illud: *Error cui non resistitur, approbatur*; & illud AUGUSTINI: (c) *dicatur ergo verum maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit*. Cur ergo hic tanta Synodus, tantusque Pontifex conticescant? An ut Gallis parcerent, Catholicam veritatem agnitam ab Ecclesia, ac certa sententia definitam Lutheri prodidere? Id velint scilicet Ecclesiæ hostes: id *Frater ille Paulus*, quamvis magno compararit. Ille, inquam, Calvinista cucullatus, & Catholici nominis specie, non modò Synodi Tridentinæ, verum etiam Fidei Catholicæ infector. Procul verò hæc à piis. Nempe ea omnia quæ nobis obijciuntur Tridentini Patres & ipse Pius IV. omnia voluerunt, quod ea omnia vel intellecta esse perperam, vel pro Fidei Decretis frustra venditari judicarent.

Atque hæc suo loco fufius exequemur, neque Lateranensibus nostra impugnari, sed asseri potius, quàm ferè dicimus, tam perspicuè demonstrabimus, & anteriores Synodos, anteriores Pontifices qui nostra confirmant, innumerabiles profere-

mus. Interim ex his quæ diximus satis superque constat, quæ Synodi, quique Pontifices post exortam eam quam tractamus quæstionem de Pontificia potestate adversus Hæreticos & Schismaticos decreverint, definiverint, Fidei professionem ediderint, ab iis ita voces esse temperatas, ut nostram sententiam auditam, cognitam, totaque Ecclesia personantem ab omni censura illæsam reliquerint.

## CAPUT QUINTUM

*Parisiensium Doctorum veneranda auctoritas: horum antesignani Petrus de Alliaco Cameracensis Cardinalis, & Joannes de Gerson Parisiensis Ecclesiæ & Universitatis Cancellarius; viri omni doctrinæ ac pietatis laude cumulati; hujus rei multi testes. Refutatur Nicolai Dubois quoddam non æquum judicium de Gerson.*

**Q**ui tot Synodorum, totque Pontificum auctoritate contempta, nihil jam in nos nisi censuras meditantur, cogitare oporteret quanta virorum illustrium copia, quanto præsidio fulciamur, ac ne jam prisca sæcula replicemus, satis constat à Constantiensis, imò etiam Pisani primi Concilii temporibus, re scilicet discussa, & in quæstionem vocata, multis jam sæculis eam sententiam quæ in generalibus, atque etiam in Fidei negotiis Conciliorum auctoritatem Pontificiæ anteferreret, doctissimis quibusque, & sanctissimis viris placuisse, ut quæ & scripturæ auctoritate niteretur & vetustissima traditione constaret, & à Concilio Constantiensis factò Decreto approbata esset.

Possimus commemorare scriptores egregios qui hæc summa gravitate defenderent, imprimis Parisienses, & eorum antesignanos *Petrum de Alliaco* Cameracensem Cardinalem, & *Joannem Gersonem*, quorum sententiam nullus ignorat: sed qui viri

(c) Lib. II. de dog. Per. c. 16.



viri fuerint non omnes æquè sciunt.

*Petrus Alliaccensis* (a) is est qui obscuro genere oriundus ex tenuissima re, Parisi Theologiæ Doctor, Regii Navarici Collegii Magister, Universitatis Cancellarius, tum Cameracensis Episcopus, ad Pisanum Concilium Burgundi Ducis nomine Legatus, à *Joanne XXIII.* Cardinalis factus, Concilii Constantiensis, totiusque Ecclesiæ lux, & optimi cujusque consilii auctor, rebus ibi præclare gestis, extincto Schismate Wiclefiana Hussitanaque hæresi ejus maximè opera debellatis à *Martino V.* Legatus in Galliam missus, piè sancteque obiit. Dictus *aquila Gallia*, & *Hæreticorum malleus* indefessus, & à Bellarmino (b) quoque non sine laudè inter scriptores Ecclesiasticos recensitus, nec minus pietatis, Christianæque prudentiæ, quam doctrinæ laudè commendatus.

*Joannes Charterius* à natali vico in Remensi Tractu de Gersone dictus, Petri de Alliaco discipulus; & in Cancellarii Parisiensis officio successor, vir doctus ac pius à Bellarmino appellatus, omnium hæresium insectator, difficillimis Ecclesiæ Reipublicæque temporibus dum factio Burgundica totà Gallia defæviret, impiamque doctrinam Joannis Parvi de occidendis tyrannis in Ecclesiam induceret, Regiæ Majestatis, atque familiæ, ad hæc Catholicæ veritatis invictissimus propugnator, Doctoris Christianissimi nomine est illustratus. Qui postea in Concilio Constantensi Caroli VI. Christianissimi Regis Ecclesiæ Gallicanæ & Academiæ Parisiensis Legatus, sacri Conventus pars maxima fuit: Denique tam sanctè vixit ac scripsit, ut dignus haberetur, qui omni suaviore unguento, de Imitatione Christi libellum edidisset. Cæterum vera ejus scripta sanctitatem æquè ac doc-

trinam spirant, veræque pietatis non modò scientiam, sed etiam sensum gustumque præ se ferunt, atque ejus instaurandæ incredibile studium: nec sine magno emolumento leguntur præsertim illa: [c] *De simplificatione cordis: De probatione spirituum: De examinatione doctrinarum*; quibus permotus *Sixtus Senensis*, hæc de Gersone scribit: *Is, inquit, ita Scholasticas subtilitates Theologia Mystica affectibus miscuit, temperavitque; ut ad dubitandum sit an eruditione pietatem, vel pietate eruditionem superaverit.* Ea Gerso apud omnes existimatione fuit: demum vir maximus atque sanctissimus in pio officio docendi Catechismi Lugduni obiit, ubi ejus memoria in benedictione est, & in odoris compositionem, adeo ut post indiculum Sanctorum Lugdunensium inter pios Lugdunenses non vindictos, ut sui sæculi, omnium judicio, rarum lumen, (d) miris cum laudibus à Theophilo Rynaldo Jesuita referatur.

Extant de eodem Gersone ab Episcopo Basileensi ad Clerum Lugdunensem, ejusque Cleri ad Episcopum Basileensem anno 1504. conscriptæ Epistolæ quæ testantur Caroli VIII. ejusdem confessarii Laurentii Burelli Carmelitæ; ac postea Fistariensis opera, erectum esse in divi Joannis Gersonis decus & laudem devotum sacellum ubi super Altare ejus imago depicta est, magnusque populi concursus pro obtinenda ope divina affluit, (e) & plurimi se adjuvari Beati Gersonis, precibus prædicant & testantur; quibus motus *Andreas Saubeus* Tullensis Episcopus in Martyrologio Gallicano de Gersone ad 4. Idus Julii hæc habet: *Sed & Beatitudinis famam ac cultum Lugduni præsertim ubi piam efflavit animam, communi omnium ferè suffragio obtinuit.* Quo

B 2

loco

(a) LABB. de Scriptor. Eccles. Aët. Pis. Conc. Aët. Conc. Constant. (b) BELLARM. de Scriptor. Eccles.

(c) Bibl. Sanct. Lib. IV. (d) Mautissa de piis quibusdam Lugd. non vind. post indic pag. 391. (e) Ante Opera Gerson.



loco multa de Gersonis virtutibus miraculisque refert, sed hujus viri postea anno 1643. detectum sepulchrum, ejus celeberrimæ sanctitatis ac priscorum miraculorum, novis quoque additis memoriam renovavit. Scripsit historiam *Stephanus Pinei* Lugdunensis & *Alphonso Ludovico Richelieu* Cardinali, Lugdunensi Archiepiscopo inscripsit: quæ non edicimus, ut inter Sanctos publica religione invocandos Gersonem appellemus, nondum à Sancta Sede Apostolica vindictatum, sed ut tanti viri piam memoriam commendemus.

At eam invadit *Nicolaus Dubois* Professor Lovaniensis, atque etiam Gersonem miræ simplicitatis virum & Christianæ paupertatis, si quis fuit unquam, amantissimum, *Vertunnum faventis auræ sectatorem ac beneficiorum appetentem* (f), Haud minus imperitè quàm ineptè scripsit, eoque processit amentię ac stuporis, ut vitio quoque Gersoni vertat, quod *exosus factus omnibus è Gallia in exilium pulsus, ipsi quoque Serenissimo Burgundia Duci, contra quem in Synodo Constantiensi declamaverat, invisus fuerit*. Hæc de Gersonem nostro *Nicolaus Dubois*, melior profecto Burgundus, quam Theologus, qui non ferat in Oecumenico Concilio perorantem Gersonem adversus Serenissimum ipsius Ducem Joannem Audacem, Ludovici Aurelianensis cæde manantem, qui necem infandam horrenda hæresi tueretur; hæc scribere non puduit Theologiæ Professore, atque insuper sancto viro exprobrare exilia pro Catholica Fide tolerata, à nefario Duce, qui Regis sui conculcata Majestate fratrisque ejus fuso sanguine, rerum in Gallia potiretur.

Hæc de Alliacensi ejusque discipulo Gersonem dicenda habebamus; neque quod quidam objiciunt, eorum auctoritatem in-

fringi putamus, quod Schismatis tempore scripserint. Imò verò ed firmari potius, quod scripserint nota quæstione, quod re discussa, & eliquata, ut ait AUGUSTINUS, atque ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta. Denique quod ei doctrinæ schisma quoque ipsam tam tertium, tam inveteratum cesserit.

Hos verò post Sanctos Patres & post sacratissimas Oecumenicas Synodos Pisanam & Constantiensem, hos, inquam, schola Parisiensis suæ sententiæ Duces habuit; neque illos quidem, ut nonnulli jactant, in hoc argumento suspectos, imò verò Apostolicæ Sedis ac Pontificiæ majestatis contra Wiclefium & Hussum studiosissimos defensores; atque extincto Schismate instauratores egregios, ut quæ de Conciliorum auctoritate dixerint, amore veritatis, tuendæque fidei, ac instaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ studio dixisse constet.

## CAPUT SEXTUM.

*An, ut quibusdam nunc videtur, quæstio de Superioritate à quæstione de Infallibilitate, secundum Alliacensem, & Gersonem, separari possit? Refertur caput, „ Si Papa, alique ex Decreto Gratiani „ Loci & Glossæ celebres quæ Parisiensibus „ præluxerunt. “ Hinc pro certo assumptum Papam, etiam ut Papam, esse fallibilem.*

AT fortè Romano Pontifici, non ut supremam illam in Concilia generalia potestatem ita etiam infallibilitatem detrahebant; video enim qui has quæstiones separandas putent. Verum auctores nostri ne id cogitabant quidem; imò non alia magis ratione Synodum universalem ipso Papa superiorem putabant, quam quod hic *deviabilis* sive *fallibilis*; illa *indeviabilis* & *infallibilis* esset. Vel ut alio modo ex eorum sanè verbis exponit

(f.) I. Part. refu. art. 4. n. 15. 16. 17.



nit Bellarminus (a) summam & absolutam potestatem in Ecclesia ponebant, ut in *regulante*, quia Ecclesia est *regulare & dirigere Papam*, cum ipsa non possit errare, Papa autem possit. Quare alteram quæstionem, vel teste Bellarmino, ab altera suspendebant, nedum seungi posse suspicarentur.

Atque illi quidem multa ex Scripturis, multa ex antiquitate testimonia & exempla referebant, quibus Ecclesiæ, adeoque Concilii eam repræsentantis auctoritas potior haberetur. Multa repetebant ex Decreto Gratiani & Glossis, quibus rebus tum plurimum utebantur. Memorabatur imprimis caput *legimus*, dist. 93., quod est Hieronymi: ex quo capite hæc verba promebant. [b] *Si auctoritas queritur, Orbis major est urbe*. Scio responderi & alicubi in Decreto ad marginem adscriptum: *major extensivè non intensivè*: dignam Turrecrematæ subtilitatem distinctiunculam: Caterum qualiscumque est huic loco non convenit; quærebatur enim, non quis multitudine aut quantitate, sed quis auctoritate præstaret. Favet Glossa ad verbum *major est*, & est hic argumentum quod statuta Concilii præjudicant statuto Papæ, si contradicant. Quem Textum unà cum Glossa sua Petrus de Alliaco & alii Parisienses vehementissimè inculcabant: sed inter omnia argumentum illud imprimis urgebant: *deviabilem* nempe Pontificem, *indeviabili* nempe Ecclesiæ, atque Concilio postponi oportere.

Porrò locutio hæc *deviabilis & indeviabilis*, adedò usitata à nostris, à capite *Si Papa duxit exordium*: sic autem habet caput illud apud Gratianum, Dist. 40. *Si Papa suæ & alienæ salutis negligens deprehenditur, inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à bono Taciturnus, (quod magis officit sibi, & omnibus,) nihilominus innumerales popu-*

*los catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulatu-: hujus culpas istis redarguere præsumat mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à Fide devius*. Hinc nimirum illud *deviabile* in Summo Pontifice quoad ab Ecclesia *indeviabili* necessariò reguletur; neque verò cogitabant distinctionem illam, essetne *deviabilis*, ut privata persona, an etiam ut Pontifex, vel ut *Melchior Canus* loquitur; (a) *Errore personali*, an *judiciali*: hæc nondum cogitabant: Pontificem simpliciter nulla reservatione, exceptione nulla posse esse à Fide devium fatebantur.

Imò Gratianus etiam, ut *Pontificem & errorem judiciali* à Fide deviare posse aperte supponit, cum de Decretalium auctoritate multa locutus, hæc addit, dist. 19. (b) *Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus vel Decretalibus epistolis, in quibus non præcedentium Patrum Decretis nec Evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur*. Quo loco victus Melchior Canus; (c) Gratianum accenset iis qui Pontificiam infallibilitatem negare videantur.

Afferit quidem Gratianus hic probationem infirmam, & Anastasii II. Decretalem immeritò erroris insinuat; sed affert alio loco Greg. II. Decretum authenticum, de quo meritò pronuntiet: *illud Gregorii sacris Canonibus, imò & Evangelicæ & Apostolicæ doctrine penitus invenitur adversum*; causæ 32. quæst. 7. Paragr. XVII. & XVIII. §. *sed illud*.

Extat etiam aliud à Gratiano relatum Pelagii II. constitutum, de quo Gregorius magnus hæc habet: *Quod mihi durum*

[a] Lib. 6. c. 2. (b) Num. 7. Laudata Leonis Magni ad Episcopos Provinciæ Viennensis in causa Hilarii Arelatenfis, Epistola. (c) Ibid. cap. I.

(a) BELLARM. de Conc. aut. Lib. 2. c. XIV.  
(b) HIER. Tom. II. epist. 85. ad Evag.



rum & incompetens videtur : capite ante Triennium, dist. 31. ad quæ verba Glossa apertè dicit : *illa constitutio fuit iniqua, & ad verbum durum : Statutum Pelagii fuit contra Evangelium.*

Hoc autem Statutum Pelagii II. esse ejus qui Gregorium proximè antecedit, probat eadem Glossa ex capite multorum dist. xxxii. num. 2. quod est ejusdem Gregorii Magni.

Hos Gratiani locos excutere hic non est animus, sed tantum explicare paucis quæ nostri pro *deviabilitate*, ut vocabant, Papæ, etiam circa Fidem atque Evangelicam veritatem argumenta ducerent à jure communi, communibusque Glossis, & communi sententia; atque ab eo etiam Canonum collectore, quem tum potissimum non modò nostri, sed tota etiam schola, neque tantum Canonistæ, sed etiam Theologi auctorem sequebantur.

## CAPUT SEPTIMUM.

*Quo sensu explicarent illud : Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, Luc. xxii. 32. Ea de re Glossa notabilis, quæ maximè utebantur : S. Thomæ, S. Bonaventuræ, & Nic. Lyrani loci. Petri de Alliaco locus insignis. Gersonis sententia.*

**N**Eque ullo modo movebantur hac pollicitatione Christi ad Petrum, *Rogavi pro te ut non deficiat Fides tua, Luc. xxii. 32.* vulgaris enim erat interpretatio, hæc Christi pollicita referens non ad fidem Petri, aut Romani Pontificis etiam de fide decernentis, sed ad fidem Ecclesiæ Catholicæ, quæ Petri diceretur, quod eam primus Petrus præ cæteris, ac pro cæteris prædicasset, maximè cum diceret communi Apostolorum nomine : *Tu es Christus filius Dei vivi.*

Hanc interpretationem firmabat Glossa

notabilis in caput, à recta quod est in Decr. Gratiani causa 24. 9. 1. quæ sic habet ad verbum novitatibus : *Quæro de qua Ecclesia intelligas, quod hic dicitur quod Ecclesia errare non potest : Si de ipso Papa qui Ecclesia dicitur ; sed certum est quod Papa errare potest : Responde : ipsa Congregatio Fidelium hic dicitur Ecclesia, & talis Ecclesia non potest non esse ; nam ipse Dominus orat pro Ecclesia : Ego pro te rogavi ut non deficiat Fides tua & voluntate laborum suorum non fraudabitur.* Clarum est, ubi intelligat non defecturam Fidem, in Ecclesia Catholica scilicet, non in ipso Papa, qui errare possit. Loqui autem de Papa ut est publica persona, vel ex eo patet quod de Papa loquatur, ut est aliquo modo Ecclesia, quod Papæ ut privata est persona nullo modo congruit.

Nonnulli hæc promissa Christi referebant ad Ecclesiam Romanam, etiam peculiarem à Petro fundatam, in eaque fidem Petri, hoc est fidem à Petro prædicatam, defecturam negabant.

Utrumque verò sensum antiquiores etiam scholastici docuerant, imprimis S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 6. ad. 3. dum ait, *Universalis Ecclesiæ fides non potest deficere, Domino dicente : rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* De Fide autem particularis Ecclesiæ Romanæ nunquam defectura, idem hæc scripserat, Comment. in Matt. xvi. & xvii. *Quamvis aliæ Ecclesiæ vituperari possunt per Hæreticos, Ecclesia tamen Romana non fuit ab hæreticis depravata, quia supra Petrum erat fundata. Unde in urbe Constantinopoli fuerunt hæretici, & labor Apostolorum amissus erat. Sola Petri Ecclesia inviolata permansit.* Unde Lucæ xxii. *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua : & hoc non solum refertur ad Ecclesiam Petri, sed ad fidem Petri, & ad totam Occidentalem Ecclesiam.*

Congruit ante dictis S. Bonaventuræ, in-



interpretatio in hæc verba: Rogavi pro te, &c. (a) Hic rogavit Dominus non ut Petrus non caderet, sed ut non deficeret, quia quamvis ceciderit resurrexit, vel potest illud referri ad Ecclesiam Petri, pro cuius fide rogavit Dominus secundum illud, Non pro eis tantum rogo; sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, & hæc Ecclesia, quæ designatur per Petri naviculam, licet concutiatur, tamen non naufragatur. En hic refert precationem, sive pollicitationem Christi, vel ad ipsum præcise Petrum, vel ad universalem Ecclesiam.

His favebat Nicolaus de Lyra quem nostri multum sequebantur in eundem locum Luc. XXII. (b) Ex hoc patet fidem non deficere usque ad finem mundi, potissime in Ecclesia Romana quæ à Petro post Christum fundata est.

Cumque nostri intelligerent precationem Christi sic accipi passim ab interpretibus suo ævo celeberrimis, ut ad Petri Ecclesiam referatur, cogitabant non defecturam fidem in ea Ecclesia, cuius Petrus Princeps ac Fundator fuisset, non autem proinde ejus successores errare & deviare non posse, tanquam necesse esset iis errantibus ruere Ecclesiam, eorumque culpam nullo aliunde auxilio refarciri.

Atque ex his omnibus Petrus de Aliaco sua illa deprompsit, quæ Tractatu de auctoritate Ecclesiæ per Concilii tempus Constantiæ edito docuit: [c] non esse, scilicet in Papa, tantam plenitudinem potestatis, quanta est in Ecclesia, quia confirmatio in fide, de qua dicitur quod Ecclesia non potest errare; juxta illud, Petre rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua. Illa non est in Papa, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, cum ipse erraverit, sed de fide Ecclesiæ de qua dicitur, & Portæ inferi non præva-

lebunt adversus eam, scilicet Ecclesiam. Non enim dictum est adversus te, scilicet Petrum. Concluditurque sic; igitur speciale privilegium est, & singularis Ecclesiæ auctoritas, quod non potest errare in fide.

Neque dicas loqui eum de fide personali Petri. Hoc est de fide Petri, ut est privata persona, non autem de fide Petri, ut est Summus Pontifex, edito Decreto declarans veritatem: non enim ea tum animo cogitabant; certè Alliacensis ab eis procul aberat, cum fidei personali Petri quæ deficere posset, opponeret, eam quæ deficere non posset, fidem non Petri, pro potestate decernentis, sed universalis Ecclesiæ.

Cæterum nihil est dubium, quin Alliacensis cum Papæ fidem deficere possedocet, agat de Papa decernente & judicante; eò enim pertinent tota argumentorum series ac vis. Cujus rei gratia allegat, Glossam illam supra memoratam, quod statutum Concilii præjudicet statuto Papæ. Qua quidem in Glossa certissimum est opponi non privatam Papæ personam ejusdem personæ publicæ; sed statuta statutis, Decreta Decretis, & ubique spectari personam publicam.

Hinc doctissimus Cardinalis hæc subdit: Hoc Privilegium, quod Ecclesia errare non possit in fide, aliqui extendunt ad Romanam Ecclesiam, aliqui ad Concilium generale, aliqui vero perstringunt ad auctoritatem universalis Ecclesiæ: sed non potest extendi ad Papam, ut dictum est. Quo excludere intendit Papam, sive ut privatam personam, sive ut judicantem, alioquin nihil agit.

Quo autem sensu per ea tempora aliqui præsertim ex Canonistis rei Theologicæ imperitissimis de Concilio dubitarent, non est nunc querendi locus; neque item requirendum quo sensu Ecclesiam Romanam particularem à Papa distinguerent; id constat pro certo habuisse Cardinalem quocumque sensu diceretur fidem Ecclesiæ.

(a) BONAV. Tom. II. Exp. in Evang. Luc. [b] In Luc. Cap. XXII. [c] Prima Pars GERS. Pag. 921. Tract. de aut. Eccl. 3. p. c. 1.



fiæ minimè defecturam, id quidem ad Papam sive ut privatam personam, sive ut decernentem, pertinere non posse.

Unde statim infert Papam posse ab universali Ecclesia, vel à generali Concilio eam repræsentante in multis casibus judicari & condemnari: & ab eo ad Concilium in multis casibus posse appellari, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus. Addit: alioquin Ecclesiæ non satis fuisset à Christo provisum, Namque Papa per hæresim manifestam, & tyrannidem apertam; aut aliud notorium crimen conaretur eam subvertere, & nemo ei dicere posset: cur ita facis? Per viam juris ei resistendo, id est ab eo appellando, eum accusando, & per Concilium judicando.

Ipsa appellationis vox satis profectò indicat hic intelligi Papam etiam judicario ordine procedentem, adeoque pro Papa agentem; quò etiam pertinent quæ idem Alliacensis non suo tantum, sed etiam totius facultatis nomine, Avenione dixerat coram Clemente VII. In causa fidei à Papa ad Concilium appellari posse. Quæ nos alio loco aptius referemus.

Consentanea magistro scribit Gerſo, cujus hæc sunt dicta: (d) Non reperitur in terris altera talis infallibilis regula, nisi generale Concilium legitime congregatum: In causis fidei non habetur in terra iudex infallibilis vel qui non sit deviabilis à fide, de lege communi, præter ipsam Ecclesiam universalem, vel Concilium generale eam repræsentans. In causis fidei nulla determinatio judicialis Episcopi, imò nec Papæ solius, præcisè ut est Episcopi vel Papæ, ligat fideles ad credendum quod sit de veritate fidei. Ac pro certo statuebatur Papam errare posse, sententiando contra fidem. Unde passim infert Alliacensis Cardinalis, indeviabilem potestatem, Concilii scilicet, deviabili, Papæ scilicet, anteferri oportere.

(d) De exam. doct. 1. p. conf. 1. an liceat in caus. fidei appellare à Papa 2. prop. ibid.

Hæc igitur docentes eos complectebantur omnes, nedum cuiquam suspecti essent; cum nempe constaret hæc ex Gratiano, Gratianique glossis vulgaribus, atque omnino ex communi tritaque sententia esse deprompta; quodque longè sit maximum, tantæ firmitudinis ut iis quoque Constantinensia Decreta niterentur.

Sacra namque Synodus cum Pontifici Concilium anteponit, causam quæ anteponatur, primam ponit fidem, fidei ut capiti adjungit cætera; in fide, inquit, (e) in Schismate; in Reformatione generali: qua doctrina posita nostri nullum relictum putabant Pontificiæ infallibilitati locum, cum nec ullum viderent adeò veritati inimicum, qui infallibili, hoc est ipsi veritati aliquid anteferebat. Sed hæc suo loco fustius. Nunc enim non ipsam questionem exponimus, sed quid Alliacensem Cardinalem, & ejus discipulum Gerſonem, atque horum sententiam secutos Parisienses, totamque adeò Academiam de Ecclesiastica potestate, atque infallibilitate docuisse constet.

## CAPUT OCTAVUM.

Scholam Parisiensem in Alliacensis & Gerſonis sententia perstitisse, toti Orbi notum: eam sententiam egregii viri ubique docuerunt. Cur Parisiensem doctrina dicta sit.

**N**Equè sola Parisiensis Academia in ea sententia stetit, sed etiam Colonienſis, Erfurdiensis, Viennensis Academiae in Germania nobiles, Cracoviensis etiam & Bononiensis, ipsa quoque Lovaniensis, & aliæ denique quarum suo loco acta referemus.

Scholam Parisiensem omnium celeberrimam semper in sententia perstitisse annales nostri, & ipsa gesta probant, suo  
postea

(e) Conc. Const. Sess. 4. & 5.



postea ordine recensenda . Unde nostri Doctores *Jacobus Almainus* , & *Joannes Major* sub *Ludovico XII.* & *Francisco I.* Scriptores nobiles hæc habent ; *Almainus* quidem : ( a ) *Conclusio est quam tenent omnes Doctores Parisienses & Galli , quod potestas Papæ est subiecta potestati Concilii , & hanc vocat resolutionem Scholæ Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ .* Hanc probat eâ maximè ratione quâ *Gerfonem* usum fuisse vidimus , quod potestas quæ est in supposito *deviabilis* , debet *dirigi secundum potestatem indeviabilem* : Pontificia scilicet per conciliarem . Hæc *Almainus* ; Quid *Major* ? Postquam eandem sententiam probavit , hæc addit : & *nostra facultas à diebus Concilii Constantiensis , in qua plures exercitatos habet Theologos quàm in duobus vel tribus Regnis , sic hanc partem fovet , quod nulli licuit asserere oppositum probabile , at qui tenuerit , in campo revocare cogitur .* Nota verba à diebus *Concilii Constantiensis non licuit* . Hoc est non licuit postquam expressè discussa res est : sed antea quoque *Major* & alii præcessisse traditionem docent .

Hos libros *Almainus* , & *Major* jussu facultatis ediderunt . Hæc verò cum docerent , & toti Ecclesiæ testarentur , nullum eversa omnia , & periclitari fidem ac doctrinam illam *planè detestabilem ac Schismaticam* inclamabant . Neque se *Romani Pontifices* commovere , aut libros ullâ notâ censuere dignos , quippe qui intelligerent hæc verè esse Decreta sacratissimæ ac probatissimæ facultatis .

Placet considerare quid de nostræ facultatis sententia exteri quoque exscripserint . Primus *Albertus Pighius* dum adversus *Constantiensia* & *Basileensia* Decreta pleno ore invehitur , hæc sublit : [ b ) *Horum Decretorum auctoritatem asseruit Joannes ille Gerfo Cancellarius Pa-*

*risiensis , quem in hodiernum usque diem universa illa Schola sequitur .* Hæc scribebat Anno 1538 . & qui de Pontificiâ potestate , tam inaudita scripsit , ut eo nomine ferè ab omnibus contemnatur , neque tamen Scholam Parisiensem in *Gerfonis* sententia permanentem ulla nota fugillare ausus ; *Gerfonem* etiam *doctum ac pium* vocat .

*Martinus Azpileveta* ( c ) *Navarrus* , Regno scilicet *Navarrico* oriundus , divini humanique juris consultissimus , postquam *Salmanticæ* & *Conimbricæ* docuit , Romam profectus est , Summisque Pontificibus *Pio V.* & *Gregorio XIII.* & *Sixto V.* Clarus Romæ multa scripsit atque edidit . Is in caput , novit , de judiciis hæc habet : *non est consilium in præsentia definire cui principalis potestas Ecclesiastica fuerit à Christo collata , an Ecclesiæ toti , an verò ipsi Petro , propter illam discordiam maximam Romanorum ac Parisiensium .* ( Romanorum Curialium certè aut privatorum Doctorum , non profectò Pontificum , à quibus nostra firmata docerimus ) pergit : *Illi ( Romani scilicet ) tenent Petro , & successoribus datam hanc potestatem , atque ideò Papam esse Concilio superiorem .* Hi verò quibus *Joannes Gerfo* adheret , docent datam esse toti Ecclesiæ , licet exercendam per unum ; atque adeò in aliquot casibus Concilium esse supra Papam : Quarum illa [ scilicet Romanorum ) placuisse videtur *Sancto Thomæ* , & *Thomæ de Vio* , altera verò placuit *Panormitano* qui pro *Parisiensibus* est ; quem frequentius nostri sequuntur . Quem mordicus tuetur *Jacobus Almainus* è *Sorbona Theologus* , & *Joannes Major* , Cap. 18. in *Matth.* qui idem facit : *Aliens Romæ neminem permitti tenere Parisiensium , & Panormitani sententiam , nec rursus Academiam illam Parisiensem pati ut*

( a ) Lib. de pot. Eccl. & laic. inter Opera GERSON. ( b ) Lib. 6. Hier. Eccl. C. II.

( c ) BELLARMIN. & LABB. de Script. Eccles.



ut contraria opinio asseratur in ea. Item de poenitentia D. 3. utramque opinionem Italicorum & Gallorum pari refert æquitate: Itali & Galli diversa sentientes æque Catholici nullo discrimine habebantur.

Adeò autem hæc de Gallis sententia toto orbe permanavit, ut *Franciscus de Victoria* Hispanus scripserit: (a) notandum quòd de comparatione potestatis Papæ duplex est sententia; altera *Sancti Thomæ & sequacium* multorum, & aliorum doctorum tam in Theologia, quàm in jure Canonico; quòd Papa est supra Concilium: altera communis est sententia *Parisiensium*, & multorum etiam doctorum in Theologia & Canonibus, ut *Panormitani & aliorum contraria*, quòd Concilium est supra Papam.

Neque verò soli Galli hanc sententiam scriptis editis propugnarunt, nempe & *Navarrum* dicentem audivimus eandem sententiam secutum celebrem illum *Nicolaum Catanensem* Archiep. *Panormitanum*, *Lucernam juris dictum*; (b) quem pro Concilio etiam in Pontificem supremam potestate multa scribentem, & Concilio *Basileensi* semper inhaerentem, adeoque à *Felice Basileensi* electo Cardinalem factum, *Bellarminus* (c) tamen laudatum potius quàm condemnatum velit, adeò non semper illam sententiam hostili animo insectantur qui eam vel maximè reprehendunt.

*Panormitano* in Italia præluxisse *Panormitani Magistrum Zabarellam* Cardinalem Florentinum, virum maximum *Bellarminus* (d) fatetur. Accedit è Germania *Nicolaus Cusanus* postea Cardinalis. Prodiit ex Hispania *Alphonsus Tostatus* Episcopus *Abulensis*, tantà doctrinæ opinione, ut *Bellarmino* miraculum fuerit, tot scilicet scriptis editis,

(e) brevissimo tempore cum non vixerit nisi quadraginta Annos. De quo merito dictum sit, eodem *Bellarmino* teste: *Hic stupor est mundi*, nec minùs sanctitate clarus habebatur, ut idem *Bellarminus* memorat. Is (f) in libro qui dicitur *Defensorium*, fusè probat à Christo institutum Tribunal superius Papa, nempe Concilium quod Papam corrigere & judicare possit, non solum in fide, sed etiam in aliis casibus, solumque illud Tribunal id habere ut errare non possit, Papam autem errare posse etiam in damnanda hæresi. Quem librum *Bellarminus* cautè legendum monet propter hanc sententiam: sed alii libri ejusdem sunt Spiritus, neque hujus scripti, tantique viri auctoritas uno *Bellarmini* verbulo infringi queat.

Hic cæteros scriptores recensere non est animus. Nimia nos copia opprimeret, & multi alii suo loco proferentur. Hic quidem placuit appellare eos qui in omnium ferè ore versarentur: quibus *Alphonsum de Castro Hispanum* Patrum nostrorum memoria è Minorum ordine Theologum nobilem, & à nostro *Feuardentio*, ejusdem ordinis editum in lucem, *Bellarminus* accenset (g).

Hinc liquidò patet quam *Parisiensium* sententiam vocant, non idèd *Parisiensibus* attributam, quòd in ea tuenda singulares essent, sed quòd eam singulari studio, & eruditione tuerentur. Cæterum in omnibus Ecclesiis vulgatissimam extitisse, & à scriptoribus pietate ac doctrina præstantissimis ubique terrarum publicè, & cum laude esse defensam, nedum suspecta fuerit,

(e) De script. Eccles. [f] TOST. t. 12. defensorii p. 2. C. 30. 69. 70. [g] BELLARM. de R. P. C. II. Lib. contra hæres. Cap. II.

[a] De pot. Pap. & Conc. (b) LABB. de Scriptur. Eccl. in Cap. significasti? c] De conc. ant. Lib. II. Cap. XIV. [d] Ibid.



## CAPUT NONUM .

Dionysius Carthusianus adducitur; ejus exemplum probat, eos qui per eam aetatem Pontificiae auctoritati vel maxime favebant, summa ipsa in Parisiensem sententiam convenisse; Ecclesiae soli eamque representanti Concilio generali ab eo doctore tributa infallibilitas: locus, rogavi pro te, &c. Lucæ XXII. 32. cum ea doctrina facile conciliatus.

**D**ionysii Carthusiani auctoritas in hac quaestione maximi est ponderis, cum propter singularem viri gravitatem, tumque ejus exemplo constitutum sit omnibus, multos ubique terrarum scriptores gravissimos, qui à Parisiensium sententia abhorreere videantur, summa tamen ipsa in eam egregie consensisse.

Is igitur paulò post Basileense Concilium sub Nicolao V. Eugenii IV. successore floruit sanctitatis nomine ab Odorico Raynaldo commendatus; atque eo quidem tempore Basileensis Concilii quaestio de superioritate, Doctorum omnium sermonibus celebris habebatur; eratque Dionysius (a) hic unus omnium qui Papae superioritatem in Ecclesiam etiam congregatam vehementissime tueretur; edito in eam rem libro de auctoritate Papae & concilii generalis. Is tamen articulo, cui titulus, (b) *Determinatio difficultatis praecipuae an scilicet Papa sit super Concilium, an vice versa: arbitrator respondendum, quòd ibi sit excedens, & excessum, id est, quòd in aliquibus, puta in his quae proprie ac directe spectant ad forum generalis Concilii, & propter quorum determinationem, seu expeditionem, illud celebratur, in his Concilium videtur esse supra Papam, ita*

quòd Concilium dando voces seu vota, est liberum, nec Papa potestatem coercitivam habet super illud in hujusmodi causis, magisque standum est determinationi, seu ordinationi Concilii generalis, quam Papae. En quo loco sit Concilii auctoritas, in his causis propter quarum determinationem celebratur.

Quenam autem illae causae sint, quamquam obscurum non est, tamen à Pio viro disertè explicatur. Porro inquit; (c) hae causae sunt, extirpatio Hereticae pravitate ac Schismatis, declaratio fidei, atque editio Symboli ejus, Universalis reformatio Ecclesiae in capite, & in membris ejus. Hæc quidem ipsissima sunt quæ Clerus Gallicanus ex Concilio Constantensi repetenda censuit. Pergit Carthusianus; Itaque in expeditione istorum, major dicitur potestas Concilii generalis, quam Papae, quoniam Christus promisit Ecclesiae, seu Concilio ipsam representanti, infallibilem directionem, & gloriosam assistentiam incessantem; ita quòd errare non potest in fide, neque in his quæ ad bonos mores pertinent, eò quòd in talium determinatione regatur immediatè à Spiritu Sancto: Unde, & Papa in talibus tenetur stare determinationi Ecclesiae, seu statutis Concilii tanquam ordinationi ac sententiae Spiritus Sancti. CUMQUE PAPA POSSIT ERRARE IN FIDE, ET IN MORIBUS AC CÆTERIS QUÆ SUNT DE NECESSITATE SALUTIS, EJUS JUDICIO NON VIDETUR ULTIMATÈ, AC CERTITUDINALITER STANDUM IN ISTIS, CUM NON SIT INFALLIBILIS REGULA, NEQUE INDEVIABILE FUNDAMENTUM. Quid clarius? At cum Concilio tanta tribuat, Pontificis tamen superioritati nihil se derogasse putat, quoniam infallibilis ista directio à Spiritu Sancto, non videtur per-

C 2

[a] Dionysius Carth. Edit. Col. 1532. tit. 1. f. 327. [b] 1. Part. art. 27. f. 340.

(c) Ibid. art. 31. f. 341. verso.



pertinere ad majoritatem potestatis, ac jurisdictionis presidentialis, sed potius est supernaturale donum Spiritus Sancti, actuale magis, quam habituale; idcirco ex his non satis probatur potestas Ecclesie esse super potestatem Papæ, sed quod major sit gratia atque perfectio universalis Ecclesie. Denique sic concludit: [a) Præterea cum Papa constitutus sit totius Ecclesie Summus generalisque Cultor, Pastor, & Pontifex, fideique Defensor, ac præcipuarum difficultatum, Ecclesie determinator, non sic ad generale Concilium pertinet hæreses & Schismata extirpare, totius Ecclesie reformationi intendere, fidem declarare, ac fidei symbolum edere, quin etiam hæc ipsa ad Papam, ratione sui officii directe pertineant, ideoque neque ex his satis ostenditur quod potestas Concilii sit, absolute loquendo, major potestate Papali, sed quantum ad aliquid, quoniam hæc certius, seu expeditius fiunt per generale Concilium, quam per Papam duntaxat, eo quod majoris gratiæ atque subsidii promissio sit facta Ecclesie quam Papæ.

Tum postquam protulit locum Sancti Thomæ in 2. 2. q. 1. determinantis quod ad Papæ auctoritatem pertinet editio symboli, hæc addit *Sed contra hæc quidam obijciunt*, quod cum Papa possit errare, non potest quis ejus determinationi atque sententiæ, absque omni formidine tam actuali quam habituali assentire; sed determinationi Ecclesie quæ errare non potest, certitudinaliter statui. Idcirco ad generale Concilium pertinere videtur, **ULTIMA DECISIO CREDENDORUM, QUOD VERUM REOR**; En quæ pii doctique viri sententia sit; additque, *nihilominus ad auctoritatem Papæ pertinet istud*; Quamvis persona, cui tanta auctoritas concessa est, sit similis aliis, mortalis & fragilis, atque peccabilis:

idcirco sententiæ ejus secundum quod a tali persona procedit non ita certitudinaliter statui sicut sententiæ Universalis Ecclesie non errantis, ad quam etiam pertinet declarare editionem Symboli à Summo Pontifice factam esse idoneam. En quo sensu, & suam tueatur & Sancti Thomæ exponat sententiam.

Hiscum apertissime doceat Papam in judicando de fide, esse fallibilem, locum illum de Petri nunquam defectura fide sic interpretatur ex communi sententia. Quoniam Petro specialiter fuit committenda Ecclesia. Unde quod dicitur, ut non deficiat fides, idem est ac si dicatur, ut non deficiat fides Ecclesie tibi committendæ: Sicque ex verbis his sumitur argumentum quod fides Romanæ Ecclesie, quam in ea Petrus plantavit, sit usque in finem sæculi duratura. Hæc scripsit in celebrem Evangelii locum Luc. XII. 32. quo exemplo constat hæc duo à doctoribus in Romanæ dignitatis cultum propensissimis conciliari solita, & Romanam Pontificem etiam de fide judicantem posse deficere; & tamen Ecclesie Romanæ fidem nunquam defecturam.

## CAPUT DECIMUM.

*Idem Dionysius Carthusianus exponit quæ auctoritate in aliis præter fidem causis, Romanus Pontifex à Concilio judicari possit.*

**H**is expositis, idem auctor quærit, [b) quomodo Papa, quem Ecclesia tota, etiam collecta & adunata, superiorem esse vult, ab ea deponi, ac judicari possit, non tantum Hæresis, sed etiam aliarum culparum causa, quem nodum sic solvit: (c) *Dicendum quod*  
Papa

[a) Ibid. art. 32. fol. 342-

(b) Ibid. art. 34. f. 342. [c] 48. p.



Papa, secundum quod talis, ut puta in quantum Summus Ecclesie Pastor & Pontifex, non est à Concilio generali sententialiter judicandus aut per depositionem puniendus; quia ut talis est Superior, & Prælatus, & Judex Ecclesie; sed in quantum esset intolerabiliter vitiosus, seu criminofus sic esset inferior, & Concilium haberet super eum potestatem ac jurisdictionem à Christo, à quo immediate claves accepit Ecclesia, quam representat Concilium: qui etiam Christus dedit potestatem Ecclesie, abjiciendi membrum scandalizans, infectivum, ac putridum: sic ergo generale Concilium potestatem & jurisdictionem habet in Papam, in quantum Papa ratione culpæ inferior redditur ipso Concilio: imò insuper, & in quantum Papa consideratur ut membrum, filiusque Ecclesie; puta ut determinata persona fidelis, seu unus Christianus viator, peccabilis, & in quantum talis est, dicitur ei a Concilio lex præfigi, ne sua potestate abutatur, sed debite dirigatur. Concluditque sic: Ex his patet ad objecta solutio: par enim potestatem non habet in parem, in quantum est talis, id est æqualis, sed ut aliquo modo extat inferior: similiter minor non ligat, nec absolvit majorem secundum quod major est, sed in quantum est quodam modo minor: sic nec Judex judicatur ut Judex, sed ut publice reus, Hæc ille: tum si Doctorum insignium, qualis erat S. Thomas, objiceretur auctoritas, eam quidem commoda, quantum poterat, interpretatione mollebat; sed interim hæc erat prompta responsio: Ista ex præfato scribimus doctore, non quia nunc sit prorsus tenendum, præsertim propter generalis Concilii Constantiensis ad oppositum determinationem, cujus auctoritas major est, quam cujuscunque doctoris Catholici.

## CAPUT UNDECIMUM.

De Lovaniensi facultate: eam cum Parisiensi & Colonienfi circa Constantiensem, Basileensemque doctrinam consensisse: Nicolai Dubois Professoris Lovaniensis vana argumenta.

**T**ot egregiis toto orbe terrarum apellatis doctoribus juvat de Lovaniensibus singularem habere quætionem, cum propter eximium ejus facultatis splendorem ac famam, tum quoddam adversarii, quæ ad eam facultatem attinent haud plenà fide ac diligentia tradiderunt.

Et quidem Nicolaus Dubois (a) rerum quoque suarum, ac suæ facultatis ignarus, id agit, ut ea facultas jam inde ab initio suæ foundationis, eam credatur amplexa sententiam quæ extra Schismatis causam Concilio Pontificem anteponat: Quam quidem sententiam hauserit, ab Universitate Parisiensi, & Colonienfi à quibus originem duxit. Sed hæc quàm falsa sint, luce clarius est.

Ac primum certum est Universitatem Lovaniensem post Constantiense Concilium, Basileensis Concilii tempore, fuisse conditam; quin ipse Nicolaus Dubois profitetur qui Lovanii in Theologica facultate gradum fusciperet, ante Annum 1439. fuisse neminem; quo tempore maxime inter Eugenium IV. & Basileense Concilium esserbuisse dissidia nemo nescit. Neque minus liquet, non modò Universitatem Parisiensem, sed etiam totam Ecclesiam Gallicanam Basileensi Concilio adhæsisse; quod D. Dubois & ipse testatur. Quid autem Universitas Colonienfis per idem tempus senserit, hæc declarat ad Theodorum Coloniensem Archiepiscopum Anno 1438. edita responsio. Pri-

ma



ma propositio ; *Ecclesia Synodali*ter congregata habet supremam jurisdictionem in terris , cui omne membrum Ecclesiae , cuiuscumque dignitatis fuerit , etiam Papalis , obedire tenetur , quam nemo sine ipsius Ecclesiae Synodali consensu DISSOLVERE AUT TRANSFERRE POTEST. In secunda propositione legitur ; quod omnes obedire tenentur Christo , suaeque sponsae Ecclesiae , in qua prima praesidentia est Sedis Apostolicae super omnes alias Ecclesias particulares , & sedes inferiores , NON SUPER TOTAM UNIVERSALEM PRAELATÆ . Cætera ejusdem sunt spiritus : atque hæc doctrina est , quam à Parisiensibus , & Colonienfibus doctoribus , & fundatoribus suis Academia Lovaniensis Anno 1438. hoc est in ipso foundationis initio hauserit . Unde *Aeneas Sylvius* hæc memorat , ( a ] de Lovaniensibus ab Amedæo Lugdunensi Archiepiscopo , Regio oratore , viro omnium consensu doctissimo atque sanctissimo ad Ludovicum Romanum Protonotarium dicta : „ Viros omnium doctissimos conclusiones nostras impugnare video , quæ certæ , & verissimæ sunt , & ab illis qui nunc eas reprobant , aliàs approbatæ . „ Nec nos fugit Ludovicum Protonotarium has veritates Lovanii ac Coloniae prædicasse , easque illinc Universalis studii auctoritate firmatas reportasse , quare si ipse nunc mutatus est , veritas tamen non est mutata . „ Quid ad hæc Ludovicus à tanto Pontifice compellatus ? Pergit historicus : *Quo finiente illicò Ludovicus assurgens , verum est , ait , illas me apportasse veritates , vos tamen eas fidei veritates nuncupatis , quæ adjectio mihi subdubia est .* Hæc ille de Basileensibus illis conclusionibus , quibus Conciliorum potior auctoritas asseritur . Cæterum id tantum subdubitare se dicit , hæc veritates an fide certæ sint : veritates esse , saltem Theologica demonstratione certas ,

atque à se prædicatas , Coloniaeque & Lovanii universalis studii auctoritate firmatas , nec ipse diffitetur .

Hæc tacet Nicolaus Dubois ; quæ nihil ad rem faciant studiosè colligit . At enim sic objicit . Anno 1448. Nicolao V. Eugenio IV. successori Universitas Lovaniensis declaravit se ipsi , & Eugenio , & legitimis Pontificibus adhæsisse , legatis Basileensibus nequidquam contraria suadentibus , sed hoc nihil ad doctrinam Concilii Basileensis , quam secuti Galli , Germanique haud minus Eugenio IV. licèt deposito adhæserent ; neque propterea Concilio potestatem defuisse dicebant : sed an ea in Eugenium iuste ac necessario usi essent ambigebant , & ne Schisma fieret verebantur . Acta suo loco referenda rem clarius demonstrabunt : interim Professor multa pollicitus , nihil tamen attulit , quo suos Lovanienses à Concilii superioritate abhorruisse comprobaret ; nos certa adduximus quibus in eam apertè consensisse , constet .

## CAPUT DUODECIMUM .

*Adrianus Florentius , mox ADRIANUS Papa VI. facultatis Lovaniensis ornamentum , Parisiensium sententiam sequitur . Quorundam Lovaniensium cavillationes .*

POST Concilium Basileense , atque Academiae Lovaniensis initia , primus inter Theologos Lovanienses , nobilis scriptor extitit *Adrianus Florentius* Ultrajectinus , mox *Papa Adrianus VI.* Scholæ Lovaniensis ornamentum atque in eam effusissimè liberalis . Is infimo genere ortus , primum Theologiam Lovanii magna cum laude docuit ; tum ordine factus est Academiae Cancellarius , Caroli V. Augusti Præceptor , Episcopus Dertusanus , Sanctæ Romanæ Ecclesiae Cardinalis , denique post Leonem X. Summus Ponti-

( a ] *ÆNEAS SYLV.* Lib. 1. *Hist. Basil.*



Pontifex : tanta modestia, ut nihil infelicius in vita duceret quàm quòd imperaret . Is cùm de confirmationis administratione disputaret , negaretque Presbyteris permitti pòsse , Sancti Gregorii celebrem locum sic solvebat : ( a ) „ Ad secundum principale de facto Gregorii , dico prius , quòd si per Ecclesiam , Romanam intelligatur caput ejus , putà Pontifex , certum est quòd possit errare , etiam in iis quæ tangunt fidem , Hæresim per suam determinationem , aut Decretalem asserendo ; plures enim , fuere Pontifices Romani Hæretici . Item , & novissimè fertur de Joanne XXII. : quòd publicè docuit , declaravit , & ab omnibus teneri mandavit quòd animæ purgatæ ante finale iudicium non habent stolam , quæ est clara & facilis visio Dei ; & Universitatem Parisiensem adhuc induxisse dicitur , quòd nemo poterat in ea gradum in Theologia adipisci , nisi primitus errorem hunc pestiferum jurasset , se defensurum , & perpetuò ei adhæsurum . Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa matrimonium Fidelium , quorum , alter labitur in hæresim , cuius error olim habebatur in alia Compilatione juris , Cap. LAUDABILEM DE CONVERSIONE CONJUGUM . Vide quàm apertè doceat omnino fieri posse , ut Pontifex Hæresim non jam ut homo privatus , sed ut Pontifex , per suam determinationem aut Decretalem asserat . Quamque pestiferum errorem putet eum , quem Joannes XXII. publicè docuerit , declaraverit , & ab omnibus teneri mandaverit . Neque hic curamus an Joannes XXII. & alii excusari possint : quid de illis senserit Adrianus VI. , quid fieri potuisse putaverit , id verò quærimus ; imò non quærimus , quis enim in re tam apertà questioni locus ? Sed apertam tanti doctoris sententiam tenemus & notandum .

[ a ) In 4. Serm. 9. de Consi.

est quod addit jam ad Gregorium rediens , Non tamen dico Gregorium hic errasse ; sed evacuare intendo impossibilitatem errandi quam alii asserunt : quo quidem se demonstrat , nulla tuendæ causæ , quam susceperat necessitate adactum : ad hanc tamen sententiam dedita opera declarandum solo veritatis amore adductum esse .

Neque verò eam sententiam Pontifex retractavit , ut profectò si erroneam putasset , facere debuisset , nam idèd Pius II. ( b ) qui se Basileæ cùm Synodo privatus intercesset , errasse credebar , solemnè retractione sua scripta confixit : „ Hæc enim scripta , ait , fortasse scandalum parient . Qui hæc scripsit , inquit , in Beati Petri Cathedra sedit , nec inventur mutasse propositum . . . . Qui eum elegerunt , & in Summo Apostolatus vertice collocarunt ab iis scripta ejus approbata videntur . Cogimur itaque Beatum Augustinum imitari . „ Nihil simile Adrianus ; suæque scripta adèd non retractavit , [ c ] ut potius Romæ , statim atque Pontifex factus est , edenda curaret , Anno videlicet 1522. cùm Anno 1521. Pontifex esset creatus . Nempe si ipse , aut alius Pontifex in fidei quæstione determinanda defecisset , non idèd Petri fidem & Ecclesiam Romanam defecturam putabat . Imò metuebat , ne illi errandi impossibilitati , quam privatus doctor olim improbaverat , vel Pontifex factus favisse videretur . Hic Lovaniensis Anonymus , in doctrina Lovaniensium mira refert sub hoc titulo : *Discutitur doctrina Adriani Papæ VI.* summa est : non hic egisse Adrianum ( d ) de Pontificia definitione ex Cathedra , sed de iudicio super difficultatibus , quæ in facto occurrunt , donec si res sit ad fidem & mores tendens , pleniori examine ex Cathedra definiatur . Quid autem illud est ? Nisi in re gravi ludere , sibi que ipsi illude-

[ b ] PIUS II. Bull. vet. ad Colon. [ c ] LABB. de Script. Eccles. ( d ) Doct. Lov. art. 1. p. 59. ex Maldon. & Viggers.



ludere ? An loquitur de difficultatibus quæ in facto occurrant, qui de fide, de hæresi tam apertis verbis agit ; Quodnam verò examen plenius ? Quam decisionem narras post eam, qua *de fide determinatum est*, qua Pontifex aliquid publice docuerit, declaraverit, ab omnibus teneri mandaverit ? quæ verba Adriani Lovaniensem nostrum referre, & exscribere puduit, quòd iis statim perlectis, ejus responsio evanescat.

At enim *Joannes Viggers* ab Anonymo laudatus, inquit, non id postulabat ea, quam Adrianus solvebat, difficultas ut de Pontificiorum Decretorum infallibilitate disputaret cum de Gregorii facto dumtaxat ageretur. Certè idque monet vel ipse Adrianus ; sed hæc à se dicta quòd illam aliorum de errandi impossibilitatē sententiam dedita operā, evacuatam vellet, neque in asseverandis his, vanis, certè dubiis Sedis Apostolicæ privilegiis, veræ pietatis partem ullam reponeret.

Pergit tamen Lovaniensis noster : *At Adrianus asserit certum esse quòd Pontifex possit errare : hoc si intelligeret de Pontifice, ut desinente, & proponente toti Ecclesiæ aliquid fide credendum, neutiquam est certum : tibi quidem forsitan, sed ipsi Adriano est certum : at è contra, inquis, id nedum certum sit, manifestè est falsum, ejusque oppositum adeò certum, ut ab aliquibus habeatur de fide.* Quid ad nos si ab aliquibus ? Non ab Adriano quidem, qui eam sententiam evacuare intendit. Quare non *Melchior Canus* ; [ a ] quantumvis acerrimus Pontificiæ infallibilitatis assertor, non ipse *Bellarminus*, ut Lovanienses illi tergiversandum putant. Verùm Adrianum VI. nominatim accensent iis qui Pontificiam infallibilitatem non agnoscunt : neque eò sciùs *Bellarminus* virum optimum & doctissimum ap-

pellat, qui meritò doctrinæ & pietatis ex humili domo, in tantam dignitatem conscenderit. ( b ]

Jam verò *Nicolaus Dubois*, postquam Adriani verba retulit de Romano Pontifice ita affirmantis ; *potest errare, hæresim per suam Decretalem asserendo* ; respondet : *Distinguo, si de potentia Metaphysica loquatur Adrianus, etiam hoc transeat : Quam doctè ! Erant scilicet qui assererent Pontificem Metaphysicè loquendo aut de potentia absoluta errare non potuisse. Eaque erat errandi impossibilitas quam Adrianus evacuare intendebat ; & pulchrè transeat, nam si professori Bilem moveris, fortè asserturus est Romanum Pontificem, nec potentia Metaphysica errare potuisse.*

Quæ addit, quoniam non ad explicandum, sed ad confutandum Adrianum pertinent, hujus loci non sunt. Pudet tamen interim Adrianum tantum virum à Professore Lovaniensi temeritatis fuisse incusatum, at subdit Adrianum Pontificem factum, ea quæ hic scripserat revocasse ; nempe, inquit, docuerat Confirmationis Sacramentum ex delegatione Pontificis, non posse conferri à simplice Sacerdote ( c ). Quid tum postea ? Pontifex factus etiam ipsemet ejusmodi Commissionem dedit ; quod pater *Farraguet* ex Palavincino probat. Quid ad nos ? Id certè quærimus, an illam impossibilitatem errandi, quam nunc Lovanienses quidam veluti pro fidei fundamento ponere velle videantur, cum privatus Doctor evacuare intendisset, saltem Pontifex factus, constabilitatem, ac sua anteriora retractata vellet. Neque ab eo scopo aberrare oportebat Theologiæ Professore : verum hominem equidem vidi neminem qui quæ ad rem non faciunt, in exiguo quamvis libello, majore studio colligat & congerat. Quare

[ a ] *Melch. Can. L. 4. C. I. Bellarm. Lib. 4. de R. P. Cap. 2.*

( b ] Idem *D. Script. Eccles.* [ c ] *Ibi. num. 156. 157.*



Quare certum omnino est Adrianum VI. eorum de quibus agimus, nihil retractare voluisse. Quid jam Lovanienses quidam vociferantur in nos, perditam omnia & conclamata esse, ac de summa rei Christianæ agi cum de infallibili supremæ Pontificis in universam Ecclesiam auctoritate agitur? Neque intelligunt, nos quidem peti ab ipsis per Adriani latus: nec nisi conculcato tanto Pontifice, doctissimo pariter, atque sanctissimo, & quod pudere debeat, in se beneficentissimo, suæque facultatis ornamento, Clerum Gallicanum oppugnari potuisse.

Quare Lovanienses, ac Duacenos pios & doctos, quos oppidò diligimus & colimus, alioque viros bonos, etiam atque etiam obsecramus, ut cogitent, tantine illa sit Summi Pontificis aut superioritas, aut etiam infallibilitas, à tottantisque viris Catholica fide ac pace florentibus impugnata, ut in ea summam rei Christianæ, aut firmissimam nostræ contra Lutheranos defensionis arcem, aut Sedis Apostolicæ majestatem vimque Ecclesiæ, ac decus Israelis collocent. Nos certè alia, Deo dante, minùs licèt inflata verbis re illustriora, meliora utilitate atque auctoritate firmiora promemus.

## CAPUT XIII.

*An sit verisimile Parisiensium doctrinam post Adrianum VI. à Lovaniensibus condemnatam? Lovaniensium erga Adrianum reverentia singularis.*

**E**Tiam si post Adrianum facultas Lovaniensis ejusque Doctores, à priscis institutis dellexissent, non propterea Parisienses vituperandi, aut etiam condemnandi, sed potius laudandi essent, qui in antiqua sententia persistissent; atque ambæ facultates pacem colerent, & à censura mutua temperarent. Sanè Patom. I.

rifientes & Lovanienses sese mutuo suspexerunt, atque suspiciunt; & ea quæ jam inde ab initio intercessit animorum mira conjunctio, nullo unquam factò dictoque violata est.

Prima facultas Lovaniensis Anno 1519. certa doctrinæ Lutheranæ capita, censura notavit; secuta Parisiensis Anno 1521. concordibus animis atque sententiis. Rursum prima facultas Parisiensis in eundem Lutherum & alios Hæreticos, Francisco Rege jubente, Anno 1542. Articulos edidit; secuta Lovaniensis Anno 1544. jubente Carolo V. viros Lovaniensibus Parisienses Articulos, atque eodem spiritu in eundem scopum collimatum fuisse, & temporis ratio, & accurata utrorumque lectio facillè comprobavit, adeoque nihil fuit quod Lovanienses in Parisiensium Articulis improbarent, ut simul fuerint editi, & excusi in Joannis Driedonis operibus, (a) accurate editionem Ruaro Tappero Academiæ Lovaniensis Cancellario, ac Sacræ Theologiæ Professore, quippe cum conjunctos oporteret Articulos utriusque facultatis, ut concordia in Lutherum de Catholica fide testimonia.

Utramque facultatem, in tradenda de Romani Pontificis potestate doctrina minimè dissensisse multa persuadent; imprimis summa facultatis Lovaniensis reverentia in Adrianum VI. quem in Parisiensium fuisse sententia, Bellarmino etiam teste, jam diximus. Primum enim quo tempore illa edita est Lovaniensis facultatis in Lutherum censura, totum id Adriani, tum Cardinalis Derthusani, judicio factum. Id Jacobus Latomus major, cum pro ea censura scriberet, in præfatione luculenter exposuit, & censuræ præfixa ejusdem Cardinalis Epistola testatur. (b) Sufficere debuit judicium Re-

D

veren-

(a) Post Tom. III. Joan. Dried. fol. 1701. (b) Def. Cens. Lov. Epist. Dedic. Ibid. admon. ad auditor.



verendissimi Cardinalis Derthusensis, cuius probitas & sapientia, non modò præclaris libris editis, sed & maximis rebus orbi nota est. Ut propterea diceret non videri necessarium Articulorum reddere rationem. Ex quo intelligitur quàm probarent Adriani Libros. Atque is annis post duobus ad Petri Cathedram est erectus; ac facillè intelligi potest, quanto honore profecti sunt Pontificem, qui non modò Cardinalem, verùm etiam privatum tantopere suspexissent.

Edidit postea Joannes Driedo Sacrae Theologiæ Professor apud Lovanienſes Anno 1533. Librum de Ecclesiasticis scripturis, & dogmatibus; neque ita multò post Librum de Captivitate, & Redemptione Generis Humani: in cuius præfatione Adrianum VI. miro affectu celebrat: *Observantissimus*, inquit, *meus in studiis Theologicis Professor, qui in filium eruditionis susceperat, & præsidens mihi Pileum Magisterii in Theologia imposuit Anno Nativitatis Domini 1512. die 17. mensis Augusti*; qui & usque in tempus ferè illud Lovanii resederat, totius nostræ Academiæ lumen & decus, postea illius nominis Pontifex VI. Ex quibus intelligimus quanto amoris & honoris fuerit Lovanienſibus quem nunc Nicolaus Dubois apertè contemnit. Sed jam Lovanienſes, qui circa Adriani tempora scripserint, Theologos audiamus, quando quidem eorum nobis tanto ambitu obicitur auctoritas.

#### CAPUT XIV.

Jacobi Latomi, Doctoris Lovanienſis  
Sententia.

Primus ab Auctore Anonymo doctrinæ Lovanienſis (a) designatur Jacobus Latomus qui pro Pontificia infallibilitate

[a] Doct. Lov. p. 2. 3. 4.

scripserit, Libro de Primatu Romani Pontificis adversus Lutherum. Ego verò summa diligentia, nulloque partium studio, quippe cui liceret etiam adversantem repudiare Latomum, ejus libros, ac maximè quos obijciunt executio; & quidem de primatu multa reperio de infallibilitate ne unum quidem verbum. Quis autem ferat istos de primatu tanta testimonia convergentes, quasi quis primatum ulla ex parte labefactatum, ac non potius omni ope constabilitum velit? Dic tu aliquando de infallibilitate, quandoquidem in ea placet summam fidei collocari. Sed ipsum per se audire Latomum præstabilius est, postea quam constituerimus quo loco cum id scriberet, Lutheri res essent. Fuerat autem à Leone X. Hæreseos condemnatus; sic ergo habet Latomus; (b) *Nec valet, si dicatur judicium finale, in rebus fidei, esse apud Generale Concilium quo nondum est hæresis Lutherana judicata & damnata: ergo non est ab omnibus pro hæresi habenda & vitanda: non inquam, valet, quia Lutherus non habet unam aliquam hæresim particularem novam, & quæ prius non fuerit; sed habet hæreses oim in Conciliis damnatas, Valdensium, VViclefistarum, & Hussitarum, & similium, in quibus non est opus nova sententia, sed antiqua sufficit...* dato etiam quòd novam hæresim fecisset, non tamen opus esset Synodo ad ejus damnationem, ut apertè probant verba Augustini, (c) nota illa scilicet quibus August. ostendit sine Synodo factum Pelagianis esse competens, sufficiensque judicium) quo judicio facto (subjungit Latomus ex Augustino) ad sententiæ executionem procedendum est adversus Hæreticos; aliud est enim judicium sufficientissimum, aliud sufficiens; sufficiens est enim quando

(b) De ver. quæst. tit. An Primatus Rom. Pont. sit à Christo, Edit. Lov. 1550. fol. 83. 89. (c) Aug. Lib. 4. ad Bonif. in fine.



quando debito ordine per Judicem competentem exercetur : sufficientissimum verò quando non solum per Judicem competentem sed per Judicem supremum ceteris paribus sententia fertur . Hæc verba , video ab Anonymo prætermissa , quæ maximè ad rem faciunt . Pergit deinde Latomus : Igitur non ingrediendo difficultatem : an Papa sit supra Concilium , vel è converso , satis est præsentì proposito , quòd hæresis Lutherana à Sede Apostolica damnata est . Nemo enim , nisi nimium contentiosus , negabit Apostolicam Sedem esse Judicem competentem , cum cautum sit Canonibus , causas fidei ad Sedem Apostolicam esse referendas . Quæ omnia si candidè & sincerè , uti Theologum decebat , Anonymus protulisset , nemo non statim videret judicium Sedis Apostolicæ non proponi à Latomo tanquam judicium finale ( de quo tamen judicio præcisè in objectione agebatur ) aut tanquam infallibile , aut etiam supremum , quod tum ab ipso maximè dici oporteret , si tale esse sentiret . Sed contra proponi judicium illud Sedis Apostolicæ : at competens , quod etiam inferiori judici convenire possit , utque sufficiens , ad sententiæ scilicet , ut ipse dicit Latomus , executionem : Concilii verò , ut quod esset , sufficientissimum , & supremum . Quæ utcumque se habent , certe cum Pontificia infallibilitate stare non possunt , cum post infallibile judicium , nihil ulterius , aut superius à quoquam desiderari possit . Quod verò Latomus scribit hæc à se dici , non ingrediendo questionem , an Papa sit supra Concilium , vel è converso ; ita videtur intelligere , quemadmodum à Carthusiano dictum vidimus , nempe ita ut Papa , licet Synodo absolute superior , tanquam ei tamen potiori luce donato in fidei negotio cedere teneatur . Quem sensum aliis quoque superioritatis Pontificiæ defensoribus placuisse ostendemus . Cæterum de quæstio-

nibus fidei nobiscum sentit Latomus , qui Pontificio judicio conciliare judicium tanto discrimine anteponit , quique Tò supremum ac proinde finale de quo agebatur , sententiæ Pontificiæ in se consideratæ detrahit , cum ei tribuat tantum ut sit sufficiens , & comptrens , & quidem tribuat opponendo , ad supremum sufficientissimum .

Quomodo autem Latomus intelligat sufficiens illud , quod non sit finale , neque sufficientissimum & supremum , responderet , credo , id quod jam indicavimus ; sufficiens esse ad id quod volebat , nempe ad sententiam exequendam ; Nos autem quid sit illud apud Augustinum sufficiens & competens , Deo dante , exponemus . Hic quidem Latomi dicta à nobis referri , non autem præstari oportet .

Profert Anonymus alium Latomi (a) locum ex Lib. 3. adversus Tyndalum titulo ultimo ; de auctoritate & Prælatura Romani Pontificis super Ecclesiam , & quodlibet membrum ejus : hæc autem exscripsit verba : Quibus propensis , apparet sano intellectui , quòd non justè Romani Pontificis auctoritati contradicit negando eum esse supremum & ordinarium judicem omnium & singulorum Christianorum in fide , Sacramentis & aliis omnibus . Quo loco videtur Pontificiæ auctoritati dare supremum illud quod antea denegaverat : Hæc ut concilientur , neque inducatur Latomus adversus se ipsum indecorè pugnans , proferenda erant alia , quæ Anonymus prætermisit ; sunt autem ejusmodi : [b] Non itaque rationabiliter dubitari potest , nec nisi impudenter negari . Romanus Pontifex est ordinarius Judex supremus super unumquemque Christianum , & quodlibet particulare Concilium Ecclesiæ Catholicæ ; quidquid sit de universali

D 2

(a) *Deft. Lov. Ibid. 4. 5. LATOM. Adv. Tyndal. Lib. 3: p. 194.* [b] *LATOM. de Var. quæst. Gen. eod. tit. f. 87.*



versali Concilio plenario, & tota Ecclesia simul congregata. Hic Latomus exponit, quo sensu voluerit, Papam supremum esse Judicem: duplici videlicet sensu: alter est, ut sit supremus super unumquemque Christianum, & quodlibet particulare Concilium; quem sensum vidimus esse Concilii Constantiensis & Martini V. alter ut sit supremus ordinarius; quæ verba sunt Latomi; hoc est inter ordinarios supremus; qui ordinariè semperque sedeat, & judicet; cum Synodi universales, non nisi ex certa causa, & extra ordinem habeantur, quorum proinde auctoritatem, cum de ordinariis tantum agat Latomus, expressè reliquit integram; An verò hæc omnia dissimulari oportebat, premique nos ad invidiam usque auctoritate Lovaniensium, quorum clarissima quæquæ dicta omisisses.

Tertio loco proponit Anonymus Jacobi Latomi responsum quandam adversus Lutherum ita objicientem: (a) Concilium Constantiense determinavit Concilium esse supra Papam, cujus tamen auctoritas à multis contemnitur. Unde Lutherus concludebat sic: Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum: nam ut dicunt, si in uno articulo errasse apprehenditur, jam tota ejus vacillat auctoritas. In objectione solvenda haud mediocriter Latomus laborabat. Revera enim Cajetanus adversus Almainum nostrum ea recens scripserat, quibus Constantiensis Decreti auctoritatem elevarer, neque ipse, neque alii Catholici cogitabant quem Hæreticorum calumniis aditum aperirent. At Jacobus Latomus, qui neque Catholicos accusare, præsertim Cajetanum Cardinalem, neque quæstionis aliò traducendæ occasionem Lutheri præbere vellet, multis agit, ut is quocunque modo victus esse, ac perperam objecisse Concilium Constantiense videre-

tur. Quare ait primum à Lutheri non posse adhiberi ejus Concilii auctoritatem, cujus Decreta in Wiclefum lata ipse contemneret. Tum addit non propterea vacillare Synodi auctoritatem, si in uno obscuriore articulo defecisset, quod tamen Latomus minimè fatebatur, Synodo contigisse. Negabat enim à Lutheri vera relata esse Concilii verba: aut extare Concilii Constantiensis tale Decretum, quod loqueretur universaliter de qualibet Synodo universali Papæ anteposenda. Quæ quidem & alia multa Latomus, dum miserè nimis metuit, ne quid Lutherus bene objecisse videatur, inficiatur contra gestorum fidem. Neque illud melius, quod negabat Concilium; quo tempore ista Decreta condiderat, fuisse Oecumenicum, cum nihilo magis Oecumenicum fuisset, (b) cum ea ederet adversus Wiclefum Decreta, quæ contra Lutherum Latomus tuebatur: Sed hæc aliàs: id modò ad rem nostram pertinet, quod Latomus dum posteriora Constantiensia anterioribus opponit, illud Decretum affert, quo adversus Wiclefum statuitur: Papam habere supremam auctoritatem in Ecclesia; quod inquit Latomus, non stat simul cum eo quod Concilium sit superius Papa; addit facta in Concilio Papæ electione, supremam auctoritatem jam esse in electo, & concludit quod quamvis Ecclesia sit major simpliciter, quam Papa, putà perfectione gratiæ, & amplitudine virtutum, tamen potestate jurisdictionis unus peccator potest esse multis justis, & Papa major toto residuo Ecclesiæ corpore. Ubi vox potest esse, non est affirmantis, sed ejus qui demonstrare velit, quomodo res habeat, Lutheri argumentum non ita esse efficax, ac ille jactabat.

Ut cumque est, hæc duo apud Latomum vidimus, & nunc Papam Concilio superiorem, & alibi Concilium in fide superius,

[ a ] Doct. Lov. art. 2. p. 80. ex Lib. de prim. C. IV. f. 81. 82.

( b ) Concil. Const. Sess. f. 8.



rius , ejus quippe judicium fit *sufficientissimum & supremum* , cùm Papæ judicium sit tantum sufficiens , & competens . Hic si Anonymus Latomum suum Latomo repugnare velit , absolvet nos profectò ab ejus viri auctoritate , qui à se ipso dissentiat : Sin autem velit Latomum sapientem esse virum , qui iisdem semper placitis vestigiisque insitat , Latomum cum Latomo conciliabit ita , ut postremum hoc de Concilii judicio *sufficientissimo* , & *supremo* ad fidei negotium pertinere dicat .

Ceterum non Concilium propterea absolute superius esse cùm Papa inferius esse possit , convocatione ipsa aliisque rebus gravissimis , quas Latomus ad rem suam minimè facientes , haud pertractare velit : Atque hanc sententiam non modò Dionysius Carthusianus suprà memoratus , sed etiam Turrecremata & alii Eugeniæ partium , in Eugenii etiam aula propugnabant , ut statim demonstrabimus .

Quæ cùm ita sint , Latomum in infallibilitatis quæstione aperte faventem , in aliis quæstionibus non adversum habemus : cùm id non agamus , ut semper sed ut certis tantum casibus , iisque gravissimis & extraordinariis , in Constantiensi Decreto designatis , ad Concilium recurratur . Quòd autem auctoritatem Decreti Constantiensis Jacobus Latomus infregerit , ac Lutherus bene argumentatus esse videatur , parum esse curamus , & Constantienses Canones à Latomo non satis consideratos esse ostendimus , & melioribus argumentis non quidem uti Latomus , inficiando quæ certa sunt , Lutheri audaciam retundemus .

## CAPUT XV.

## JOANNIS DRIEDONIS

*Lovaniensis sententia , de Fide Petri  
nusquam defectura .*

**E** Quidem intelligo fore quàm plurimos , qui nos in *Jacobi Latomi* explicanda sententia plus laborasse sentient , quàm ejus viri , docti licet , auctoritas postulabat : atque iidem gravius succensebunt , quod in exponendo Joanne Driedone , multo plus operæ collocaturi sumus . Sed cùm ea quæ dicemus , non modò ad intelligendos Lovanienses articulos , sed etiam ad hujus quæstionis statum animo informandum , multum operis allatura sint ; labori non parcimus , ut ea elucidentur , speramusque futurum , ut Lectores operæ in ea positæ non poeniteat .

*Joannes Driedo* , quod ipse gloriatur Adriani VI. discipulus , anno 1533. opus edidit de Ecclesiasticis scripturis & dogmatibus ; ex cuius operis Libro 40. , Capite III. , Parte II. , & III. Anonymus multa transcribit , pleraque insincera , quod Lectorem monemus , ut ipse perpendat , si rem tanti esse putet ; pleraque extra rem ; sed nos quæ ad rem conferant diligentissimè seligemus .

Igitur ex IV. Libro memorato , postquam Anonymus suo more , de primatu multa descripsit ; hæc de Driedone subdit : *Dein , inquit , Parte tertia ejusdem Capituli , pergens ad demonstrandam Romani Pontificis infallibilitatem .* Atqui Driedo de ea ne unum quidem verbum , sed nimirum de primatu quæstione absoluta , alteram quæstionem , quæ una ad rem nostram faciat , exponit his verbis , (a) *jam operæ*

(a) DRIEDO L. 4. de Eccl. Script. Cap. III. p. 3. fol. 233. verso .



operæ pretium considerare, quemadmodum sit accipienda sententia, ex scripturis docens fidem ad consummationem sæculi non deficere, unquam à Petri Cathedra seu Ecclesia Petri. Hic ergo videamus an Driedo, vel semel dixerit, ita eam accipiendam esse sententiam, ut Romanus Pontifex Petri successor, sive ut persona privata, sive ut persona publica, sit infallibilis: Et quidem Driedo quæstionem soluturus, triplicem ponit intellectum hujus sententiæ, quod fides Petri nunquam deficiat, sciendum est, inquit, quod verbum Christi patrem rogantis pro Petro, potest concipi sub triplici intellectu; vel primum pro eo ut nunquam deficiat fides à corde Pontificis universalis Ecclesiæ, nec videlicet à persona Petri, nec à persona Pontificis: vel secundo ut fides nunquam deficiat à generali Cathedra, à Sede, ab universali Ecclesia, seu ovibus ipsius Petri: vel tertio, ut fides non deficiat unquam à propria Sede, vel diœcesi, quam Petrus peculiariter pascendam, dirigendam & gubernandam suscepit. Hic nota divisionem quam Driedo ut adæquatam ponit. An fides sit defectura à persona Pontificis, an ab Ecclesia universali quam regendam habuit, an à diœcesi quam peculiariter regendam suscepit. Personam autem Pontificis indistinctè ponit, nulloque discrimine, an considerare velit, ut personam privatam, an ut personam publicam, sed de Pontifice quamcumque personam gerat, simul ac generatim quæstionem instituit, neque Pontificem, ut privatam personam opponit Pontifici ut publicæ personæ, sed personam Pontificis generatim sumptam, opponit Ecclesiæ universali, ac diœcesi Romanæ. Quam divisione facta, triplicique posito sensu, triplicem etiam proponit quæstionem, ac primam de Pontifice Petri successore his verbis expedit; primus intellectus de fide non deficiente in corde & persona Pontificis, videtur esse extra intentionem Sal-

vatoris: Id probat quia esset consequens, omnes successores Petri ad perseverantiam fidei esse prædestinatos, quod falsum esse supponit.

Absoluto primo verborum Christi intellectu, qui extra intentionem Salvatoris esset, jam se Driedo convertit ad duos intellectus, quos à Christo intentos esse docet: & secundum intellectum de Cathedra & Ecclesia universali Petri, hoc est, ipsa Ecclesia Catholica, sic aggreditur: secundus intellectus inquit, est fide tenendus propter verbum Salvatoris: EGO VOBIS SUM USQUE AD CONSUMMATIONEM SÆCULI; ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM; Ex quibus, inquit, consequens est Christum permansurum cum Episcopatu, & Ecclesia & Sede Petri, usque in consummationem sæculi: Hoc autem non est sic consequens ex Episcopatibus, seu Ecclesiis aliorum Apostolorum, deficientibus jam à fide suis ipsorum gregibus.

Paret ergo de secundo intellectu: nempe de fide esse, Petri Episcopatum seu Ecclesiam nunquam defecturam; quod ille Episcopatus & Ecclesia Petri nihil aliud sit, quam ipsa Ecclesia Catholica, quam in re ipse Petrus multum differt à cæteris Apostolis: Quod hi singularum Ecclesiarum Duces totum gregem amittere. Petrus verò toti propositus, non magis possit oves suas omnes amittere, quam Christus, cum Christus nullas habeat, quæ non etiam Petri sint sub Pastore Christo. Qui sensus planus est, & fide absolutè certus, ut meritò Driedo docet.

Jam ad tertium intellectum, an fides sit defectura in peculiari Ecclesia & diœcesi Petri, sic procedit: Aliud potest intelligi Ecclesia seu Cathedra Petri, aliud Ecclesia seu diœcesis Romana: Siquidem Ecclesia seu diœcesis Romana, potest intelligi esse destructa, permanente Cathedra Petri,



Petri, quæ Cathedra universalis Ecclesiæ : Unde, & tertium intellectum pertinaciter Hæretici refellunt ; ac paulo post : Fuerunt jam olim, & alii, qui non pertinaciter sed quasi probabiliter, sententiam defendere voluerunt ex scripturis nostris incertum esse, an diœcesis Romana deficiat unquam à fide, idcirco esse temerarium asserere alteram partem quasi articulum fidei, cum neutra sit ex scripturis necessario consequens ; neque usquam revelatum sit, quod omnes Christiani à Turca non repellentur unquam à Romana diœcesi. En tertius intellectus, quem ab aliquibus, etiam non Hæreticis, rejectum esse dicit : Atqui hunc intellectum confirmaturus ipse, primum affert contraria argumenta, & addit : Hæc & similia, ex quibus Hæretici, & alii quidam nimium pertinaciter arbitrantur stultum, & temerarium esse, si quis doceat Ecclesiam Romanam super alias Ecclesias præidentem, sic à Christo esse privilegiatam, ut ab ea non deficiat unquam, neque fides neque primatus Pontificalis.

Video profecto quod querat : ac primum nihil jam de Pontifice, sive ut privato Doctore, sive ut docente ex Cathedra, quæ ad personam pertinent, jamque expedita sunt, deinde nihil etiam de universali Ecclesiâ, cujus fidem deficere non posse, ex antè dictis constitit, sed quærit illud tantum, an fides & cum fide primatus in diœcesi Petri ejusque successorum, unquam interire possit.

Affert postea probationes quæ nihil ad nos attinent ; cum non hîc inquiramus rectene probaverit, sed quid concluderit. Concludit autem sic allatis Patrum testimoniis ; *Non temerè igitur sed pia fide cum patribus nostris prædecessoribus credimus, quod fides & primatus Ecclesiæ & Sedes seu Cathedra Petri, claves Regni Cælorum, potestas ligandi & solvendi, sunt à diœcesi Romana inseparabiles ; & quod Deo providente, & Beato Petro*

*operam ferente, Romanus, Episcopus, seu populus sub Romana diœcesi non deficiet unquam totus à fide.*

Atque ut semel elucescat, ad quem scopum collocaverit, hæc ejus verba audienda sunt : (a) *Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui Jacobus præsedet. Defecit Achaica ubi Andræas ; alia ubi Joannes ; India ubi Thomas ; Persis ubi Judas ; Æthiopia ubi Matthæus ; Græcia ubi Paulus, Romana Sedes hætenus in recta fide Christi est.* Quæ quidem Anonymum docere debuissent, quid Driedo aversetur, nempe, id si quis dixerit. Romanam Ecclesiam, etiam particularem, aliis similem esse, quæ cum Episcopo ipsaque Episcopali Sede à fide penitus excideret, fieretque Cathedra aut erroris, aut Schismatis. Id quidem Driedo docuit, nunquam Romæ eventurum ; quod nos ultro amplectimur : atque insuper addimus ; quantumcumque in Romam fremerent interorum Portæ, ac sacræ urbis, quod absit, fundamenta concuterent, non propterea prævalituras contra Petri Cathedram : sed eam semel à Christo Ecclesiæ Catholicæ datam, integram permansuram, Sedique Sacrosanctæ modo quo sciverit, provisurum Deum, neque futurum unquam ut ipsa Pontificum qui Petri loco sunt, successio ac series, à vera fide avellatur ; quod quidem & Driedo sensit, & omnes Catholici consentunt.

Quod autem Driedo nunquam futurum docet, ut in urbe Roma, in Romana diœcesi, in Romano solo, fides & primatus intereant, id quidem non video, ut in nos intorqueri possit. Neque enim Clerus Gallicanus somniavit fore ut Romana Ecclesia particularis, seu Romana diœcesis cum Episcopo & plebe sua penitus intercideret, populusque Romanus totus cum suo Pontifice à fide abrumperetur, & primatus Ecclesiæ aliò transferatur.

(a) Driedo. Ibid. Diss. Lov. Art. 2. 12.



tur. Quæ hic Joannes Driedo adversus quosdam, ut ait, Catholicos, explicanda, probanda, tuenda suscepit, neque verò id ullo modo pertinet ad Concilii Constantiensis Decreta, quæ Clerus Gallicanus sua determinatione complexus est; neque eam quæstionem Synodus Constantiensis, vel leviter attigit. Neque si quis Pontifex suo officio malè functus aliquid contra fidem, etiam Decreto facto docuerit, idèò populum totum, atque Ecclesiam totam particularem Romanam cum eo defecturam consequens est: cum nec Joanni XXII. Hæresim prædicanti crediderit; ac nihilo magis etiam deficienti, uti tum referant, creditura fuisse videtur: neque verò ille Pontificis, etiam contumacis, quantuscunque defectus, ubi Romæ, Romanæque diœcesi fraudi esse posset, ut propterea Petri Sedes loco moveretur, & primatus aliò traducere-  
tur. Sed pravum Pontificem statim amoveri, aliumque ab Ecclesia substitui oporteret, qui tamen haud secius sederet Romæ, uti Pisis primum atque iterum Constantiæ decretum, factumque est. Quare immeritò quidem moderni Lovanienſes, ista Driedonis, nihil sibi profutura jactant.

Id verò ad nostram quæstionem facit, quòd ille enumerans, quæ ad interpretationem spectent divinæ pollicitationis ejus, *rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, eum sensum prætermisit, quo diceretur fides etiam in Pontificis corde deficiens in ejus tamen, non modò Ecclesia illa universali, aut etiam diœcesi particulari, Romana scilicet, sed etiam Decretis permanſura semper; quem sensum & prætermisit, & dominicis promissis contineri non posse intellexi.

Rogo enim ad quam tripartitæ divisionis partem pertinere velint eum sensum quem venditant, an ad fidem quæ personæ Pontificis insit? An ad eam quæ universæ Ecclesiæ? An ad eam quæ Ro-

manæ diœcesi? Non quidem ad fidem primo modo consideratam. Is enim est modus, quo fides deficere possit, in corde scilicet & persona Pontificis, isti autem quærunt eam fidem quæ deficere nequeat. Non ad eam quæ deficere non posse credatur, Ecclesiæ Catholicæ, seu diœcesis Romanæ fidem: aliud enim est in Pontificis sive privata, sive publica persona; aliud in Ecclesia universa, aut in diœcesi Romana deficere non posse fidem: nempe hæc duo sunt quæ promissa à Domino fuisse Driedo asserit; ut ab Ecclesia Catholica nunquam avellatur fides; ut à diœcesi Romana, non fides, non Petri Cathedra, primatusque Apostolicus, quæ profectò stare viſimus, quidquid evenierit uni, vel alteri Romano Pontifici eorumque fidei.

Neque verò Driedo hic cogitavit fidei declarationem publicam, & autenticam, quæ in Romano Pontifice labefactari non possit, nec mirum: cum enim hic fidem interpretaretur, non externam fidei declarationem, sed ipsam intus fidem, qua in Christum creditur, ad eum profectò sensum, nuda illa & externa fidei declaratio minimè pertinebat; certumque omnino erat Christi promissione minimè comprehendi omnes Petri successores, cum eos infideles esse posse contaret: Quare haud immeritò illa nunquam defectura fides, à Driedone redigitur ad Ecclesiæ Catholicæ aut ad peculiaris Ecclesiæ Romanæ fidem; quoniam Ecclesia Catholica & peculiaris Romana omnium Ecclesiarum caput, infideles esse non possint.

Sic igitur patet eum ab Adriani magistri sententia non recessisse, neque ab iis interpretationibus, quas ab antiquis glossis, auctoribusque depromptas. Petro Aliacenſi, ac Dionysio Carthusienſi aliisque probatas esse vidimus.

At enim existimavit, inquis, (a) *in Romana*

(a) Driedo. Ibid. Doct. Lov. Ibid. p. 120



*Romana Sede hætenus nullum sedisse hæresiam qui docendo definierit aliquid fidei nostræ repugnans, neque hæresim ullam illinc capisse initium.*

At quod factum non sit hætenus, ille quidem dicit; an continuò dixerit, nihil unquam tale evenire posse, demonstrandum tibi erat. Certè multa mala, quæ nondum evenierint, evenire posse Driedo confirmat: Neque enim dicit fidem in alicujus Romani Pontificis corde defecisse; sed dicit tamen expresse, ne id unquam fieret, Christum non fuisse pollicitum; neque ait unquam factum esse, ut aliquis in ea Sede contumaci animo Hæresim docuerit, sed planè id fieri posse asserit; & tum nimirum, [a] *si contumax fuerit deponendum esse, vel declarandum propter contumaciam ab Ecclesia fuisse depositum, à tempore à quo talia docere aut prædicare cœpit.*

An autem quod ille contumax crediderit, docuerit, prædicaverit, etiam pertinaciter sub Anathematis poena, quo nunc omnia redigunt, definire non possit, Driedo ne quæsitum quidem, aded absonum & à Christi pollicitis alienum visum est.

At inquires, dixit, totum id quod docuerit de diocesi Romana indefectibili, Petri & successorum ejus privilegium esse.

Certè & quidem maximum, quod ei diocesi præfæcti sunt, quam nunquam à fide abrumpi posse arbitretur; magna gregis dignitas, quæ in Pastorem redundet,

At enim ea dignitas gregi convenit ratione Pastoris; respondeo non ratione Pastoris hujus, vel illius, in cujus corde vel prædicatione fides deficere possit, teste Driedone, sed ratione *dignitatis pastoralis*, ut jam ipse dicebat: ratione *primatus Petri* in ea Ecclesia divina ordinatione collocati. Hinc enim efficitur, ut neque illa Ecclesia, neque Episcopatus ejus à fide penitus avellatur unquam, ne in

ea scilicet, una cum ipsa fide primatus intercitat.

Driedonem secuti sunt Lovanienses alii, eodemque sensu commendarunt Petri non defecturam fidem, ut Judocus Ravestein Tiletanus, in doctrina Lovaniensium relatus: qui sanè quamquam Pontificiæ infallibilitati favebat, & Romanos Pontifices ab aliquot Historicis erroris incusatos, ab ea nota vindicandos putabat: (b) non in eo tamen præcisè vim Cathedræ ac fidei Romanæ reponebat, sed in eo maximè, quod *ut etiam concederetur, aliquos Pontifices Romanos privato errore laborasse, semper tamen ipsa fidei vetustas in successione*, tanquam fidissima veritatis conservatrice, permansisse verissimè diceretur [c] quando errorem prædecessoris, succedens Pontifex continuò emendasset.

## CAPUT XVI.

*Articuli Lovaniensis facultatis anni 1544. ex præcedente doctrina explicantur, & cum Parisiensibus anni 1542. conferuntur; Cathedra Petri nunquam defectura.*

**H**Æc certa & firma, atque à Driedone suo præclarè explicata sequi Lovanienses, articulos composuerunt eos, quos aliquot annis post Driedonem mortuum, anno videlicet 1544. die 6. Decembris Carolo V. jubente ediderunt.

**XXI.** *Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque Catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usque ætatem perdurans, retinet & suscipit quicquid de fide & Religione tradidit,*

E

dit

[a] Driedo, Tom. II. Lib. 4. c. IV. fol. 240.

[b] Doct. Lov. art. 1. p. 14. (c) Jun. Rav. Tiles. Apol. conc. Illir. c. X. quod est de Ecclesia.



dit & traditura est Cathedra Petri; super quam à Christo suo sponso est ædificata, ut in iis quæ fidei sunt & Religionis, errare non possit.

XXV. Certa fide tenenda sunt, non solum quæ in scripturis expresse sunt tradita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotiis, per Cathedram Petri vel per Concilia generalia, legitimè congregata.

Quid sit Cathedra Petri, Driedo (a) expoluit: hoc est primo loco Cathedra universalis illa, Ecclesia scilicet Catholica, primatu Petri gaudens, in qua nullo modo defecturam fidem, ut de fide absolute: ac secundo loco Cathedra particularis, seu diocesis Romana, in qua etiam ut Romana est, non defecturam fidem, pia sanctaque fide atque in fidei pietate crederet.

Quare nec à Cathedræ quidem particularis, illius, quæ nunc Romæ Deo auctore constituta est, perpetua traditione, certoque & constanti dogmate aberrandum esse pervulgata jam erat sententia, quam tunc Lovanienses ex hujus viri apud se & doctrinæ ac pietatis laude florentis sensu in suos articulos transtulere.

Sic certa fide tenendum esse docent, quod Cathedra Petri, Ecclesia universalis, Petro ut capiti adunata, definiat articulo 25: quod autem ibidem disjunctivè dicunt, Cathedram Petri vel Concilia generalia, nempe significant non esse necesse semper ab Ecclesia congregata, & Concilio generali judicium proferri: sed valere omnino quæcumque Ecclesia Catholica, Universalis illa, & semper inconcussa Petri Cathedra propulerit, sive expresse per se, in Œcumenica Synodo pronuntians, sive auctore Romano Pontifice, & in ejus Decretis consentiens. Atque hoc certè erat quod aliis verbis,

(a) Driedo, loco supra citato.

Articuli Parisienses superius relati dixerant: nempe Articulus 18. Ecclesiam Universalem errare non posse; item Articulus 22. Concilium generale Ecclesiam Universalem representans errare non posse; cujus quidem Ecclesiæ Catholicæ nomine Parisienses, Petrum etiam qui caput sit, ejusque Cathedram comprehendunt, Quemadmodum Lovanienses Cathedræ Petri nomine universalem etiam Ecclesiam complectuntur; uti jam vidimus, certissimis rationibus à Driedone esse confectum: ita illud etiam quod Ecclesia certò & absolute errare non possit, unum idemque est, Ecclesia scilicet Catholica; quandoquidem Pontifici ex traditione definienti, non desit Ecclesia consentiens, & rursus Concilio judicanti adsit Pontifex, convocandi, agendi, decernendi auctor, ex cujus utriusque complexu existat illud, sub quo captivari omnem intellectum oporteat Spiritus Sancti judicium.

Neque propterea Cathedram universalem Petri ab ejus Cathedra particulari, quæ nunc Christo providente Romæ est, ullo modo sejungimus; neque refugimus, inò complectimur, quod iidem Lovanienses de Cathedra singulari Petri certà ratione credendum proponunt, nempe Ecclesiam ita super eam à Christo esse fundatam ut errare non possit, art. 21. cum id profectò constet toti Ecclesiæ, hoc est, capiti & membris, fide & charitate connexis, à Christo esse promissum.

Suscepimus etiam cum Lovaniensibus quidquid de fide & Religione tradidit, tradit & traditura est Cathedra Petri, art. 21. etiam illa singularis, hoc est profectò, non quod unus fortè Pontifex, sed quod ipsa Pontificum successio & Ecclesiæ Romanæ Ecclesiarum matris, perpetua & constans & firma professio, pro certo fidei dogmate tenuerit, docuerit, prædicarit. Cum jam professi simus eam feriem, ac successionem nunquam à fide abrumpendam; ac si quid unquam, quod absit, er-



erroris irreperit , Deo adjuvante , fore ut vel Sedes Romana per se ipsa respuat , vel tota Ecclesia Catholica pro capite connixa restituat .

Hæc summam & breviter , nondum ut planè explicemus , atque argumentis probemus , sed ut interim doceamus Parisiensis matris & Lovaniensis filix , ab initio in postrema usque tempora , unam & coherentem esse sententiam ; Neque ambæ de Summo Pontifice diversa docent . cum & Parisienses docuerint , *unum esse jure divino Pontificem , cui omnes obedire tenentur , art. 23. & Lovanienses jam relatis articulis hos quoque interponant .*

XXIII. *Unus est Ecclesiæ Summus Pastor , cui omnes obedire tenentur .* Ad cuius iudicium controversiæ quæ super fide & Religione existunt , sunt referendæ .

XXIV. *Summam hanc præposituram primus omnium gessit Sanctus Petrus , verus Christi in terris Vicarius , & totius familiæ ejus Pastor . Post Petrum verò ex Christi institutione omnes deinceps Pontifices Petri in Cathedra successores .*

Vides in articulis Lovaniensibus ; cum Romanus Pontifex nominatur ei attribui , ut obediatur , & ad eum quæstiones fidei referantur , ut summam in Ecclesiæ præposituram gerat ; quæ ab omnibus Catholicis admittuntur . Cum ad eam devenitur auctoritatem , quæ errare non possit , jam non Pontificem , sed *Cathedram Petri & generale Concilium* nominari : quæ quidem rectene an secus distinguantur , nondum est disceptandi locus : certè hic distincta accuratè esse & à Joanne Driedone sumpta esse perspicuum esse , atque hæc ad fidem Catholicam pertinentia , Lovanienses æque ac Parisienses merito Hæreticis exponenda esse censuerunt : haud ita veritati rei que Ecclesiasticæ consulturi , si opponerent ea quæ etiam inter Catholicos variare non ignorabant .

Neque abludebant aut ipse Driedo , aut reliqui Lovanienses ab Adriani sui sententia , cujus apud ipsos tanta erat au-

thoritas . Dicturus enim Adrianus etiam in fidei determinationibus , errare posse Pontificem , sic præfatus erat ; *si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus , puta Pontifex , certum est quod possit errare : ne scilicet dicere videretur , in Ecclesia Romana sive universali , sive particulari statim defecturam fidem , si in Pontifice defecisset .*

Quod si obstinate volunt per articulos Lovanienses damnatam esse doctrinam , quæ Pontifici quoque infallibilitatem detraheret , ergo non modo Lutherum , aliosque Hæreticos , quod sibi proposuerant , verum etiam Adrianum VI. , Jacobum Latomum , & Joannem Driedonem sui temporis viros ac suæ scholæ lumina condemnarunt . Gratissimum facturi Lutheranis , suæque censuræ elevaturi auctoritatem , quod certa cum incertis æque confudissent , & sanctissimorum virorum doctrinam cum infanda Hæresi una sententia reprobasent .

Neque Ruardus Tapperus post illos articulos scribens , Joannem Driedonem in his damnatum approbasset , cum ejus Librorum editionem accuraret : neque postea Joannes Viggers , id quod jam audivimus , cum de Adriano VI. tractarem , diceret , *ab aliquibus haberi de fide* , quod Pontifex sit infallibilis , neque tam contemptim *aliquibus* tantum de fide esse diceret , quod sua facultas condemnatura Lutherum in suos articulos retulisset .

Eundem Viggerum postea audiemus de eadem infallibilitate dicentem *communiter* hanc teneri , & contrariam sententiam judicari *improbabilem* . Improbabilem verò tantum quam sua facultas unà cum Lutheri erroribus proscripisset ? Nemo id sanus dixerit , adeoque Lovanienses aliò spectasse , eo nempe quo vidimus rationibus adstruximus necessariis .



## CAPUT XVII.

JOANNIS DRIEDONIS *sententia de superioritate Papæ cum Parisiensium sententia congruit. Horum reverentia in Summum Pontificem, Locus MAJORIS.*

**P**lerique eorum qui Papam Concilio anteponunt, sic agunt ut Parisienses non rejiciant, sed ut eos, summa ipsa sequi, verborum magnificentia vicisse videantur, ut illi inflatius tantum, nostri simplicius candidiusque dixerint. Id in hac quæstione imprimis intellectu necessarium, vel unus Driedo maximè comprobabit. Atque is quidem prima fronte à nostris vehementer discrepare videtur, quippe qui doceat (a) Papam ex jure divino habere quod à nemine possit judicari, aut condemnari, nempe ullam communitatem esse, cui subjiciatur, neque subjici Concilio ut superiori, & habenti sublimiorem potestatem supra ipsum.

At qui rem penitus inspexerit, facile comperiet Driedonem (b) eorum esse numero quos diximus à Parisiensibus abhorre visos, summa tamen ipsa, atque aliis verbis cum ipsis consentire.

Et primum quidem docet Papam, (c) *in causa Hæresis vel Schismatis suam personam tangentis, subjici judicio Universalis Ecclesiæ, & si contumax fuerit deponendum, vel declarandum ab Ecclesia fuisse depositum*: quæ in idem recidunt. Ergo ex tribus casibus, quibus Parisienses Concilium Constantiense sequi Papam Synodo subjiciunt, fidei, Schismatis & reformationis generalis in capite & in membris, jam profectò in duobus, Driedone teste, Papa subjectus est: Nunc

de tertio casu, reformationis scilicet, quid idem auctor sentiat audiamus.

Ac statim quidem occurrit ille locus (d) ab Anonymo Lovaniensi indignis mutilatus modis, quem nos integrum referemus: (e) *Concilium generale, quamvis neque potest neque debet plenitudinem Papalis potestatis à Christo commissam Petro & successoribus ejus tollere, aut diminueri: sed de illa gratias agere Deo qui dedit talem potestatem hominibus: potest tamen pro ædificatione Ecclesiæ usum illius potestatis limitare certis Legibus & Statutis, quibus ipse Papa debet acquiescere, nimirum subjectus æquitati naturali ac divini juris. Quæ sunt manifestè à Gersone sumpta; sic enim ait Gerson: Ecclesiæ vel generale Concilium, quamvis non potest tollere plenitudinem potestatis Papalis, à Christo supernaturaliter & misericorditer collatæ, potest tamen ipsius usum limitare, certis regulis & legibus, in ædificationem Ecclesiæ: & in hoc est totius reformationis stabile fundamentum. Neque verò nostri quidquam aliud volunt, cum Papam in negotio generalis reformationis subesse Concilio, ex Constantiensi Canone decernunt. Quare in reformationis casu, quod jam quæ ehamus, assentitur Driedo Parisiensibus, Pontificiam potestatem conciliari potestate, limitari & temperari posse.*

Atque hujus quidem loci primam partem, ea scilicet verba quæ Pontifici superioritatem omnimodam asferre videbantur, tanquam absolutè dicta essent, Anonimus protulit. Sustulit verò ea, quæ usum limitarent atque temperarent, ut profectò pudeat Theologiæ Professore in allegandis Theologis tam infideliter esse versatum. Neque minus fallaciter alios Driedonis locos retulit. Gravis,

(a) DRIEDO, Tom. 4. de *Lib. Christi*, Cap. IX. confid. 5. fol. 3. (b) *Doct. Lov.* Ibid. pag. 12. (c) DRIEDO, Tom. 4. Lib. 4. *Dog.* c. IV. fol. 240.

(d) *Doct. Lov.* (e) DRIEDO 24. Tom. de *Lib. Christi*, c. XIV. Conf. 9. fol. 40. verso.



vis ea est quæstio, & ea Canonistis in utramque partem pertractata, quibus causis Pontifex à Concilio generali judicari possit. Et quidem qui Pontificiæ potestati favere velle videntur, unam Hæresis causam memorant propter quam Papa indubius ab Ecclesia judicetur. Hos Driedo sequi visus est, cum dixerit [a] *Papam notorie Hæreticum, vel de hæresi suspectum & diffamatum judicari quidem posse. Sed eo tantum casu si videlicet sit notorie Hæreticus, vel de hæresi suspectus & diffamatus*: Quem locum Anonymus urget rectè; sed sequentia dissimulat, *rationabiliter autem præsumitur suspectus de hæresi, quando ipse adeò notorie & incorrigibiliter scandalizat Ecclesiam, ut vita ejus sit tamquam exemplum & doctrina hæresis; seu fidei prorsus à Christo aliena.*

Nec mirum hæc sensisse, sequutum alios Canonistas multos; & glossam etiam celebrem in capit. *Si Papa*, dist. 40. Certè credo, quod si notorium est crimen, quandoque & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari: nam contumacia dicitur hæresis.

Jam de indubitato Pontifice hæc Driedo dicit magnificis farè verbis; Ecclesia quando tenetur habere Papam, (b) pro indubitato Papa, debet ipsum ut Vicarium Christi, custodem suum & Pastorem nominare, & ipsam juxta Apostoli doctrinam, velut seniore non increpare, sed obsecrare ut patrem & honorare ut Dominum, quæ quidem Anonymus statim arripuit, sed sequentia prætermisit: *Nihilominus tamen hujusmodi Vicarius Ecclesiæ Sponsus si fuerit frigidus, maleficiatus, & adulter, adeoque sit ad generationem filiorum spiritualium inhabilis, ut nihil sibi sit curæ de Sponsa sua Ecclesia potius generans filios spurios Satanæ, jam existimari potest de hæresi suspectus, atque ita*

*rationabiliter Ecclesia potest dubitare, an persona illa sit indubitatus Papa, sicut rationabiliter tum dubitare potest, an sit pertinax Hæreticus.*

Hæc Driedo: ex quibus contra ejusmodi Papam valere ea omnia, quæ in Concilio Constantiensi contra dabios Pontifices scandalosos acta essent, atque hæc copiosissime exequitur & probat, quæ Lector, si tanti res est, ab ipso auctore repetat.

Hæc postquam Driedo dixit, totum illud caput concludit his verbis; (c) *Ex his diligenter consideratis perspicuum esse potest, quomodo Concilium Universalis Ecclesiæ, est supra Papam, & è contrario, Concilium.* Sic mutuo sese exuperant, sed diverso respectu: quæ ita concilian- tur, ut Pontifex in ordinario regimine, & ordinariis casibus, Concilium verò in extraordinariis, quæ à Driedone commemorata sunt, antecellat. Neque verò nostri, Cameracensis, & Gerson & alii omnes aliter intelligunt. Unde Joannes Major noster, Pontificem ait esse superiorem regulariter in ordinario regimine: Concilium autem casualiter certa causa, certis casibus, & addit: *Hic modus cuilibet sapienti Pontifici debet esse gratior, licet dicamus Concilium casualiter super Pontificem esse & posse corrigere. Cum hoc enim dicitur Papam ex institutione Christi, non esse deponibilem, nisi gravissima causa; quæ vix ter contigit mille annis.*

Cur autem isti casus tam rari prævi- dentur, an necessaria ratione, an pravo animo, an maledicendi libidine, non jam à nostris, sed etiam à Driedone & aliis omnibus quærere te oportet. Respondeat sanè Ecclesiam æternitatis suæ pariter atque infirmitatis humanæ con- sciam, Canones condidisse, quorum ope  
ni-

(a) DRIEDO. CON. 4. De L. Christi, Lib. 4. Conf. 9. (b) Doct. Lovan.

(c) Dried. Ibid.



nimirum adversus insolitos etiam & extraordinarios casus certa remedia compararet : eò verò Canones Constantienses esse institutos , eosque à Driedone Lovanienti esse intellectos ; ut nemo Parisiensium graviora & fortiora dixerit .

Clerus verò Gallicanus ne ea quidem attigit ; sed tantum Constantienses Canones asseruit tanquam disciplinæ Ecclesiasticæ & reformationis omnis certissimum ac necessarium fundamentum . Quare adèd Driedo nobis non est opponendus , qui aut nostra damnaverit , aut iis contraria sanxerit , ut potius eum ulterius progressum esse videamus .

### CAPUT XVIII.

*Alii DRIEDONIS loci excutuntur . Iterum de Cathedræ Petri auctoritate , ex eodem scriptore .*

**E**X his facilè est reliqua intelligere quæ ex Driedone in hunc locum adducuntur .

Objicitur istud , quòd Decreta Constantiensia exponens , Concilii auctoritatem in Papam ad Hæresis vel Schismatis casum redigere videatur . Papa , inquit , *in causis fidei & Schismatis personam suam tangentis atque concernentis , subjectus iudicio Universalis Ecclesiæ . Quare si ipse fieret Hæreticus aut Schismaticus , aut argumentis probabilibus de eis suspectus , monendus , judicandus , deponendus , vel depositus declarandus .* Cui loco addit Anonymus , *sicut antè jam exposuerat* LIBRO DE LIBERTATE CHRISTIANA . Ne id quidem cogitans , Librum de libertate Christiana esse ultimum opus Joannis Driedonis , cui componendo fit immortalis , ut vel prælatio testatur , Id gravius quod sequentia tacet : (a) *Quam-*

*vis primatus Papæ super omnes particulares Ecclesias sit constitutus jure divino , non hinc tamen consequens esse oportet , eundem Papam in causis propriis jus divinum concernentibus , non esse subiectum potestati Universalis Ecclesiæ .* Ubi r. notandum illud : *Papæ primatum jure divino constitutum ( non super universalem Ecclesiam ) sed super omnes particulares Ecclesias , quod ex Constantiensibus deductum esse fontibus , Driedo ubique inculcat ; ut legenti patebit , tum illud , nihilo secius Papam esse judicandum ab universali Ecclesia , in causis propriis jus divinum concernentibus .* Quod quidem latius patet , quam Hæresis , vel Schisma , & jura tantum positiva excipere videtur . Quæ hic generatim dicta , Driedo in Libris de libertate Christiana fusius , postea uti videbimus , & diligentius exequitur .

Objicitur & locus hic : [b] *Quemadmodum Romana Ecclesia , in qua residet Apostoli Petri successor , est omnibus Ecclesiis prælata , ad quam seu fidei magistræ & matrem , omnes majores totius Ecclesiæ causæ recurrunt , fumentes terminum , seu finem juxta sententiam ejusdem Ecclesiæ : cujus vis & potestas Ecclesiastica est in Pontifice ejusdem Ecclesiæ , ita & Romanæ Ecclesiæ sententia prævalet omnibus sententiis aliarum Ecclesiarum , à Romana Ecclesia discrepantium , particularium scilicet , uti mox audivimus ab ipso interpretatum , non autem universarum etiam in Synodo collectarum .* Neque tamen in omnibus casibus ad Oecumenicam Synodum recurri necesse est , rectè enim ait Driedo , *majores etiam causas sumere terminum seu finem juxta sententiam ejusdem Ecclesiæ Romanæ , regulariter scilicet & in ordinario regimine , in ordinariis casibus , non certè in extra-*

or-

[a] Lib. 4. de Dog. c. IV.

(b) Lib. 14. de Dog. cap. IV.



ordinariis, ut jam vidimus, in Libro de libertate Christiana ab hoc auctore una cum Parisiensibus summo consensu fuisse traditam.

In Romana etiam Ecclesia fidei quaestiones haud secus atque aliae regulariter finem accipiunt, cum sit plerumque tanta consensus, ut ad Synodum Oecumenicam non necessarium recurratur: quae omnia ex antedictis clara & aperta sunt, & in sequentibus clarius elucescent.

Diximus etiam ita esse Ecclesiam Catholicam constitutam, ut in capite suo, in Petri scilicet Cathedra singulari praevalere, & insidere non sinat haeresim, quae per contumax propositum à fide abrumpatur penitus, adeoque omnem Ecclesiam à certo & constanti Ecclesiae Romanae dogmate discrepantem à fide alienam & Schismaticam esse; & quidem certum est, quod ait Driedo, Ecclesiae Romanae particularis illius *vim & potestatem Ecclesiasticam in suo Pontifice esse*: Neque enim Ecclesia Romana per se aut absolvit, aut ligat, sed Pontifici Romano Petri successori id juris à Christo con-

cessum esse; si tamen, quod absit, fides in Pontificis alicujus corde, aut etiam doctrina, praedicatione, Decreto, vel ad contumaciam usque defecerit (quod ne fieret, negat Driedo, ut vidimus, à Christo esse promissum) non propterea Ecclesia Romana vim suam ac potestatem amitteret, nihilo profecto magis quam Pontifice mortuo amittit, cum semper supersit in Ecclesia semen, quod vis illa excitetur, seu potius explicetur, & Ecclesia Romana mater Ecclesiarum neque à fide abrumpatur, neque primatu excidat.

Atque haec erant quae de *Jacobo Latino*, & *Joanne Driedone* Lovanien-sibus, pro Lectoris expectatione, fortasse nimia, pro Lovanien-sium articulo-rum intellectu congrua, pro ipsius quaest-ionis summa explicanda, & constituendo statu necessaria diceremus. Quae omnia, Deo dante, progressu orationis haud mediocriter illustranda, & confir-manda esse confidimus. De aliis Lovanien-sibus ætate posterioribus, quae ratio postulaverit, loco suo exponemus.



# DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI

## DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

### LIBER SECUNDUS

Quòd DECLARATIO GALLICANA ab omni censura sit immunis, probatur  
ex Auctoribus Parisiensium sententiæ adversantibus.

#### CAPUT PRIMUM.

Joannes à Turre-cremata Pontificiæ potestatis sub Eugenio IV. Defensor præcipuus, in fidei quæstionibus concilii auctoritatem Papæ auctoritati anteponebat, Communis erat tum illa sententia, Bulla, Deus novit, sub Eugenii nomine edita,



IC quærimus an antiquiores Scholastici & Canonistæ qui Conciliorum superioritati vehementissimè omnium adversantur, à nobis omnino diversa senserint, & an in quibusdam dissentiant; pari immodestia cum recentioribus sævierint; Eugenii IV. certè tempore quo maxime effervuit illa contentio, è Patrum Prædicatorum ordine Joannes à Turre-cremata sacri Palatii Apostolici Magister extitit; acris ingenii vir, quem Eugenius ipse unum Basileensibus vel maximè opposuit, & de se bene me-

ritissimum evexit ad purpuram: Is ergo, cum Papam Concilio superiorem vehementissimè efferret, tamen in Apologia, sive responsione pro Eugenio IV. quam cum ipsis Basileensibus coram Pontifice tractans, ejusdem Pontificis jussu, viva voce primum, dein etiam scripto protulit, hæc habet: (a) Si talis casus contingeret, quod Patres universi in Synodo universali convenientes uananimiter aliquam definitionem fidei facerent, cui sola persona Papæ contradiceret, dicerem, quod judicio Synodi standum esset & non personæ Papæ. Judicium enim tantorum Patrum universalis unius Synodi in materia fidei meritò præferendum videtur judicio unius hominis: In quo casu optimè venit ista glossa in Caput Anastasius 19. quod quando de fide agitur, Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum: quod intelligendum est quando casus est valde dubius, & Synodus

[a] Turr. *Apol. seu resp. in præf. & in fine Tractatus. Tom. 13. Comm. ult. Editio pari. ibid. x. parte resp. ad 1. artic.*



duc convocari poterit , & tunc Synodus major est Papa , non quidem potestate jurisdictionis , sed auctoritate discretivi judicii & amplitudine cognitionis .

Quid sit judicium discretivum , Canonistarum & Theologorum ejus ævi sensu , facile intelligit , qui apud ipsos passim legerit duplicem clavem ; alteram discretionis ac scientiæ , qua verum à falso decernitur ; alteram , *jurisdictionis ac potestatis* , cum aliquid pro potestate & sub pœna decernitur . Porro Decretum illud , seu judicium juridicum , maxime in rebus fidei , discretivo judicio niti constat . Neque enim quis de fide decernat aliud , quam quod discretionem & scientiam verum esse perspexerit . Quare Turrecremata certum erat , Concilii auctoritatem , quocumque tandem nomine appellandam , Papæ auctoritati omnino anteponendam esse .

Quid si Papa esset contumax ? Nam id quoque prævidit . Audi quod post relata verba statim subdiderit : *Ubi autem id evenit* , inquit , *quod talibus quæ ad fidem pertinere tota Synodus per apertissima testimonia Sacræ Scripturæ aut Sanctorum Patrum doctrinam , unanimiter declararet , Papa acquiescere , obedire , & stare nollit , sed contumaciter contradiceret , talibus apertè ad fidem Catholicam pertinere declaratis , jam utpote Hæreticus , subiectus veniret Concilio , sicut quilibet alius à fide devius* . Vides apertissimè Papam in fidei quæstione à Synodi sententia contumaciter discrepantem . Neque eò secius à sancta Synodo , Papa contradicente , supremo judicio quæstionem definitam , & in Papam pro potestate animadversum , & Synodi stare sententiam . Hæc Turrecremata , cum is Pontificiæ auctoritati , quanta excogitari possent maxima , à Christo attributa esse vellet , ipso Pontifice audiente & approbante , dixit , & jubente perscripsit . Neque verò tum quisquam ea de re ambigebat .

Tom. I.

Idem enim docet eadem ætate Petrus de Monte Episcopus Brixienfis jurisconsultus nobilis , & Eugeniarum partium studiosissimus ; nempe ubi agitur de fide & Schismatis causa , etiam indubium Pontificem à Synodo deponi posse , ac si contrariatur sententia Papæ sententiæ Concilii , potius standum esse sententiæ Concilii : [a] qui etiam edita est tum Eugenii IV. nomine Bulla , *Deus novit* , à Turrecremata , ut videtur , dictata ; adeò cum ejus scriptis , sensus , spiritus , ipsa denique verba conveniunt ! Ibi quantumcumque Pontificiam potestatem in immensum extollerent , sic tamen dicebant : *Si Papa vel Legatus ejusdem nollit disponere aliqua , & Concilium affectaret Papæ sententiam , vel ejus Legati personam Pontificis representantis , non Concilii voluntas sequenda foret . Cum super omnia Concilia Papa habeat potestatem , nisi fortè quæ statuenda forent , Catholicam fidem respicerent , vel si non fierent , statum nunc Universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent , quia tunc Concilii sententia esset potius attendenda* .

Video nunc plerisque eos qui Conciliis Pontifices anteponant , ita animatos esse , ut Pontificiam auctoritatem , eam quæ Concilio antecellat , in fidei quætionibus maxime eminere putent . At contra Eugenii tempore quo exarsit maxime illa de Conciliorum auctoritate dissensio , cum Pontificem Synodo in omnibus anteferrent , generalia negotia ac præcipuè fidei excepta volebant . In iis Conciliorum prævalere , ut certum supponebant .

Qui tamen si rogarentur , an propterea Concilio Papam subjicerent , ( mirum & incredibile ) præfractè negabant . (b) Nam tunc Synodum majorem esse Papa non potestate jurisdictionis , sed auctoritate discretivi judicii , & amplitudine cognitionis

F

audi-

[a] Petrus de Monte , Tract. de Mon. & refert Jacob. Card. (b) Turrecrem. loc. cit.



audivimus : & licet revera sit ipso Papa minor, majorem tamen dici, sed diverso respectu ; quod Papa cum per hæresim à Papatu cadat, factus est omni fideli minor : Et alia hujusmodi ex anterioribus Canonistis & glossis, subtiliora quam solidiora jactant. Quæ si ad fidem pertinere pugnaciter velis, ac Pontificem re subjectum, & in ordinem à Synodo redactum, verbis tamen superiorem dici, ne tu ad minuta & levia, Christianæ doctrinæ gravitatem auctoritatemque deducas.

## CAPUT SECUNDUM.

*Alii Turrecremata loci de Concilii potiori auctoritate in materia fidei ; quodque Summus Pontifex erronea definire possit . De Pontificia infallibilitate ludibria & cavillationes .*

**H**Æc quidem sunt quibus Turrecremata cum Basileensibus agens, superioritatem Pontificiam tuebatur, nec minus memoratu digna sunt, quæ jam Cardinalis edidit ingenti opere, cui titulus est, *Summa de Ecclesia*.

Hic, [a] Lib. 4. Cap. 64. quæstionem proponit ; *cujus judicio standum sit si in Concilio universalis contingat, Patres à Papa vel ejus Legato dissentire ; quo loco varios casus ponit, sed hunc præcipuum, quo prædicta contrarietas sit in materia fidei nondum definita, sed quæ noviter per Concilium veniret definienda : Tunc, inquit, in tali casu ponitur ista conclusio quod magis regulariter standum foret judicio Patrum totius Concilii quàm judicio Romani Pontificis.*

Miraris Turrecrematæ conclusionem, audi probationes. Imprimis verò hanc,

(a) TURRECREM. *Summ. de Eccl. Verit.* cum Pii IV. prior. & idem in scripta à Card. Vñellectio, anno 1560. folio 352.

quod ut Bernardus dixit, 145. quæ major superbia, quam quod unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei. Propter quod Archidiaconus approbans glossam præfati capituli, Anastasius dicit periculosum esse fidem nostram committere arbitrio unius hominis, hæc ait de Papa, eo casu quo materia fidei noviter definienda veniret per Concilium. Quæ immane quantum discrepant ab iis quæ nunc jactari audimus, nempe quod Papæ sententia totius Concilii sententiæ anteposenda sit, & quod in Conciliis Oecumenicis Patres à Papa semper habeant ut recta decident : (b) Quod autem Turrecremata dixerat, Concilii sententiam anteposendam esse magis regulariter, sic explicat, quia absolute, inquit, non est impossibile, quod quandoque unus homo & maxime Papa multiplicitate respectu, in aliqua materia melius sentiret, quàm ceteri homines : Quod profectò non quandoque possibile, sed semper contingere diceret, si crederet Papam vel solum, in materia fidei, de qua agit, esse infallibilem, vel ab eo accipere Patres ut recte decident.

Neque valet distinctio discretivi ac definitivi judicii. Planè enim quem necesse sit in definitivo judicio, eundem in discretivo quoque sentire melius, necesse est. Cum nisi prius discreverit, verumque à falso subtilissimè separaverit, vera definire non possit.

Pergit Turrecremata, quando talis controversia in materia fidei orta est inter Papam & patres Concilii : (Nempe de qua non ita perspicuum est veri melius sentiant, nec omnino videtur impossibile unum melius sentire cæteris, etsi id quoque certò non constet.) Tunc licet universitas Patrum sequenda esset, utpote judicio discretionis præminentior & super-

(b) *Dott. Lov.*



perior , nihilominus nihil videretur conciliariter concludendum , quousque concorditer Papa & Patres in unam simul convenirent conclusionem & sententiam .

Id quidem omnino intelligi patet de dubiis , ac maximè ambiguis . Nam ita docentem audivimus ; **QUOD IN IIS QUÆ AD FIDEM PERTINERE** tota Synodus per apertissima testimonia Sacra Scripturæ , aut Sanctorum Patrum doctrinam unanimiter declararet , Papa Concilio obedire teneretur , ac repugnans condemnandus , deponendu que esset .

Utrumque est , qui in sola consensione Pontificis cum Concilii Patribus vim certam definiendi reponit , & quandiū dissentiant , rem totam in suspenso esse decernit , rogo bona fide , ecquid de Pontificia infallibilitate cogitet , nisi fortè infallibilem secluso Concilio , statim eo congregato sua infallibilitas deserit , vocatque tum illud , non deficiat fides tua , & confirma fratres tuos , quæ quis sanus dixerit ?

At ne de Turrecrematæ sententia amplius litigetur , quid in eodem opere dixerit , audiamus : Exponere aggreditur detegendæ pertinaciæ viginti modos : quo loco sic ait : (a) Decimus septimus modus convincendi specialiter Papam de pertinacia in hæretica pravitate , est si errorem definivit solemniter , & asserit tanquam Catholicum esse tenendum . Quo quid est clarius ?

Hæc lib. 4. docet connexa & apta cum iis quæ lib. 2. scripserat : *Ad istam objectionem , cum arguitur de Papa factò Hæretico , & definiente pro hæresi sua , dupliciter respondetur , quidam enim volunt dicere , quòd casus non est possibilis .* (b) Ad hoc quòd Papa possit definire hæresim : dicunt enim quod in hoc casu Deus non permetteret eum definire hæ-

resim , aut aliquid contra fidem , sed eum prohiberet . Hæc sibi ex aliorum mente objicit . At ipse paulò post : *Nobis autem aliter videtur dicendum .* Ergo rejicit eos qui negant à Romano Pontifice , dicta sententia hæresim definiri posse .

Quomodo autem hæc congruant cum iis quæ hoc loco & alibi passim inculcat , Sedem Apostolicam , atque etiam Romanum Pontificem in Decretis fidei esse infallibilem , sic explicat : *Nobis autem aliter videtur dicendum , videlicet quod ratio illa non sit ad propositum ; quia si Romanus Pontifex efficitur Hæreticus , ipso facto quo cadit à fide Petri , & per consequens judicium , quod faceret talis Hæreticus , non esset judicium Apostolica Sedis , imò nec judicium alicujus auctoritatis est dicendum , aut momenti , quia cum per hæresim cecidisset à prælatione , per consequens auctoritate judicandi privatus esset .*

Eò autem processit , ut diceret per occultam quoque ac etiam interiorem hæresim , Papam statim , ipso facto , loco cadere tanquam à Deo depositum . Quo quidem facillè tuetur id quod sæpe dixerat , (c) *Romani Pontificis judicium in iis quæ fidei sunt errare non posse .* Non quia Romanus Pontifex data sententia , errorem definire non possit , sed quod definiendo , imò verò etiam credendo , definat esse Pontifex : quo jure omni Episcopo infallibilitatem facillè adscribemus , si cum eodem Turrecremata semel dicimus , qui prava credat & definiat eum non jam Episcopum esse ; ipso scilicet errore dejectum .

Hæc quidem omnes , sat scio , vana & nugatoria esse dicent , sed habemus interim claram Turrecrematæ sententiam , quod Romanus Pontifex non modò errare in fide , sed etiam errorem , prolato ju-

F 2

dicio

[a] Sum. de Eccl. L. 4. Part. 2. C. 16. fol. 388. verso . [b] Ibid. L. 1. C. 112. fol. 258. verso .

[c] Sum. de Eccl. L. 4. p. 52. C. 18. 19. 20. L. 2. passim , C. 4. fol. 252. verso .



dicio, solemniter definire possit. (a) Cæterum haud me fugit, quam parum sibi internum constare videatur: nobis ipsa fluctuatio ac variatio sufficit. Certè Turrecrematæ perpenni operosius & conciliari dicta, tanti non est.

### CAPUT III.

Antonii de Rosellis ejusdem Ecclesiæ Canonistæ Eugeniarum partium sententia.

**F**lorebat per eandem ætatem Antonius de Rosellis, Arctinus consiliarius Pontificius ac Cæsarius, ejusdem Ecclesiæ Canonista nobilis, Eugeniarum partium, qui tamen in Libro de Monarchia hæc habet: *Credo quòd si Papa statueret contra fidem, vel bonum Universalis Ecclesiæ vel in casibus, in quibus sibi non licet, & in quibus Concilium est supra Papam, quòd, licet ab iis Statutis non posset appellari, quòd saltem poterit in talibus querelari ad Concilium, & ad ipsum habere recursum, cum sit superius per supra dicta.* Ibidem [b] *Solius Papæ judicium submittitur judicio Concilii Universalis in his casibus, in causa fidei, Schismatis, & ubi agitur de bono Universalis Ecclesiæ: & ita postremo statuit diebus meis generale Constantiense Concilium: & ille quidem tradit, si Papa manibus propriis infinita homicidia commisisset, à nullo posse judicari; item (c) si commisisset millies Simoniam, denique in uno casu hæreseos Papam à Concilio judicari posse.*

Reprehenditque Cardinalem Florentinum aliter sentientem; sed confestim addit; "quod idem est in omni delicto scandalizante Ecclesiam, ut Papa possit pro illo à Concilio judicari, quando

„ monitus stat incorrigibilis, & in sua „ obstinatione persistit. Nam talis contumacia dicitur hæresis „: Quod quidem est à nostrorum sensu discrepare verbis, re ac sententia convenire.

Cumque apertè doceat à Papa etiam lato judicio ac Statuto edito doceri posse, hæresim cogitur dicere ea verba *ne deficiat fides tua*, referri non ad Pontificem etiam de fide decernentem, sed ad Ecclesiam: (d) „ Concilium, id est Ecclesia „ & collectio fidelium errare non potest. „ Nam oravit Redemptor noster pro Ecclesia, **NE DEFICERET FIDES TUA**, „ dum Christus dixit: Ego, Petre, pro te **ROGAVI, UT NON DEFICIAT FIDES TUA**.

Unde paulò antè dixerat: "Concilium „ Africanum non dimisit ita pericula decidenda Summo Pontifici soli, sed voluit „ Concilium generale adhiberi. Et paulò post, nam ut dicit Archidiaconus, periculosum foret Fidei causam unius hominis judicio relinquere. Non igitur excogitabat Papam solitariè decernentem, sed Papam cum Concilio, sive cum Ecclesia, pro cuius fide oravit Christus esse infallibilem.

Hæc scribebant sub Eugenio IV. flagrantibus dissidiis, qui ei erant addictissimi, ab eoque opibus ac dignitatibus augerentur.

Dionysium Carthusianum Pontificiæ licet potestatis studiosissimum sub Nicolao V. Eugenii successore eadem sensisse vidimus, & communem eam fuisse sententiam certo certius sit.

### CAPUT

(a) *Summ. de Eccl. L. 2. C. VIII. ad obj. 6.*

[b] *Ibid. Cap. XXVII. pag. 446. [c] Ibid. pag. 431.*

(a) *Ibid. Cap. XXVI. pag. 433.*



## CAPUT IV.

*Sanctus ANTONINUS Archiepiscopus Florentinus, an bona Fide relatus ab Anonymo Auctore, qui de libertatibus Gallicanis scripsit.*

**P**ER eadem ferè tempora floruit *Sanctus ANTONINUS* è Prædicatorum ordine Archiepiscopus Florentinus, quem auctor tractatus *de libertatibus* veluti præcipuum Pontificiæ potestatis atque infalibilitatis assertorem laudat; & quidem nihil clarius videtur esse verbis illis, quæ idem Anonymus profert: (a) *Papa in his quæ pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet ut Papa in determinando etiam ut particularis & privata persona. Quem tamen locum cum totum proferemus, liquidò apparebit nihil nocere nobis.* Sed prius Antonini universam doctrinam considerare placet. Primò ergo Summæ Tom. III. sive III. Parte Lib. 23. de Conciliis universalibus Cap. I. sic ait: *Basileense Concilium congregatum canonicè, sed post dissolutionem, seu mutationem, per Eugenium Papam IV. anno 1437. factum est Conciliabulum.* Ergo anteriora Basileensia ante hanc dissolutionem, sive potius translationem pro canonicè actis habet Antoninus; licèt in his actis Constantiensia Decreta firmentur, ut suo loco videbimus.

Capitulo II. Paragraph. 6. probandum suscipit, quod *Concilia generalia non possint præfigere legem Papæ*, quo loco superiorem Conciliis Papæ potestatem videtur agnoscere. Sed addit, *in concernentibus fidem, Concilium est supra Papam*: ac paulò post; *item dico quòd in concernentibus universalem statum Ecclesiæ non potest Papa statuere contra Statutum Con-*

*cilii, si statuendo decoloraretur status Ecclesiæ.* Hæc igitur sunt quæ restringunt Antonini propositionem, quòd *Concilia generalia non possint præfigere legem Papæ.*

Eodem Capitulo, §. 7. quærit quando Concilium dicatur legitime congregatum; quo loco hæc habet: *Ubi Papa esset Hæreticus vel de hæresi suspectus; tunc ad eum non spectare videtur potestas congregandi Concilium.* En ergo casus ab ipso Antonino admissus, quo Concilium sine Papa non modò congregetur, sed etiam de fide judicet.

Capitulo III. vehementissimè favere videtur potestati Papæ, ac probandum suscipit; "quòd non liceat appellare à „ Pontifice Romano ad ipsius successorem vel generale Concilium, & quòd „ sentire, quòd à Romano Pontifice possit ad quemcumque appellari, est hæresis manifesta „: Interim ex antecedentibus constat obtemperandum non esse si contra Concilii auctoritatem ea statueret, quibus *Ecclesiæ decoloraretur status.* Sic qui tanto studio appellare vetant, rationem tamen ineunt, quà Decreta Pontificia in universalibus causis cassa habeantur.

Ibidem, paragr. 4. duas objectiones proponit; secunda est ejusmodi: *Contingere posset quòd Papa Hæreticus esset, & vellet hæretica statuta condere; quòd si contingeret, deficeret fides Petri, quia non esset qui in hoc casu posset resistere, nec teneretur Ecclesiæ Hæreticis statutis ejus obedire.* Videtur ergo in hoc casu saltem licitum esse appellare. Ad illud dicendum sit prius, quòd licet ut persona particularis ex motu proprio agens errare possit in fide, sicut scribitur de Liberio Leone, contra quem Hilarius Pictaviensis ad Concilium generale venit; tamen utens Concilio & requirens adjutorium Universalis Ecclesiæ, Deo ordinante, qui dicit, ego rogavi pro te, &c. non potest errare. Nec potest esse quòd Universalis Ecclesiæ accipiat

(a) Anon. Traët. de libert. L. 3. Cap. XV. num. 11.



*aliquid tanquam Catholicum, quod est Hæreticum, quia Ecclesia Universalis, quæ est sponsa, & erit semper, & est; non habens maculam neque rugam. En secundum Antoninum, quid sit Pontificem errare posse, ut personam particularem. Non enim hic intelligendus est Pontifex publicum & Apostolicum officium exequens, quod nunc volunt, sed Pontifex ex motu proprio agens. Quid sit autem Pontifex agens ut Pontifex, idem Antoninus exponit; nempe ut sit Pontifex utens Concilio & requirens adiutorium Universalis Ecclesiæ, cujus proinde sententiam ECCLESIAE Universalis accipiat. Quo sensu omnes cum Antonino profiteamur Pontificem ut Pontificem errare non posse, atque omnino constat in eo esse vim secundum Antoninum, quod Ecclesia Universalis errare non possit ut sponsa semper sit, non habens maculam neque rugam.*

Id ipsum liquidò constat Summæ IV. Parte tit. 12. Cap. IV. de errore Fratricellorum, pag. 28. quo loco fraticellis Joannis XXII. Decretalem ut Hæeticam, & Nicolai III. Decretis contrariam insimulantibus sic respondet: *Sed ipsi pessimi sunt homines Hæretici viri qui asserunt contra determinationem Catholicam factam per Ecclesiam & Joannem XXII. & per omnes successores ejus veros Catholicos, Summos Pontifices & omnes alios Prælatos Ecclesiæ & Doctores utriusque (juris scilicet) & magistros plurimos in Theologia cujuslibet Religionis acceptatam, examinatam, & approbatam ut verissimam. Quo loco demonstrat quid sit verum Apostolicum & jam irreformabile Pontificium judicium; nempe illud quod à Papa prolatum, ab Universali Ecclesia acceptatum, examinatam, approbatumque sit. Sic ergo ex Antonini mente Pontifex docens, ut Pontifex atque ut persona publica sive ut nunc loquuntur ex Cathedra, est Pontifex,*

*ut vidimus utens Concilio & adiutorio Universalis Ecclesiæ quæ errare non potest; atque ex ejus sententia ita pronuntians, ut ejus sententiam acceptatam & examinatam, ipsa Ecclesia approbet: quod est certissimum.*

Ex his clarè patet, quo sensu dixerit Papam errare non posse ut Papam, etiam si errare possit *ut particularis & privata persona*. Quem locum Anonymus non tantopere vendidisset, si quid esset Papa, ut Papa; quid Papa ut persona particularis & privata ex aliis Sancti Antonini locis scrutari voluisset.

Quin etiam eum locum, quem affert non legit integrum: sic autem habet Parte quarta tit. 8. Cap. III. Parag. 5. *Fides Universalis Ecclesiæ non potest deficere, dicente Domino Petro, EGO PRO TE ROGAVI, & illud quidem ad personam Petri intelligitur de defectu finali, ita ut scilicet quod non periret persistendo in negationis peccato. Quantum autem ad Ecclesiam, quæ intelligitur in fide Petri simpliciter, verum est quod non potest Ecclesiæ fides deficere. Ratio quare Ecclesiæ fides in generali deficere non potest, est quia divina Providentia regitur, scilicet Spiritu Sancto dirigente ut non erret, & licet Papa in particulari errare possit, & in judicialibus in quibus proceditur per informationem; alias in iis quæ pertinent ad fidem errare non potest, scilicet ut Papa in determinando etiam si ut particularis & privata persona.*

Quæ cum antè dictis mirè congruunt, patetque Ecclesiam eam esse quæ directà à Spiritu Sancto errare non possit; Papam ex Ecclesiæ nomine & sensu pronuntiantem, errare non posse; quod autem ex Ecclesiæ sensu pronuntiaverit, certum & ultimum argumentum esse si Ecclesia Papæ sententiam examinatam acceptet & approbet.

Jam quod Antoninus ait in prædicto Paragrapho 40. Cap. III. tit. 23. III. Par-



Partis, nequidem à Papa Hæretico appellari posse, nihil habet difficultatis. Hujus enim rei causa est, ut ait Antoninus, quod alioquin *Ecclesia* satis per se valet, ut non teneatur hæreticis ejus statutis obedire. Quæ docent in his omnibus, quæ adversus appellationes à Papa, tantos conatus agunt, de verbis potius quam de ipsa re agi, atque Antoninum summa ipsa nobilium consentire. Jam quod de Leone & Hilario Pictauiensi scribit, Lector eruditus viro sanctissimo condonabit, atque horum temporum incertitiam agnoscat.

## CAPUT V.

Thomas à Vio Cardinalis CAJETANUS Pontificiam Infallibilitatem asserit, nulla in adversarios censuræ notâ. Primus omnium docuit erroneam esse sententiam quæ superioritatem Concilio assignet, cui repugnat Turrecremata & Cajetani tempore Dominicus Jacobatius Cardinalis.

**A**B initio anteaucti sæculi Thomas à Vio CAJETANUS ex Prædicatorum ordine, vir acris ingenii, argumentandi arte magis, quod apud omnes constat, quam Ecclesiasticæ antiquitatis scientia pollens, Pontificiæ superioritatis acerrimus propugnator, atque ad Cardinalatum evectus fuit, quo Duce hæc sententia incrementum aliquod sumpsisse visa est; atque is Pontificiam quidem infallibilitatem asseruit, sed nulla, unquam, quod sciam, adhibita censuræ nota; in Summam Sancti Thomæ, hæc ejus est conclusio: (a) *Determinare finaliter quæ fidei sunt pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, hoc autem quidam non admittunt, planè, eo more, modoque quo dissentientes scholasticorum opiniones re-*

fert. Hæc de ea quæstionis parte quæ jam gravissima habetur.

Quo ad superioritatem Papæ asperid, Parisiensium sententiam erroneam judicabat, sed neque ipse satis unquam se expedire visus, neque ita censuerant, quod sciam, qui ante eum scripserunt, neque ejusdem ætatis Scriptores sequebantur. Certè Turrecremata quo tempore maximè contentio ferbuit, cum de Pontificia superioritate diceret, adversam sententiam erroris & impietatis accusabat; non tamen absolute, sed ad eum præcisè sensum qui cum Basileensibus controversus esset; *juxta intelligentiam*, ait, (b) *quam de eo practicante verbis & factis Basileenses, secundum quam prosecutus sum responsionem istam. Et rursus, ad illam intelligentiam, quam Basileenses verbis factisque practicant.* Quod semper inculcat. Non ergo absolute damnavat erroris, sed ad sensum Basileensem qui Conciliarem superioritatem extendebant. Ad Concilii translationem irritandam, & suam sententiam fide Catholica certam esse definiebant, & contrariam hæresim judicabant, & Eugenium IV. ea causa deponebant. Quod quidem Turrecrematæ videbatur (c) *præsumptio maxima, & execrabilis temeritas, tali intelligentia data definire Decretum illud*, Constantiense scilicet, *esse Catholicæ fidei*. Ergo Turrecremata rem ipsam quidem pro sua sententia refellit. Ut interim non rem sed rei asserendæ modum, præsumptionis, erroris, impietatis accusat. Sic Cajetani Antecessores in ipso contentionis articulo se gerebant.

Quod attinet ad eos qui eadem ætate scriberent, ea certe ætate ac sub Leone X. & doctrina & gratia & auctoritate florebat Dominicus JACOBATIUS Cardinalis. Is quem summis rebus eo tempore

(a) *Cajet. in 2. 2. q. 1. a. 1.*

(b) *Turrecrem. Apol. 1. Part. sub finem.*  
(c) *Ibid.*



re præfectum, & à Summo Pontifice profecto, Bononiam, ut cum Francisco I. de Pace ageret, Romæ Vicarium relictum esse comperimus. Is autem de Concilio ingens opus conscripsit, quod *Christophorus JACOBATIUS*, item Cardinalis, indicto Concilio Tridentino Paulo III. inscripsit; placitura procul dubio, certè haud improbanda Pontifici suæ dignitatis retinentissimo oblaturus. Atque hic quidem scriptor Pontificiam superioritatem pro virili factis argumentis, & undique conquistis auctoritatibus propugnat; sed diversam opinionem refert & probabilem; nedum censura premat. *Probabiliter*, inquit, (a) videtur argui quòd *claves fuerunt datæ Ecclesiæ*. Hæc aliorum sententia est, suam anteponit sic: *Non teneo quòd plenitudo potestatis non sit in solo Papa, sed in Ecclesia tanquam in fundamento, & in Papa tanquam in principali ministro*. En quanta modestia cardinem ipsum difficultatis attingit. Non averfatur, non horret. *Tantum*, inquit, *non teneo*, cum aliam sententiam probabilem diceret, & suam illud forte ut videtur, semper inculcat, sic duas sententias discrepantes, ut Catholicus refert, Gersonem, Cameracensem, Florentinum, Panormitanum, æquè cum Felino Brixienti, & aliis suæ sententiæ affectis laudat, & id alii quoque passim præstant, adeò tum odia obsoleverant, & diversas inter sententias pax Christiana coaluerat.

## CAPUT VI.

*Idem Jacobatius Cardinalis Pontificiæ superioritatis assertor, in Infallibilitatis questione quid sentiat.*

**Q**uamquam autem Jacobatius Pontificiæ superioritati omnino favebat, hæc tamen docuit, de fidei questionibus:

(a) JACOB, de Conc. l. 5. p. 201. lib. 4. p. 43.

„ (b) Si sumus in causa fidei, & Papa  
„ vult aliquid statuere contra fidem, stan-  
„ dum est potius sententiæ Concilii. Et  
„ alibi pro certo supponit, quòd “ quando  
„ Papa est Hæreticus, potest accusari & de-  
„ clarari depositus, quòd fieri non posset,  
„ si in iis itaretur sententiæ ejus, potius  
„ quàm totius Concilii, quia semper se  
„ tueretur ex sua sententia. Papam pro  
„ potestate agentem videmus, qui se con-  
„ tra Concilium suæ sententiæ tueatur;  
„ ac pro Hæresi contra Concilium dicat  
„ sententiam, ab ipso Concilio dissolven-  
„ dam. Item alio loco: (c) „ Si loquimur  
„ in causa fidei, super articulo emergenti  
„ nondum definito, & loquimur in judi-  
„ cio discretivo, in dubio videretur re-  
„ gulariter potius standum judicio uni-  
„ versalis Concilii contra Papam solum  
„ contra sentientem “: & laudat senten-  
„ tiam Archidiaconi nobilis juris consulti  
„ dicentis: „ quòd periculosum esset fi-  
„ dem nostram committere arbitrio unius  
„ hominis “. Alios quoque Doctores no-  
„ minat idem sentientes, quia, inquit, in  
„ his quæ concernunt fidem, Papa debet  
„ stare judicio Concilii.

Quo loco & id docet, quamquam in dubiis fidem concernentibus plenius ac certius Sancti Spiritus Lumen Concilio affalgeat, tamen in arduo ac maximo dubio, decisionem Concilii à Papa posse suspendi: Suspendi certè, non tamen contra Concilii sententiam aliquid definiri, quod procul dubio infallibili conveniret. Cæterum idem Cardinalis, si res certa claraque Patribus, & sacro Concilio videatur, nullo modo dubitat, quin statim quæstio decidatur, & Papa reluctans à Concilio deponatur. *Alioquin*, inquit, (d) videretur sequi unum magnum inconveniens, quòd Papa esset Hæreticus, & non posset propter hæresim à Papatu amo-

(b) JACOB lib. 4. de Conc. pag. 238. (c) Lib. 4. pag. 240. [d] Lib. 9. pag. 389.



*veri, si ipse nollet in se ipsum sententiam ferre.*

Quod quidem valere contendit de quacumque agatur hæresi, siue illa jam damnata sit, siue non; cum hoc tamen discrimine, quòd Papa professus obstinatè jam damnatam hæresim, statim depositus declaretur. Si verò, inquit, (a) *lapsus est in hæresim nondum damnatam, & est in Papatu, quia nondum judicatum est per Concilium de crimine, tunc nullus eum judicat, nec potest in eum sententiam ferre, (b) quia non habet superiorem; & cum ipse sit caput Concilii, non judicatur à Concilio. Sed si postquam Concilium cognovit de crimine, & judicavit esse hæresim, non resipiscit, tunc dicetur illi: te ipsum ore tuo judica. Quod si facere noluerit, Concilium eum declarabit Hæreticum & depositum, ut suprà dictum est.*

Statum quæstionis adverte: agitur de articulo fidei nondum declarato: eam doctrinam tuetur Pontifex quæ hæresis accusetur: Ea de re Synodus convocata est: adest Papa, & quidem repugnans Patribus: at illi invito eo, de qualitate, ut ajunt, criminis judicant, & veram hæresim esse declarant, & tenet Concilii sententia: Edque res recidit, ut Papa Concilio repugnans quàm honorificentissimo ritu deponatur. Inclament Censores nostri, non id posse fieri, (c) *imò habere Patres à Papa ut recta decident, & solius Pontificis judicium unanimi totius Synodi suffragio esse potentius ac prævalere; ac*

*nisi id credatur de Pontificis primatu, de fide actum esse.* At contrarium scribunt duo Cardinales; at Romæ; at ad Paulum III. at horum opus à duobus Jesuitis *Philippo LABBÆO, & Gabriele COSSARTIO*, quos honoris causa nominò, in ipsa Conciliorum editione novissima publicatur. Duo Cardinales Pontificiæ majestatis strenui defensores, ei à Patribus abundè satisfactum putant, si Patres multa prætati, multaque adhortati Papam ejiciant.

Hæc quidem Jacobatius emollire velle videtur, quòd Patres id faciant non ordinando, sed exequendo, quod tamen plus esse quàm ordinare idem docet. Unde, inquit, *virtualiter magis est sententia executionis quàm pronuntiationis, quia modicum refert hoc casu, utrum Concilium provideat ut Cardinales ab eo recedant, & alium eligant, & ipsum tradant curiæ seculari, an pronuntiet & exequatur; quia exequendo plus facit in effectu quàm pronuntiando.* (d)

Hæc quidem efficiunt ut Canonistarum quoque sententia vel eorum qui Romano Pontifici vel maximè favere velle videantur, nostræ sententiæ summa in tuto sit; cum ii quidem nobiscum de re consentiant, de eo uno laborent, ut subjectionis in Papa, ac potestatis in Concilio nomine amputato, ipsa res maneat: quod quidem, ut non præfractè refugimus, ita in his minutiis rem Theologicam collocandam minimè consentimus.

(a) *Ibid. pag. 390.*

(b) *Sententiam ferre.* Plerique tunc temporis Canonistæ credebant Papam sui ipsius unicū judicem, à Papatu nullo Ecclesiæ decreto amoveri unquam posse: unde concludebant Papam etiam hæreticum tolerandum fore, nisi ipse in se sententiam ferret. Jacobatius, qui negat Ecclesiæ jus esse amovendi Papam, ne dicere cogatur tolerandum eum esse, hæreticum licet, qui in se sententiam ferre nollet, addit, quod non minus absurdum falsumque est, Ecclesiæ esse declarare talem Papam à Deo jam amotum fuisse. Hanc doctrinam ubique inculcat Jacobatius.

(c) *Doct. Lov. A. I. p. 1. 54.*

Tom. I.

## CAPUT VII.

*De Fide Petri nunquam defectura ejusdem Cardinalis loci.*

**EX** his Jacobatii sententiis facilè intelligi potest, quid de Pontificia infallibilitate senserit. Licet enim & eam.

G

sen-

[d] *Jacob. Lib. IX. pag. 389.*



sententiam aliquando referat, & in eam interim propendere videatur, nihil tamen disertè asserit: (a) & quidem id docet; *Papæ, qui Ecclesiæ caput est verisimiliter magis assistere Spiritum Sanctum ex quo assumpsit eum in Vicarium.* (b) En quam modestè dixerit verisimiliter, sed cum sit incerta res, Concilii sententiam meritò antepōnit.

Quin etiam eum locum *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, ad glossæ suprà relatæ sensum passim interpretatur, & ad Ecclesiæ fidem referre solet: *Ecclesiæ*, inquit, *non potest errare quia Christus oravit pro ea ne deficeret.* (c) Alibi; ex crimine scandaloso *Papæ non perit Universalis Ecclesiæ, quæ nunquam potest errare, & pro qua Christus oravit.* Item *Ecclesiæ semper eadem, & illibata fide tenus, quæ non potest errare, ut ibi dicitur, dicente Salvatore nostro: EGO PRO TE ROGAVI, UT NON DEFICIAT FIDES TUA.*

Atque ex eadem glossa fidem intelligit eam, qua intus quoque credamus: unde probat nunquam deficere posse fidem Petri,

(a) *Nihil .... disertè asserit.* ) Pace D. BOSSUET dixerim, Jacobarium mihi visum fuisse Pontificiæ infallibilitatis assertorem disertissimum, qui non modo dicit, *Papam vel solum, posse tollere Constitutionem*, FREQUENS, in *Concilio Constantiensi editam*: item, *Papam posse tollere Constitutionem antiquam à Concilio editam, & novam edere, fortè sibi favorabilem, & Romanis Pontificibus pro tempore atque iterum: Si [Papa] de nuda voluntate & potestatis plenitudine ista statueret, se credere servandam fore sententiam Papæ*; sed etiam millies iterat non esse verisimile *Papam posse errare.* Itaque verba in textu allegata hoc mihi tantum persuadent: nempe Jacobarium incertum & varium fluctuasse. Nec mirum. Qui enim inter Ultramontanos Doctores sunt, nonnunquam incerti & mutabiles a se ipsis discrepant, & nescio quo naturali impulsu, veritati adtipulantur. Aded difficile est errorem æqualiter & perpetuò defendere. Constantia & stabilitas unius veritatis laus est. (b) Jacob. lib. VI. pag. 239.

[c] Lib. IX. pag. 421.

pro qua Christus rogavit; quia semper remanet, et si non in Petro, sed tamen in aliis, ea fides, putà in B. Virgine tempore Passionis Dominicæ, ut ostendetur (d), inquit, quod non posset deficere fides pro qua Christus oravit. Quo exemplo scriptores posterioris ævi frequenter utuntur, non quod velint fidem in aliis omnibus penitus defecisse, sed ut designent eam in qua non defecisse certissimum sit.

Probat etiam Jacobatius sententiam ea verba interpretantium *de fide Petri*, id est *de fide Ecclesiæ ei specialiter commissæ*, (e) Romanæ scilicet, quam superius explicantem Driedonem audivimus; atque his interpretationibus contrariæ nobis sententiæ fundamenta convelli vidimus.

## CAPUT VIII.

BELLARMINI *judicium: ab illo Concilio Lateranensis auctoritas trepidè profertur de sententia superioritatem Synodis vindicante; ejusdem censuræ titubantes.*

**N**UNC BELLARMINUS prodeat unus omnium nobis infensissimus, quem etiam recentiores vel maximè secuti sunt. Duplex quæstio est an Papa superior, an infallibilis. Bellarminus de prima sic: (f) „Summus Pontifex simpliciter & absolute „est supra universalem Ecclesiam, & supra „Concilium Generale, ita ut nullum in terris „supra se iudicium agnoscat. Hæc etiam est „terè de fide: Quid hoc monstri est? Quod est ferè de fide, totum de fide non est.

Placet enim analytico ordine, & subtili enucleatione resolvere ad sua principia illud ferè de fide: vel enim ad primam Dei revelationem refert, vel ad Ecclesiæ consequentem declarationem, ut sensus sit ferè de fide, quod Deus ferè revelaverit, vel ferè de fide, quod ferè Ecclesia

[d] Lib. VI. pag. 242. (e) Ibid. pag. 238.

(f) Lib. 2. de Conc. Aut. Cap. XVII.



clesia definiverit. Atqui quod neque Deus planè revelaverit, neque Ecclesia planè definiverit, nullo modo de fide esse constat: neque enim ex parte fides, sed ex toto plenoque & perfecto est.

Vel aliquem demonstra, non modò ex antiquitate illa gravi & sobria, aut ex Theologicis Facultatibus doctis illis celebratisque, sed etiam ex recentioribus privatisque Doctoribus alicujus nominis, qui, ante te, censuræ loco usurparit illud tuum *ferè de fide*. Hoc quidem probat condemnandi animum inesse, non causam.

Ut autem intelligamus quid sit illud *ferè de fide*, videamus oportet quid maximè Bellarminus urgeat; nempe Concilii Lateranensis sub Leone X. Decretum, ubi dicitur [a]: „Romanum Pontificem fu-  
„ per omnia Concilia auctoritatem habe-  
„ re. „ Quæ ubi protulit Bellarminus, hæc subdit: „(b) Ad hunc locum [Conci-  
„ lii Lateranensis] nihil potest responderi,  
„ nisi vel non fuisse generale, vel non  
„ fuisse ab Ecclesia receptum, vel non de-  
„ finivisse hoc tanquam de fide.

Has tres propositiones sigillatim probat. Sic primam, „: Sed non fuisse ge-  
„ nerale vix dici potest. „ O certam auc-  
„ toritatem, & ineluctabilem! o claram  
„ decisionem firmamque censuram! *ferè de*  
*fide*: & *vix dici potest*. Secundam res-  
„ ponsionem: An fuerit receptum Concilium  
„ illud, nihil moror. Si enim constaret &  
„ verè esse Oecumenicum, & rem defini-  
„ visse tanquam de fide, omnino recipien-  
„ dum esset.

Sed jam Oecumenicum fuisse ipso Bel-  
larmino teste non constat. De tertia  
quid dicat audiamus: „ Quod Concilium  
„ hoc rem istam non definiverit propriè,  
„ ut Decretum fide Catholica tenen-  
„ dum, dubium est „. Deus immortalis!  
Hocine erat, cur nunc perdita  
omnia conclamarent?

Pergit porro: „ & idè non sunt pro-  
„ priè Hæretici qui contrarium sentiunt,  
„ sed à temeritate magna excusari non  
„ possunt. „ De temeritate postea vide-  
„ bimus, interim à graviore censura, ab  
hæresi, ab errore, ipso Bellarmino judi-  
ce, absoluti sumus, nostraque omnino  
fides, quidquid vociferentur, in tuto est.

Quid autem illud est *propriè Hæretici*,  
certè si rem æquo animo disceptaret,  
nullo modo Hæreticos pronuntiaret; cum  
nec ipse quidem affirmare ausit à Leone X.  
rem esse definitam tanquam de fide; sed  
nimium pigebat absolvere, quos apertè  
condemnare non poterat.

Jam verò videamus, *vix* illud Bellarmi-  
ni quid sit. Lateranense Concilium sub  
Leone X. „ non fuisse generale vix di-  
„ ci potest. „ Quid ita? „ nam et si  
„ fuerunt, *inquit*, Episcopi paucissimi  
„ (nam ad centum non pervenerunt)  
„ tamen Concilium patebat omnibus, &  
„ omnes vocati fuerant. „ Quid tum?  
Cum, præter Italos, vix ulli convenirent,  
Galli universi apertissimè repugnarent.  
Et quidem vocati Romam; sed à quo?  
A Julio II. (c) hoste infensissimo, flagrantibus  
non modò simulatibus, sed etiam  
bellis, ac postea à Leone X. rebus ne-  
dum

(c) A Julio II. Julianus Ruverus, qui  
Galliæ amicitiam diu coluerat illi bellum in-  
dixit, statim atque artibus, largitionibus, pro-  
missionibus ad Pontificatum evehctus est. Hunc  
tradunt Historici quietis impatientem, novis  
rebus semper studentem, fidei datæ parum te-  
nacem, novas turbas, nova bella undique ac-  
censentem; denique boni Imperatoris famam,  
quam boni Papæ gloriam pluris facientem.  
Nulla unquam oblivione debebuntur ea, quæ  
in Ludovicum XII. & Joannem d'ALBERT Gal-  
liæ & Navarræ Reges multa machinatus est,  
tam violenter quam iniquè. Pic dicit D. Bos-  
suet bellum Gallis à Julio fuisse illatum. Nos  
addimus ex Historicis, Papam illum, qui fi-  
delium communis Pater haberi vellet, vidisse  
tandem, id quod votis omnibus exposcere vi-  
debatur, totam Italiam, iis armis quæ ipse  
commoverat, devastatam.

[a] Bulla Leonis X. in Concil. Later. Sess. II.  
Tit. XIV. pag. 321. (b) Bellar. loc. cit.



dum bene compositis. Eo temporum articulo citati Galli, qui Roma in Lateranensi Palatio de suis libertatibus, deque Pragmatica sanctione, suæ tum disciplinæ arce, liberè scilicet & æquo jure disceptare possent: Italia interim tot bellis, tot incursionibus impedita, ut nullum adiutum patere sibi Gallicani Episcopi iterum atque iterum haud immeritò quererentur. Cum res eo loco essent inter Leonem X. & Franciscum I., magna tum victoria à Gallis reportata (a), repentè transactum est, & loco Pragmaticæ inductum Concordatum. Quo pacto federe, quid Pragmatica fieret, Franciscus non curabat; neque nunc cuiusquam interest, an Lateranense illud sit Oecumenicum. Sed tamen pro certo Oecumenico haberi, Bellarmini cunctatio, & fluctuatio non finit. Cum etiam in editione Romana, in ipso Tomi IV. Capite quo cætera Concilia generalia recensentur, hoc Lateranense Concilium extra lineam, ac reliquorum ordinem, alio caractere sit positum. (b) Sed nos de Concilio isto Lateranensi suo loco plenius differemus, docebimusque hæc omnia neque ad fidem pertinere; quippe quæ in transcurso, non in ipsa definitione dicta sint; ac ne quidem ad quætionem, cum Papam superiorem faciant non omnimodis, sed iis in rebus de quibus non agitur. Hæc, inquam, suo loco ostendemus. Nunc ipsum Bellarminum relinquimus, eique omnia trepide cunctanterque dixisse sufficiat.

[a] Apud Melinianum anno 1515.

(b) *Alio caractere, &c.* Annotandus est etiam Concilii Lateranensis titulus ab editoribus Romanis sic descriptus: *Concilium novissimum*. Neque illi quidquam addunt, quo significant se illud Concilium habere pro Oecumenico.

## CAPUT IX.

BELLARMINI circa Pontificiam infallibilitatem censura æque anceps. Vis notarum ex MELCHIORE CANO.

JAm Bellarminus de hac Parisiensium sententia, Pontificem etiam ut Pontificem posse docere hæresim, sic pronuntiat. „[c] Hæc opinio non est propriè hæretica, „nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari qui eam sequuntur, tamen videtur omnino erronea & hæresi proxima. „Tolerari verò quam totâ Ecclesiâ auditam, nusquam damnatam, à tot viris, teste Bellarmino, doctis sanctisque defensam, eodem Bellarmino teste, (d) *Adrianus quoque VI. Pontifex optimus atque doctissimus* Patrum nostrorum memoria in celeberrima Lovaniensi Academia docuerit, propugnaverit, & factus Pontifex in ipsa orbis luce, Romæ ediderit: Hanc toleratam vocas, non probam procul dubio Catholicamque sententiam. Nempe, inquit, *videtur omnino erronea* (& quod idem cum erroneo est] *hæresi proxima*. Gravis censura. Non hic ferè de fide, verum omnino erronea, id est, omnino contra fidem; hoc enim sonat *erronei* vox: sed *videtur*, inquit; audio. Bellarmini opinio est, & valet illud Melchioris Cani censurarum notas æqualitate trutinantis: *verbum VIDETUR judiciorum infirmat certitudinem* (e): neque tantum Sanctus Thomas, sed etiam alii verbo *Videtur* uti solent, cum res non est plana ac definita. Illudque Bellarmini ex opinione est, non ex certo firmoque judicio. Et quod de Sancto Thoma Canus, id ego de Bellarmino dixerim: cum dixit, (f) *Videri, hoc ipsum sensisse, quod*

[c] Bellar. de R. Pont. lib. IV. cap. 2.

(d) Bellar. de Script. Eccles.

[e] Mel. Can. de Loc. Theol. lib. V. cap. V. pag. 224. edit. Lug. 1704.

[f] Idem lib. VIII. Cap. V. pag. 321.



quod dixerit *videri modo*, non etiam oportere. At nunc illud *videri* Bellarmini, Lovanienſes quidam & Dominus Strigoniensis in firmam fixamque ſententiam vertant, & de fide Catholica desperatum eſſe clamant: illud *Videtur* paucorum Annorum circulo tanta incrementa cœpit.

## CAPUT X.

SUAREZ *Parisiensium de ſuperioritate ſententiam relinquit integram*. Ipſe ſuam de infallibilitate cenſuram infringit, falſaque ex Leone X. adverſus Lutherum refert.

POſt Bellarminum ex eadem Societate Suarez prodeat, ac de duplici quæſtione noſtrâ dicat. De ſuperioritate ſic: [a] „Quando Pontifex ſolùm adeſt in Concilio „per Legatos ſine inſtructione particulari, „& totum Concilium aliquid deſinit cum „Legatis, eſt grave dubium an tale Concilium poſſit errare .... Nam in hoc ſunt „opiniones inter Catholicos. Pariſienſes „enim & alii qui credunt tale Concilium „eſſe ſupra Pontificem, conſequenter affirmant ejus definitionem eſſe intallibilem, quia eſt à ſuprema potestate, & „illud Concilium univerſalem Eccleſiam „repræſentat. Contrarium verò docet „Caſetanus & alii .... quia veriffimum eſt „Papam eſſe ſupra tale Concilium .... Ego „autem breviter cenſeo, Concilium illud „non eſſe regulam fidei, quia ſoltem ejus „auctoritas infallibilis eſt ſub opinione, „Vides celeberrimum Jeſuitam qui totam de Concilii ſuperioritate quæſtionem, quæque huic ſunt conſentanea *ſub opinione* relinquit inter Catholicos variante; & quidem ipſe contra Pariſienſes ſentit, ſed nulla vel leviffima cenſura.

De Pontificia infallibilitate decernit gra-

vius. „Veritas, inquit, Catholica eſt „Pontificem definientem ex Cathedra eſſe „regulam fidei, quæ errare non poteſt .... „Ita docent HOC TEMPORE omnes Catholici Doctores, & cenſeo eſſe rem „de fide certam. (b) CENSEO, „opinionis res eſt. Non ita de his loquimur quæ verè pertinent ad Eccleſiæ Catholicæ fidem. Non hic cenſeo, ſed credo; nec ego: ſed omnes. Et merito ita Suarez loquitur, qui, cum omnes ait ita credere, ſed hoc tempore, anteriori certè tempore non ita creditum eſſe ſenſit. Non ergo notum illud obtinuit: Quod ubique, quod ſemper; quam quidem conſenſionem itabiliendæ fidei eſſe neceſſariam cum Vincentio Lyrinenſi, omnes Catholici profitentur. Sed quid demùm eſt hoc tempore? A quanto tempore? A ducentis annis? At Cardinalis Cameracenſis, at Geſon, at Toſtatus, at Almainus, at Major, & alii innumerabiles tum in Eccleſia horuerunt. A centum annis ante Suarez? At, ut alios prætermittam, Adrianus VI. ſanctiſſimus ac doctiſſimus, ac præterea Summus Pontifex, Patrum noſtrorum memoria non ita ſentiebat. Vide illud hoc tempore quàm anguſtos habeat limites.

At fortè aliquod judicium Eccleſiaſticum intervenit, quo factum ſit, ut jam noſtro tempore id omnes credant, cum antea non crederent? Nullum. Laudat Suarez Concilium Lateranenſe ſub Leone X., & ejuldem Leonis X. Bullam in Lutherum, & quidem planè & confidenter ut rem certam; cum de Concilio Lateranenſi etiam Bellarminum hæſitare videamus. Bullæ adverſus Lutherum Suarez verba ne quidem proferat ulla. (c) Affirmat quidem Lutheri propoſitionem XXIV. quod hanc veritatem negaret, à Leone damnatam, & quidem præciſe ut hæreticam; XXIII. voluit dicere, nam XXIV. de Conciliis agit, non de Romano Pontifice. Mendum fortæ ſit. Jam ad rem ipſam. Quæ

[a] De fide, Diſp. 5. Sect. 7. num. 11.

[b] Idem. Sect. 8. n. 4. [c] Bulla Leon. X. contra Luther. Tom. Concil. XIV. pag. 390.



Quæ Suarez hic ut certa supponit, falsa omnia. Falsum autem more Scholæ, nulla contumelia, & cum honore viri dictum volo. Falsum ergo talem fuisse Lutheri propositionem; falsum eam ut Hæreticam esse damnatam: & quidem de hoc nulla dubitatio, cum ex Lutheri allatis articulis, ne unum quidem verbum Leo absolute condemnaverit, sed respectivè tantum. *Hos, inquit, articulos respectivè Hæreticos aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos &c.* quod bis terque inculcat, ne dubites.

Sed & Lutheri propositio immane quantum à nostris abhorreat. Sic Lutherus: „ Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic „ vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc „ non est peccatum, aut hæresis, con- „ trarium sentire; præsertim in re „ non necessaria ad salutem, donec „ fuerit per Concilium universale alterum „ approbatum, alterum reprobatur. (a)

Qua quidem in propositione impudens Hæresiarca multa peccabat, illud verò maximè, quod universim Sedis Apostolicæ, etiam rectè judicantis Decreta de fide, usque ad Concilii generalis sententiam suspendebat. Id enim multis modis falsum Hæreticumque est, [b] & à nostra Facul-

(a) Ibid. pag. 393.

[b] *Falsum hæreticumque est.* ) Quamquam Lutheri propositio xxij. fortè benignà interpretatione molliori posset, nos tamen assentimur D. Bossuet, & hanc propositionem, in Lutheri quidem scriptis, falsam omnino esse credimus & hæreticam. Ille enim tum cum appellabat, nolebat Concilii judicio stare. Frustra igitur, ut optime annotat Leo X. Lutherus Concilii auxilium implorabat, qui illi se non credere palam profiteretur. Et quidem sic ipse loquitur Lutherus propositione xxiv. *Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & libenter constituendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatur à quocumque Concilio.* Ergo Lutheri appellatio mera lustrificatio erat, quæ tereret interea tempus. At verò Ecclesia Gallicana, ut sæpe observavit D. Bossuet, credit quidem appellari posse ab iis Pontificiis

tate, & ab omnibus Catholicis sæpè damnatum. Nam quædam tam clara sunt, ut statim indicasse sufficiat, qualia erant illa Lutheri immania, quibus ipsum Missæ Sacrificium, adorandum Corpus Domini Jesu Christi, à tot sæculis frequentatum impiè conculcabat, aliaque ejusmodi ab universali Ecclesia recepta palam aspernabatur; quæ quidem violasse vel ante Pontificium Decretum, si tam impium est; Romano quoque Pontifice ab excelsa Petri Sede reclamante, quàm nefarium? Tum illud certum est apud Catholicos omnes, nostrique assidue inculcant, non tantum Concilium, sed Catholicam Ecclesiam absolute infallibilem esse, etiam absque Concilio. Sic enim Gerson & nostri: *infallibilem esse Ecclesiam, & Concilium generale illam representans.* Si enim Concilio tanta vis, quod eam repræsentet, ipsam, ipsam inquam, quanta veritatis certitudine ac luce præditam esse oportet! Quæ Clerus Gallicanus secutus, Pontificis Decretum, non præcisè Concilio, sed *Ecclesiæ consensu accedente, irreformabile* recognoscit. (c) Hæc quia Lutherus intelligere volebat, suoque more omnia etiam optima pervertebat, ac, tota Ecclesia ejus hæreses detestante, sub Synodi nomine, non lucem, sed moras tempusque fallendi quærebat, omni profectò anathemate dignus erat.

Jam æquus Lector judicet, an hæc Lutheri impia & nefanda, cum piorum Parisiensium doctrina confundi à Suarez debuerint. Sed profectò si id quod vult factum est, si doctrina Pontificiæ infallibilitati contraria, in Luthero jam à Leone damnata est, Suarez causa cadit. Rogo enim an Leonis X. censuram pro ultimo

decretis, ad quæ consensus Ecclesiæ nondum accesserit, ita tamen ut appellantes se toti permittant judicio Synodi Œcumenicæ, cujus auctoritatem supremam & infallibilem, quam negabat Lutherus, Universitas Parisiensis & Clerus Gallicanus semper venerati sunt.

[c] Declar. Cler. Gal. cap. IV.



timo iudicio habeat, an non? Si pro ultimo iudicio non habet; ergo causa cadit, qui sententiam à Romano Pontifice de fide latam valere non putat. Si autem valuit, exinde jam certe, & à Leonis Decreto cœperit *hoc tempus*, quo omnes jam sentite fecum Suarez affirmat. Quid ergo Adriani VI. ejus successoris Libri Romæ reciduntur, ac pars Lutherani dogmatis, sub Romani Pontificis nomine excitatur? An fortè post Adrianum eam rem repente determinavit Ecclesia? An in Concilio Tridentino? An in Professione Pii IV. post Tridentinum Concilium? Imò dedita opera à censura temperatum, resque in integro relictas luce clarius vidimus. Quin igitur Suarez cogitabat, si vel maxime Parisienses in Luthero Leo damnare voluisset, quàm id parum valeret, quod à Tridentina Synodo, & à Pio IV. in ipsa fidei professione fuerit prætermisum. An aliqua postea Decreta extiterunt? Nulla. Quid igitur? Sine Ecclesiæ nova definitione, nova lux affulsit omnibus, qui *hoc tempore* tecum sentiant? Id quidem gratis dicitur. Reponent alii contentione, metu, assentatione factum ut ita consentirent; & religiosos plurimos, eorumque nunc antesignanos tot privilegiis auctos, hanc vicem rependisse. Alii respondebunt illos sensu populari ductos esse, quo & rebus Sanctis quoquo modo favere, & hæreticis quàm vehementissimè repugnare pium putant. Quid nostra? Id liquet nihil esse certæ causæ, Theologicæ quidem, cur à priore sæculo discrepemus.

## CAPUT X I.

*Andreas DUVALLIUS Parisiensium de superioritate Conciliorum sententiam, & Parisiensis Facultatis esse agnoscit, & ab omni hæresis, erroris, atque etiam temeritatis nota absolvit. Pontificiam infalibilitatem non esse de fide, non modò asserit, sed etiam optimis argumentis probat.*

**A** Ndræam Duvallium, doctum virum, à Parisiensium sententia deflexisse, con-

trariamque sententiam studiosissimè in Scholam induxisse nemo nescit. At ille Edmundi Richerii vehementissimus infector(a) in his duabus quæstionibus ab omni censura utramque partem absolvit. Posteaquam editus est ejusdem Richerii Libellus de Ecclesiastica & politica potestate, statim Duvallii responsio prodiit sub hoc titulo: *Libelli de Ecclesiastica & politica potestate Elenchus, pro suprema Rom. Pontificis in Ecclesiam auctoritate: auctore Andræa Duvallio 1612. cum approbatione Doctorum.* Quo in Libro hæc leguntur. (b) *Ex quo satis cuivis constare potest, eum [Edmundum scilicet Richerium] nondum abjecisse erroneam illam opinionem.*

quam  
[a] *Edmundi Richerii vehementissimus infector* ] & antiquæ Sorbonæ hostis infestissimus Duvallius, totus in eo est ut fraudibus ac fallaciis Richerium & Vigorium adoriatur. Sed tam temerarius quàm acerbus accusator, tot probra jactat, tot miscet falsa veris, tot dicit denique quæ verisimilia non sint, ut sibi ipse detrahat fidem. Solet plerumque adversariorum intimas cogitationes rimari, argumenta diducere, consilia & agendi causas aperire, eò ut illos apud plebem faciat reos saltem fingendo, cum id non possit probando. Exemplo fit locus ille quem hic allegat D. BOSSUET. Claudius BERTIN, cum an 1611. disputaret in hanc conclusionem Fratrum Prædicatorum: *in nullo casu Concilium est supra Papam*, adfuit illi Edmundus Richerius gravis adspulator; unde concludit Duvallius Richerium tunc statuisse pro fidei certo dogmate, in nullo casu Papam esse supra Concilium. Sed hoc non dicebat Claudius BERTIN, neque hoc dixit unquam Richerius. Hanc enim propositionem nimis vagam: *De fide est in nullo casu Papam esse supra Concilium*, sic circumscribebat Richerius, ut assereret tantum id quod semper docuit Facultas Parisiensis; nempe de fide esse Papam Concilio subijci in iis saltem casibus à Constantiensi Œcumenicâ Synodo definitis; proindeque hæreticam esse thesim Dominicanorum, quæ definitionem Concilii Constantiensis, quam etiam tum allegabat Claudius BERTIN, apertissimè convelleret. Richerium igitur Duvallius accusat fallaciter, qui de ejus propositione hanc partem detrahit quâ proba est & certa, eamque mutilam objicit, ut omnibus temeraria & censuræ digna videri possit.

[b] Dual. Elench. Pag. 9.



quam in Schola Dominicanorum Parisiensem, coram illustrissimo Cardinali Perrenio, nuper impudentissime professus est. DE FIDE EST CONCILIUM ESSE SUPRA PAPAM. Cujus falsitas à magno illo Cardinali validis rationibus, in amplissimis illis comitiis demonstrata est. Etsi enim Parisiensis Academia stet à partibus Conciliorum generalium, non tamen propterea unitatem cum cæteris Academiis discindit, neque earum Doctores pro devio à fide habet, aut unquam habuit. [a] Postea: Etsi Academia Parisiensis infallibilitatem in decernendo ad Concilium Generale solum referat, ab eo tamen nunquam abesse debet Pontifex. (b) Denique: Etsi Parisienses ad Concilium Generale ultimam fidei analysim referant, non tamen propterea potestatem de fide decernendi Pontifici unquam ademerunt, & meritò.

Vides primum de sententia Academicæ nostræ, nondum à quoquam fuisse dubitatum, quemadmodum postea, gliscente, ut fit, audacia, factum est. Vides secundò quid erroneum Duvallius in Richerio reputaret, non cerè doctrinam ejus, sed quod eam esse de fide contenderet. Summum id erat quod tunc à nostra Facultate peteretur. Idem Andræas Duvallius edidit postea tractatum de Suprema Rom. Pontificum potestate, adversus Vigorium Jurisconsultum. Quo tractatu (c), quæstione utrum de fide sit Concilium esse supra Papam, & utrum Concilium Oecumenicum sit supra Pontificem, vel è contra; aperte docet neutram harum opinionum esse de fide. Tum: Neutra, inquit, harum opinionum hæretica est, neutra erronea & temeraria, saltem temeritate opinionis. Denique: Sententia pugnantium pro Conciliis non est hæretica & erronea, & in ratione opinionis temeraria. Illud in ratione opinionis Duvallius addidit, ut à temeritate opinionem ipsam, non autem opinantes,

quos ipse impugnabat, absolvere videretur. Sed quidquid sit de Duvallio, ejusque adversariis, ipsam opinionem ab eo etiam à temeritate prorsus absolutam esse, satis superque est.

De infallibilitate sic habet (d): Statuenda nobis est hæc conclusio .... etiamsi de fide non videatur, saltem non ita evidenter constet Summum Pontificem, seorsum à Concilio, privilegio infallibilitatis, licet agat ut Pontifex, gaudere, id tamen absolute certum est & indubitatum. Ejus quidem sententia, cujus quisque eam quam voluerit habeat rationem, non ipsa Ecclesiæ fide.

Neque tantum dixit non esse de fide. Verum etiam probat; primum, quia nullibi id tanquam de fide expresse definitum extat. Secundò, quod Doctores contrariæ sententiæ Alliacenensis, Gerson, Almainus, Major, Cusanus, Adrianus VI. & alii, neque in hac parte, neque in ulla alia ab Ecclesia sunt condemnati; & postea: Nisquam in Ecclesia illius hæresis suspectos, convictos, aut accusatos fuisse legimus. Tertio solvit Scripturarum & Canonum textus, quibus id maximè docetur esse de fide, maximè verò illud Matth. XVI. Tu es Petrus, & Luc. XXII. Ego rogavi. Et illud Joan. XXI. Pasce oves meas: ex quibus, inquit, sequitur non ita constare de fide esse, Summum Pontificem, etiamsi agat ut Pontifex, privilegio infallibilitatis gaudere. Quare Lovanienses hodiernos (e) qui Duvallium toties nobis obijciunt, ejus modestiam neminem condemnantis imitari par esset.

## CAPUT

[a] Idem Dual. pag. 68. [b] Idem pag. 105.

[c] Idem. de Sup. & c. parte 4. quæst. 7. 8. pag. 438. 542. 550. 581.

[d] Idem ib. par. 2. quæst. 1. pag. 210.

[e] Disq. art. X. n. 143 part. 1. refut. arg. art. XIV. n. 139. & passim & in Doct. Lov.



## CAPUT XII.

*Dominicus à Sancta Trinitate Carmelita discalceatus, Libro Romæ recens excuso, docet Pontificiam infallibilitatem aut superioritatem nullo Ecclesiæ Decreto clarè definitam: Quid illud sit, cum privari Doctores aliquid de fide esset dicunt, quoad se, non quoad nos?*

**I**D etiam perpendi velim quod hoc ferè tempore Romæ excusum est. Extat enim Liber inscriptus: *Bibliotheca Theologica Auctore Fratre Dominico à Sancta Trinitate Carmelita discalceato Provinciae Parisiensis*. Is de infallibilitate postquam eam & certam esse, & ad fidem etiam pertinere, sua quidem sententia, multis egit, hæc addit: (a) *Nota me dixisse hanc nostram sententiam esse de fide quoad se; si enim sermo sit de illa quoad nos, id non asum affirmare, cum nullibi expressè aut clarè definita, omnibusque fidelibus ad credendum proposita reperiatur: unde ab hæresi formali excusari possunt ac debent omnes Doctores Catholici qui contrarium docent*. Hic quædam observari velim, quæ aliis quoque auctoribus exponendis conducere videantur.

Primò, ab hoc auctore apertè dici, nihil ea de re clarè aut expressè definitum.

Secundò, inde colligi Florentina Decreta, atque etiam antiquiora Lugdunensia, quæ in eam rem ab adversariis adducuntur, non haberi clara & expressa.

Tertiò, quòd ille auctor rem illam in se putet ad fidem pertinere, hoc est revera à Deo esse revelatam, etiam si Ecclesia nondum ut talem agnoverit: Hanc quidem ipsius esse sententiam, quam sequi vel non sequi sit liberum; quemadmodum est liberum *Physicam prædeterminationem*, alias-

que huic cognatas sententias, aut eis contrarias, de gratia opiniones tueri; tametsi sibi mutuo alii apertum Lutheranismum, alii merum putumque Semi -- Pelagianismum objiciant.

Quartò, his constat immeritò vociferari Lovanienses quosdam de summa fidei rei que Christianæ agi, cum de libera saltem; nec in fidei Canonem vendicata doctrina agatur; eaque res à multis jam sæculis, inter Catholicos innoxie pertractata ac disputata fuerit.

Quintò, neque fieri potest, si tanta res sit quantum volunt, ex qua salus Ecclesiæ pendeat, ita dissimulanter ab Ecclesia actum esse, ut de ea disputari in utramque partem tot sæculis permitteret; imò verò expressè ac deliberatè à censura temperaret, uti in his quæstionibus à Florentina, Lateranensi, Tridentinaque Synodis, Pii que IV. professione factum esse constat.

Sextò, nihil enim mirum de rebus, quamvis maximis, nullam interponi expressam Ecclesiæ definitionem, antequam in controversiam adducantur; cum Ecclesia non soleat ultrò movere quæstiones, verumque sit illud quod ait Pacianus, *nostri nihil ultrò disputavere Majores* (b): Sed mota quæstione tam multis sæculis, si res quidem ad fidem revera pertinet, tantique est momenti quanti esse volunt, tum verò tacuisse ac dissimulasse, aut nihil expressum clarumque dixisse, neque etiam dicere voluisse, nihil esset aliud quam veritatem prodidisse, atque omnino rediret illud: *Error* (apertè defensus) *cui non resistitur, approbatur; & veritas quæ non defensatur, opprimitur* (c).

Hæc Censores nostros & omnes viros bonos considerare volumus, atque ad exponendam Carmelitæ nostri; de Papæ superioritate sententiam pergimus. Hæc autem

(a) Dominic. a S. Trin. Bib. Theol. Tom. 3. lib. 3. Sect. IV. cap. 16. n. 54.

[b] Pacian. Barcil. Epist. epist. III. Tom. IV. Bib. Patr. pag. 309. [c] Felix III. Epist. ad Acac. C. P. Tom. IV. Con. pag. 1051.



tem sic se habet ( a ) : *Quamvis Andreas Duvallius , Tract. de Disciplina Ecclesiæ , existimet istam sententiam non esse de fide , non desunt tamen alii Doctores qui contrarium affirmant illamque fuisse definitam in Conciliis Constantiensi , & Florentino sub Eugenio IV. & Lateranensi sub Leone X. Verum quidquid sit an in præfatis Conciliis sufficiens quoad nos , vel adeò expressa de auctoritate , Papæ supra Concilium habeatur definitio , ut oppositum statim pro Hæretico teneri debeat , de quo disputant aliqui Doctores ; duo in hac re certa esse puto . Primò quòd Concilio Generali Summus Pontifex absolutè sua auctoritate præcellat . , Secundò ; quòd hæc sententia , si sermo sit de definitione Ecclesiæ , videatur magis ab ea definita in præfatis Conciliis , quàm opposita . Quæ quam incerta & vana sint omnes intelligunt . Certè in iis ab omni censura temperandum , ac veritatem pacificè ut inter Catholicos , inquirendam , luce est clarius .*

Quod autem cum Florentina ac Lateranensi Synodis Constantiensem quoque pro Papæ superioritate , hic auctor multos alios secutus adducat , satis ostendit quam hæc omnia oscitanter legant .

### CAPUT XIII.

*Recentiorum Lovaniensium , aliorumque sententia ipsò progressu immodestior , & apertè nimia .*

**D**E antiquioribus Lovaniensibus , totaque adeò Lovaniensi facultate diximus , eosque nobiscum summâ ipsâ convenire ostendimus . Posteriores Lovanienses ab Anonymo relati , etiam si diversa à Parisiensibus senserint , an propterea in fidem peccasse eos , & omnia evertisse crediderint ; inquirendum restat .

( a ) Dominic. &c. loc.cit. Sect. V. cap. 11.

Atque Anonymus quidem ex Ruardo Tappero ( b ) multa profert . Ego ab eo auctore , ut Pontificiam infallibilitatem esse defensam fateor , ita contrariam sententiam , ulla censura notatam esse nego . ( c ) Ait enim , *an Romanus Pontifex falli possit in sua sententia , quando cognoscit circa fidem & mores ... ab annis 150. cœptum est controversi & disputari . A tempore enim Constantiensis Concilii & Basileensis Doctores quidam apud solum Concilium Oecumenicum docent esse infallibilis sententiæ privilegium : veteres verò Scriptores Petro ac Romano Pontifici ... hoc privilegium ... tradunt ... ut verisimilius sit eorum iudicio quod nec Concilio generali id conveniat , nisi nomine Petri , ejusque Cathedræ auctoritate & quasi commissione .* Nova certè illa est ac SS. PP. inaudita commissio . sed si Tapperi doctrinam laudare non possumus , certè laudamus modestiam ; audis enim , quam timidè dixerit , *verisimilius* ; at nunc nisi dicamus solam Papæ sententiam omnibus prævalere Conciliis , ab eoq. e habere Concilia ut recta decident , perdita omnia conclamant . Tantum ab eo absunt ut eorum quos laudant , modestiam affectentur .

Cæteros Lovanienses qui PP. nostrorum ætate vixerunt à censura ferè temperasse comperio . Refertur ab Anonymo Joannes Viggers , postremis temporibus pro Pontificia infallibilitate pugnans , atque hic : *Tenetur , inquit , communiter à Catholicis , ita ut opposita sententia habeatur improbabilis .* Mentem ejus audio : censuram non audio . *Improbabilis* , in Schola vox innocua , quæ utrinque jactatur . *Communiter* , quid importet , infra explicabimus ; certè à censura procul abest . Alibi idem Viggers . [ d ] ait ; *Pontificem*

( b ) Tappero ) ( Ruardo ) doctrinæ laus tribuitur . Hunc Carolus V. Imperator Legatum misit ad Concilium Tridentinum .

( c ) Tapp. orat. Theol. iij. Doct. Lov. art. j. pag. 6. 7. ( d ) Viggers de Rom. Pont. dub. 5. n. 177. Doct. Lov. pag. 39.



ficem, ut Pontificem, errasse unquam manifestè falsum; & oppositum, ita certum, ut ab aliquibus habeatur de fide. Audi ab aliquibus. Hæc Anonymus doctrinæ Lovanienſium auctor ex Joanne Viggers protulit, subditque: *siquidem de fide est nullum omnino Pontificem, ut talem, errasse definiendo aliquid contra fidem*. At testis quem adduxeras tantum ab aliquibus haberi de fide dixerat, tu autem absolutè de fide esse decernis. Sic ubi non ratione, sed impetu agitur, sine more modòque verba exasperantur, exacuuntur iræ. Quod heri improbable tantum, hodie exitiosum schismaticumque habetur; quod heri ab aliquibus timidè, id omnino Ecclesiæ limine arcendum hodie proponitur.

Quid verò Stapletonus [a] de eadem quæstione relatus in doctrina Lovanienſium? *Vera, inquit, sententia est Romanum Pontificem de fide decernentem, Hæreticum dogma non posse tradere. Hæc veritas est nunc apud Catholicos certa & recepta*: [b] *Audis nunc. Sic modò à Suarez audivimus; omnes hoc tempore; nos autem ibi diximus, quam illud, hoc tempore, infringat illud, omnes addidimusque; quam sit debile, cum rem 200. annis saltem liberam ac dubiam, nullo interposito Ecclesiæ Decreto, repentè Theologi de fide facere volunt: quasi in eorum manù, atque sententia fides Ecclesiæ verteretur. Nunc ad Lovanienſes redeamus*.

De superioritate gravius quam de infallibilitate statuunt. Joannes enim Viggers: *Quod Papa sit Concilio superior, conclusio certò tenenda, utpote fidei proxima, & quæ ab omnibus penè communiter teneatur*. (c)

(a) Stapletonus ) (Thomas) Anglus, Doct. Duacensis, multis editis libris de rebus controversis notus, paulò notior factus est, eo quod pertinaciter intercessit illi censuræ gravi & accuratæ, quâ Facultas Duacensis Lessii doctrinam condemnavit.

(b) Stapl. relec. Schol. cont. 3. q. 4. art. unic. Doct. Lovan. pag. 29. [c] Vig. de Conc. dub. 3, n. 75. Doct. Lov. p. 29.

Quid sit illud fidei proximum, decretum scilicet ad arbitrium; nota ad libitum, ac nulla certa ratione prolata jam diximus. Quod autem hic addit *ab omnibus penè communiter*, dubii, vacillantis, neque quid dicat certò statuentis oratio est.

Gravius Stapletonus: *Dicere quòd generale Concilium sit supra Papam, opinio planè est erronea, qualem Hæretici sustinerent*. (d) At is, Bellarmino ipso asperior, nimia ac præpoſtera asseveratione sibi fidem detrahit. Quod enim Bellarminus ferè de fide, is ita de fide censet, ut contrarium sit erroneum: & addit immodicè sæviens, *quale Hæretici sustinerent*: tot Sanctis doctisque viris non modò insuper habitis, sed etiam cum Hæreticorum sæce permixtis. Et Bellarminus quidem de superioritate Papæ levius, gravius de infallibilitate decernit: illi enim superioritas est ferè de fide: de infallibilitate opinio negans, videtur erronea & hæresi proxima. Contrà Lovanienſes isti de superioritate asperius, de infallibilitate levius, statuerunt; Adriani credo sui memores, cujus contra infallibilitatem expressa sententia, vel erat notior, vel auctoritate gravior habebatur. Utcumque est, varios illos animorum motus, nulla exacta certa-que ratione firmatos, procul à fidei rectitudine amoliri nos oportet.

Quare nec moveri debeat qui viderit Scholasticos posterioris ævi, ex quo maxime cum Lutheranis decertari cœptum est, dum ab iis quàm maxime dissentire, & Pontificiam majestatem tantis eorum conviciis oppugnatam, quàm maxime amplificare atque exaggerare pium putant; alia aliis quasi certatim addidisse. Passim enim eos vides Catholicis nostræ sententiæ defensoribus imputare, quòd non satis à Luthero aliisque pestibus abhorreant. Ita dum

[d] Stapl. contr. VI. q. 3. Doct. Lov. art. 2. pag. 62.



dum metuunt, ne non satis credantur abhorre à Luthero, aut ejus asseclis, id agunt ut non modò Lutherum, sed etiam alii alios supergressi esse videantur. Quare cum quis dixerit, *ferè de fide*; alius omnino *esse de fide* addet: cum quis, *aliquibus de fide*; superveniat qui *absolutè de fide* esse decernat. *Videtur erroneum*, ait ille; existent qui *erroneum planè* statim pronuntient. Ita antiquiores modestiores fuere; verum crescente, ut fit, motu, recentiores. Christianus Lupus Lovaniensis [a], quem alioquin honoris causa nominatum volo, Anonymus, Nicolaus Dubois, aliique aded exarserunt, ut sibi quoque fidem demant. Dominus verò Strigoniensis suum illud, *detestabile & schismaticum*, totis intentat viribus. Quin etiam ex Italia extitit Nicolaus Cevoli Comes Patricius Romanus, qui asserat: (b) *propositiones Cleri Gallicani ad unam*

[a] Christianus Lupus ] seu Wolf, Yprensis Ordinis Eremitarum S. Augustini, vir plurimæ doctrinæ & exquisiti judicii, in hoc uno reprehendendus esse videtur, quod cum sit in opiniones Ultramontanas propensior, quæstiones quæ vulgò ab Ultramontanis defenduntur, non eo animo sedato lenique tractat, quo cæteras solet.

(b) Nicolaus Cevoli ] suo libro titulum hunc magnificum juxta & ridiculum fecit: *Antigraphum ad Clerici Gallicani de Ecclesiastica potestate Declarationem, optimo, maximo, summoque Pontifici, Christi Vicario Innocentio XI. Urbis & Orbis Domino, cælorum, terrarum, inferorumque janitori unico, fideique oraculo infalibili, humiliter dicat, consecrat, præsentat* Nicolaus Cevoli ex Marchionibus de Carretto, &c. Placet hic exscribere viri sagacissimi D. ARNAULD de illo libro judicium. J'ai lu l'ANTI-GRAPHUM, inquit. VICIT PRÆSENTIA FAMAM; c'est-à-dire que je l'ai trouvé bien plus sot & plus impertinent que l'on ne me l'avoit dit. Ce sont de continuel solécismes & barbarismes. CLERICI GALRICANI n'est pas une faute d'impression, comme on le pourroit croire: il est par tout de même. Il n'a pas cru qu'il y eût d'autre mot Latin pour signifier le Clergé de France que CLERICUS GALLICANUS.... en vérité, le meilleur conseil qu'on pourroit donner

unam omnes ex institutionibus Calvinii esse desumptas, ac planè hæreticales; Episcopos, qui ipsas firmaverunt, uti Hæreticos & Schismaticos, non solum esse extra Ecclesiam, sed etiam ipso facto caruisse jurisdictione Episcopali, & ab omni communione evitandos esse; imò & comburendos; (c) cujus quidem viri intemperias ne memoratu quidem dignas esse censerem, nisi ipse, cum argumentis nihil probet, certè argumento esset, supra omnem modum, moremque inflari & exaggerari omnia, ubi falsa pietas zelusque præpostrus imperitos animos occuparunt.

#### CAPUT XIV.

Quanta sit Scholasticorum auctoritas, ex Melchiorre Cano constituitur, atque hinc efficitur ab omni nos erroris nota esse liberos.

Quæret aliquis, an recentiores, qui hoc sæculo scripserint, contemnamus, cum ab eorum auctoritate discidimus. Equidem contemno neminem, & à Propheta admonitus, ita veritatem quæro, ut pacem colere cum omnibus velim. Cæterum id aperit incunctanterque profiteor, fore ut in gravissimos errores impingat, qui non omnia sæcula totamque traditionis seriem mente complexus, recentioribus se

aux Romains seroit de mettre ce livre dans l'index, en l'appellant au moins LIBER INSULSUS; car il ne leur peut faire que de la honte; & le Gazetier d'Hollande s'en est déjà raillé par une sanglante ironie, en disant qu'il est si bien fait & si plein de bonnes raisons, qu'il persuadera tout le monde.... L'Auteur se vante d'avoir réponse de Rome, touchant l'estime que l'on y fait de son Livre, & il dit qu'il s'en va l'augmenter de la moitié; c'est qu'il le va encore faire plus impertinent. Si on ne le connoissoit point, & qu'il n'y eût pas mis son nom, on auroit lieu de soupçonner que ce ne fut un Huguenot malicieux qui l'auroit fait pour se moquer de la Cour de Rome. ARNAULD Lett. cxxiv. Tom III. pag. 375. 377. [c] Cevoli An.ig. &c. p. 184. & seqq.



se addixerit : sed hæc alias . Nunc , ne quid arroganter dicere videar , *Melchior Canus* (a) , Scholasticis certè haud iniquus , prodeat in medium , qui de Scholasticorum auctoritate decernat .

Sunt autem ab eo constituta quædam quæ gradatim , Geometrico ferè more , à nobis explicari debent , non quidem eo ordine quo sunt ab ipso tradita , cum ille hæc toto opere , prout instituti sui ratio postulabat , hæc & illac fuderit ; nos autem aliò spectare oporteat . Jam ergo ante omnia ponatur divisio , quæ statum quæstionis aperiat , nempe hæc : aliud esse Scholæ opinionem communem , aliud Scholæ placitum , Decretum , five , ut alibi vocat , Dogma firmumque judicium : quæ divisio apud Melchiorem Canum ubique diffusa invenitur , maximè verò Lib. VIII. quo reprehendit quosdam qui errent (b) *in eo , quod Scholæ opiniones à certis constantibusque Decretis non separant* . Hoc autem etiam ad communes Scholæ opiniones pertinere sequentia docent : (c) *Non disputo nunc , Scholæ communis opinio verane an falsa sit ; sed id ago .... Scholasticas opiniones oportere à Decretis sejungere* .

Divisionem sequuntur definitiones duæ . Opinio versatur in his quæ non pertinent ad fidem : Decreta vero in his quæ ad fidem pertinent . Hæc perspicua ex sese , ex iis quæ sequuntur patebunt clariora . His ergo positis propositiones explicandæ .

PRIMA : nihil necesse esse sequi plurimorum opinionem , neque etiam communem , neque etiam omnium : quæ propositio tres habet partes .

Quoad plurimos attinet : *in Scholastica* , inquit , [ d ] *disputatione , plurimum au-*

[ a ] *Melchior Canus* ] Ordinis Prædicatorum , ac deinde Cunaræ insulæ Episcopus , Scholasticorum elegantior scriptis tractatum *de locis Theologicis* , qui ex omni parte absolutus videri posset , nisi auctor sæpius à proposito digrediretur , & nisi toties se jactaret de sua eloquentia , eo fere modo quo Tullius passim iterat hæc verba : *Me consule* .

[ b ] *Melchior Canus* L. 8. c. 5. [ c ] *Ibid.* [ d ] *Ibid.* c. IV.

*Floritas Theologum obruere non debet , sed si paucos viros , modò graves , secum habeat , poterit sanè adversus plurimos stare : non enim numero hæc judicantur , sed pondere* .

De communi opinione non Scholasticorum tantum , sed etiam Patrum , ita decernit : *Si non quævis illorum ( Patrum scilicet ) etiam in re gravi , communis opinio fideles astringit , sed firmum constansque judicium ; ecquid de recentioribus Scholæ Theologis dicere nos oportet , quos veteres illi longè , & vitæ merito , & Scripturarum usu , & auctoritatis pondere superarunt ? ( e )*

Quare eodem loco quæstionem illam tractans : *an Matrimonium sine Ecclesiæ Ministro contractum , sit verè & propriè Sacramentum* , cum ille pro Ministro pugnet , ac Sacramentum esse neget , sibi quidem objicit , Doctorum multitudinem ab ipso sententia abhorrentem ; tum hac responsione se tuetur : *Ostendam ergo primum opinionem illam communem esse , non Scholæ Dogma firmumque judicium* . Ac paulò post : *Si Thomistæ omnes cum Scothistis existant , si cum antiquis juniores velint contra me pugnare , tamen superior sim necesse est . Non enim , quemadmodum nonnulli putant , omnia sunt in Theologorum auctoritate : est quædam tamen ita perspicua veritas , ut eam infirmare nulla res possit* .

Idem tamen in re gravi temerarium esse docet ab omnium omnino consensione recedere . Sic enim loquitur : ( f ) *Ex auctorum omnium Scholasticorum communi sententia in re quidem gravi , usque adeò Probabilia sumuntur argumenta , UT ILLIS REFRAGARI TEMERARIUM SIT* . Vide quid efficiat , ubi de opinione agitur . Concors sententia Theologorum omnium efficit scilicet probabile argumentum tantum , quod contemnere sine temeritate non possis : sed ita , si sit omnium in re quidem gravi , concors sententia .

Hæc

[ e ] *Ibid.* c. V. [ f ] *Lib.* 8. Cap. IV.



Hæc ille de opinione : sed quâ nota internosci possit , ab opinione decretum sic exequitur .

SECUNDA *Propositio* [a] Cum ex definitione decretum versetur in his quæ pertinent ad fidem, opinionis nota est, ubi non adscribitur illud, *Hæreticum, erroneum, aut id firmiter Catholicis amplectendum, aut aliquid simile* ; sed id quoque oportet ex certo iudicio , non ex opinione dicatur . Nam

TERTIA *Propositio* est : an aliquid sit de fide , ad quæstionem & opinionem pertinere potest . Unde emergit .

QUARTA *Propositio* : Certa nota est aliquid tradi, ut quod sit verè de fide, neque in quæstione & opinione versetur : *Si expressè & propriè à fidelibus firmiter credendum, aut tanquam Dogma fidei Catholicæ accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis, aliquid esse Evangelio doctrinæ Apostolorum contrarium. Dicatur: dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo & firmo decreto. Ergo & illud de fide est, hæreticum est, erroneum est, ex opinione dici potest; neque tum quæstio statim transfertur ad Scholæ decretum, sed intra opinionis lineam continetur. Exemplum affert: Licet enim Durandi (b) opinio reprobetur, cap. gaudemus, de devotiis: sed qui dixit: verum absonum hoc videtur & inimicum fidei Christianæ ( quæ verba sunt Decretalis ) is noluit hæreseos illum condemnare; verbum enim videtur, iudiciorum infirmat certitudinem . (c)*

[a] Lib. 8. Cap. V.

(b) *Durandi* . Is est Episcopus ille Matensis Canonistarum XIII. sæculi facile princeps, qui *Speculator* dictus est, edito nempe libro, cui titulum fecerat: *Speculum juris* . De illo egregio Canonista jam alibi diximus . Sed hic observandum est Durandi nomen, in allegatâ decretali nusquam reperiri, & hanc esse damnatum propositionem : *Quia Pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, aut quam ex omnibus volunt retinere valeant, non immeritò dubitatur* .

(c) *Ibid.* Vid. Decr. Gregorii IX. lib. 4. Tit. 9. cap. VIII.

Quod hic de Conciliorum Summique Pontificis sententia dixit, alibi ad privatos Doctores meritò confert; ac jam audivimus ita de Beato Thoma differentem : *Cum dixerit, videri hoc ipsum sensisse, quod dixerit videri modò, non etiam oportere . (d)*

Quare quos audivimus dicentes: *existimo, censeo, videtur esse de fide vel, mihi, vel aliquibus est de fide*, quæ in hac quæstione etiam posterioris ævi Doctorum pars longè est maxima, eos, auctore Cano, ex opinione, non ex certo firmoque iudicio dixisse scito, & cum res opinionis sit, valere nimirum ea, quæ de opinione diximus .

Non tamen sufficit, ut aliqui, vel multi, vel unius ætatis etiam plures, maiore fortè confidencia, quam doctrina absolute certoque dicant: *de fide est, erroneum est, hæreticum est*; sed

QUINTA & ultima *Propositio*, quam ex Cano depromimus, hæc est : *Concordem omnium Theologorum Scholæ, de fide aut moribus sententiam contemnere, si hæresis non est, at hæresi proximum est* . Et alibi apud eundem: *Si Scholastici Theologi aliquam itidem conclusionem firmam & stabilem uno ore omnes statuerint, atque ut certum Theologiæ decretum fidelibus amplectendum constanter & perpetuò docuerint, illam ut Catholicam veritatem fideles sane amplectemur . (e)*

Vides quæ certa fixaque & inviolata Theologiæ Decreta sint, in ea consentire debere firmam stabilemque ac perpetuam Scholasticorum omnium, non ex opinione, sed ex certo firmoque iudicio profectam sententiam . Qua ex re confirmatur id quod sæpe diximus : qui ita concludunt, *nunc, vel hoc tempore omnes Scholastici ita sentiunt*; ab his suam quoque enervari statim, infirmarique conclusionem : ut exinde constet id, quod statuunt, ad hæresim

[d] Can. lib. 8. Cap. V. (e) Can. lib. XII. cap. 6.



resim , aut errorem in fide minimè pertinere posse : cum vel hinc , ipsis quoque testibus , traditione n certam ab eorum sententia abesse constet . *Fides enim non est temporum* , ut aiebat ille præclare , *sed Evangeliorum* .

Quæ quidem à me dicta sunt , ut sæpe monui , eo rerum statu , quo nullum novum interpositum est Ecclesiæ Decretum , ad antiquam traditionem clariùs & expressius declarandam . Qui enim in quæstionibus , quales nostræ sunt , quæ à trecentis ferè annis inter Catholicos agitentur , nulla ejusmodi auctoritate ducti , ad novas censuras repente profiliunt , eorum profecto numero sunt , quos dicebat Canus , *de rebus gravissimis temeritate quadam , repentino quasi vento incitatos , ferre sententiam* : (a) qui quidem quò vehementius alios condemnarint , eò profecto luculentius , non in illis hæresim vel errorem , sed in seipsis temeritatem , inscientiamque produnt .

Quare his positis omni ratione pervicimus , nos ab omni ejusmodi censura planè absolutos esse . Quadruplici enim veluti gradu tuti invictique constitimus . Primus est : tantum abest ut mota quæstione concors fuerit adversum nos ac perpetua & stabilis Scholasticorum omnium sententia , ut attenta quidem universa temporum serie , non tantum auctorum gravitate , verum etiam numero , superiores simus : neque tantum privatos Doctores innumerabiles , verum etiam Theologicas Facultates multas , easque celeberrimas , Decreto quoque facto , consentientes habeamus . Hoc primum . Alterum : tantum abest ut mota quæstione , Ecclesia congregata , ipsique Pontifices , judicium interposuerint suum , ut potius consultò à judicando saltem temperarint , resque integras reliquerint . Tertium : ex eo consequens est , ut si privati Doctores posterioris ævi , consultò tacente Ecclesia , censorias notas vel

maximè adhibuissent , non nisi temerariæ præcipientesque haberi possent . Postremum : nequidem id fecerunt , certo iudicio concordique sententia ; sed his planè verbis , quæ opinionem , non autem firmum Decretum indicent .

Jam verò cum certa pro nobis , atque omni auctoritate firmata , Synodi Constatientis Decreta proferemus , quinta quæstio erit : quo illi loco sint , qui tantæ auctoritati contradicant ? Sed eam quæstionem ad aliam hujus operis partem reservamus . Hic nos tutos esse probasse sufficiat .

Cæterum cum Melchioris Cani proferimus auctoritatem , non propterea omnia , quæ hæc tractando , magnificè de Scholasticis Doctoribus edixerit , à nobis comprobata esse volumus , quale est illud : ( b ) *Scholæ auctoritate res plurimas ab Ecclesia esse definitas* ; cum potius videatur dicere debuisse , perpetuæ traditionis auctoritate definitas fuisse : cujus traditionis Scholæ doctrina , pars aliqua , haud quidem contemnenda , fuerit . Neque magis probamus illud : *Omnes simul Scholæ Theologos , uti retulimus , errare non posse .... quod eorum error , error esset Ecclesiæ , utpote cum ad decernendum hujusmodi res , non alios Ecclesiæ quàm Theologorum oculos habeat , qui si fallerentur , totum Ecclesiæ corpus , in suo facerent errore versari* . [c] Quasi Episcopi , veri Ecclesiæ Doctores à Christo instituti , nihil ipsi per se sapiant & intelligant ; aut Scholastici tantum , non autem vel maximè , qui in publica Ecclesiæ Cathedra , verbum divinum Catechismusque tradant , audiendi sint : quæ & alia quo sensu probanda , vel intelligenda sint , in medio relinquimus . Id unum contendimus , ut illius quoque , qui Scholasticis plurimum tribuat , calculo , à quorundam Scholasticorum censuris tuti & illæsi simus .

CAPUT

[b] *Ibid.* (c) Can. I. r. c. 6.

[a] Canus I. 8. c. 5.



## CAPUT X V.

*Aliæ notæ: quæ ad fidem pertinent paucis diluuntur: sapiens hæresim, malè sonans, periculosum in fide quid sit: schismaticum à Domino Strigoniensi iniustum, sed ne huius quidem nominis significatione perspecta.*

**N**oster quidem GERSON, quo auctore à nostra Facultate multas easque accuratas, & ad regulam exactas censuras esse editas, omnes consentiunt, de censurarum notis, multis Libris agit. Sed in eo Libro maximè, cui est titulus, *Declaratio veritatum quæ credi debeant*. Quo loco post hæretici, erroneique notas, docet, propositionem quæ hæresim supiat definiri posse eam, *ex cuius concessione, coassumpto aliquo, quod non potest rationabiliter negari, sequitur hæresis*. Talis esse videretur hæc propositio: GREGORIUS Magnus non fuit Christi Vicarius. Assumpto enim eo, quod non fide quidem, sed aliunde certissimum est: Gregorius Magnus rite fuit electus in Papam; sequeretur eum qui canonicè in Romanum Pontificem sit electus, non esse Christi Vicarium; quod esset Hæreticum. Unde existit illud, *sapiens hæresim*, in ea propositione, Gregorius Magnus non fuit Christi Vicarius; quam definitionem à Gabriele Biel (a) (b) Gerson deprompsit integram. Totum verò illud, *sapiens hæ-*

[a] Gab. in 4. Di. 13. q. 2. Art. 3. Dub. 1.

(b) Biel) Canonicus regularis in libros Magistri sententiarum commentaria scripsit non aspernanda, & docuit in Universitate Tubingensi ab Eberardo Comite Wurtembergensi an. 1477. instituta. Diximus in nostris notis Gallicis hunc docuisse in Universitate Tugurensi, errorem nempe secuti D. DUPIN, quem hic emendatum volumus. In textu quoque D. BOSSUET levis error irrepsit, sive sit ille ipse D. BOSSUET, sive, quod nos credimus, amanuensis. Dicitur enim hanc definitionem à Gabriele Biel Gersonem deprompsisse; cum potius fuisset dicendum eam Gabrielem Biel à Gerson deprompsisse. Nam vix natus erat Biel, quando Gerson diem supremum obiit, an. 1429. Vid. Dup. xv. sæc.

*sim*, à nostra sententia excluditur, cum illud *coassumptum*, quod licet non fide certum, alioqui evidens per se sit, nequidem fingendo excogitare quis valeat.

*Malè sonans* in fide, quantum capio, haud facile secernas, ab eo quod *sapit hæresim*, sive errorem: sed ut in quod *sapit hæresim* ad guttum quemdam, ita id quod *malè sonat*, magis refertur ad aures: quod cum subtiliter apud te pensitaveris, in idem recidere faciliè comperies; quamquam *malè sonans* à Melchiorre Cano confunditur cum eo, quod sit *pium aurium offensivum* (c), de quo dicemus postea.

Neque ab iis multum distat istud quod *periculosum in fide* dicitur: cuius quidem notæ insigne exemplum habemus in censura Vernantii. (d) Erat hæc Vernantii propositio: *Si Papa non est infallibilis in Scripturis interpretandis, nostra fidei professio mutanda est, neque dicendum amplius, nos Sanctam Ecclesiam Catholicam & Romanam credere*. Quæ propositio, quoniam ea quæ fide certa essent, cum incertis dubiisque implicabat, remque fidei sola opinione fundabat, ipsa fides in periculum vocabatur; quippe quæ cum opinione in ejusdem casus consortium trahi posset. Atque id sacra Facultas cum intelligeret præclare pronunciavit: *Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa, periculosa in fide*. Quam censuram incurrunt nunc, qui Primatus fidem totamque Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, cum ea quam imbibebunt opinione, connectunt.

Iam profligatis iis quæ nostram fidem incusent, faciliè efficiemus, ut illo Schismatici elogio, quod Dominus Strigoniensis iratus effudit, nihil quidquam sit inanius. Et quidem Doctrinam nostram contra potestatem indirectam, non modò Perronius Cardinalis, sed etiam, eodem teste Perronio, (e) ipse Bellarminus hujus potestatis propugnator acerrimus, absolvit ab anathemate. *Cæterum*, ait Perronius,

*Ipse*

[c] Can. 1. 12. c. 11. (d) Censura Facult. Paris. 24. Maji 1767. Vid. d'Argentré ec. Vern. def. ec. pag. 247. [e] Repl. de Duperr.



*Ipse Bellarminus monet id quod de Pontificis in temporalia potestate indirecta docet, non a se haberi ut fidei doctrinam, aut sub pœna anathematis & excommunicationis à fidelibus tenendam. Quare hæc omnia Communioni Ecclesiasticæ sancienda impedimento esse non possunt; certissimeque constat à Domino Strigonienfi inuitam Schismatis notam, ne illius quidem definitione perspecta.*

Primum enim Schisma separationem sonat; quare Schismatis nomen sponte corrui, ubi nulla separatio est. Atqui Clerus Gallicanus, neque se à quoquam, neque quemquam à se separat: ergo Schismatis nomen, ipsa nominis significatione statim vacat. Si autem vacabat in nos, necessario recidebat in auctorem; cum procul dubio sit ipse reus Schismatis, qui pacificis ac fratribus Schismatis crimen intentat. At enim ejus nomine responderent: Vos Galli nondum Schismatici, sed propositiones vestræ Schismaticum virus intillant. Quo pacto? Ideò certè quia ad separationem inducunt. At quà in re? In doctrina scilicet, cum res doctrinæ sit. An ergo docemus rem a communi omnium fide abhorrentem? Id si ita est, jam non Schisma, sed hæresis aut error est, quod cum nec ipse dixerit, certè Schismatis nomen, nulla re nixum, inane esse docet. An fortè Schismatici sumus, quòd de doctrina non necessaria litigamus? Atqui ne litigamus quidem; nostra proponimus; ab omni contumelia & censura temperamus.

Ecclesiæ antiquitus aliæ alias Scripturas admittebant: non easdem omnes. Erant qui Epistolam ad Hæbræos, erant qui Apocalypsim respuerent, & in iis quidem à Romana Ecclesia dissentirent: nullum tamen erat Schisma, quod innocuè & citra cuiusquam injuriam dissiderent, neque alii alios condemnarent; quæ longè profectò gravioris momenti, quàm hæc nostra erant.

Nostrī certè Episcopi neminem con-

demnarunt. Si verò Schismatici sunt ideò, quòd non latuiri esse videantur, apud nos doceri suis Decretis contraria; jam sunt Schismatici, qui in alijs regionibus nostra proscribunt, aut verò condemnata ea esse, demonstrare oportet. Quod tu si crederes, non jam Schismaticos, sed Hæreticos nos diceres.

Summa sit. Duo sunt quæ in Declaratione Gallicana proponuntur: alterum communis omnium fides de Primatu Petri: alterum sententia Parisiensium, & Ecclesiæ Gallicanæ, quam à Synodo Constantiensī, & antiqua traditione manasse arbitramur. Sanè cum fidem proponere aggredimur, ea tantum producimus, quæ omnes Catholici uno ore suscipiunt. Neque verò aliter egit Dominus Strigonienfis, in ea quam cum ipsa censura(a) edidit fidei professione solemnī. *Profitemur*, inquit, *atque spondemus S. R. E. quæ unica est, perpetuò adhæsuros, neque ab ejus institutis, totius orbis consensu approbatis, ubique florentibus ac dilatatis, quovis prætectu discessuros.* Non ergo privatas sententias adducat oportet, qui fidem proficitur, sed quæ totius orbis consensu approbata, ubique florentia ac dilatata sint.

At dices: quid ergo additis alia? Adimus quæ utilia Ecclesiæ, quæ familiaria nobis, quæ posteris profutura: addimus quæ Primatum ipsum, atque amplitudinem Romani Pontificis firment, invictamque & in animos suavius influentem præstent; sed ea asserentes, condemnamus neminem; veritatem pariter pacemque diligimus.

Exploso Schismatici titulo, illud absurdum & detestabile Domini Strigonienfis, quippe quod plus irarum, quam censurarum habeat, omittimus. Nihil enim videtur dixisse, qui cum nihil perspicuum haberet dicendum, vaga consulaque sententiā detestabilem esse doctrinam effudit eam, quam fidei repugnare, nec ipse diceret.

[a] Cens. Strig. in Vind. Scol. &c.

T. II. Appendix ad defensionem declarationis Cleri Gallicani.

I

DE-



# DEFENSIO DECLARATIONIS CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

## LIBER TERTIUS

Quòd DECLARATIO GALLICANA ab omni censura immunis sit  
ex ipso Statu Quæstionis demonstratur.

### CAPUT PRIMUM.

*Adversarii falsa imputant Parisiensibus, ac pessimè constituunt statum Quæstionis: Anonymus auctor tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ: Papæ suprema potestas & Monarchia Ecclesiastica à Gersono, & aliis Parisiensibus agnita: Constantiensis Concilii loci à Cajetano & aliis objecti: An recursus ad Concilium in extraordinariis casibus supremam Papæ impediatur in ordinariis casibus potestatem?*



Nimadverti eos qui antiquam Parisiensium sententiam, eique congruam Cleri Gallicani Declarationem censoriis configunt notis, id facere ex conceptis de hoc Dogmate falsis opinionibus, quos proinde, constituto statu quæstionis, facile refellemus.

Atque ille quidem, qui de libertatibus Gallicanis, scripsit Anonymus, quæstionem de Conciliorum potiori potestate ita constituit: (a) *sed quæstio est, penes quem sit suprema potestas, an penes Episcopos sine summo Pontifice, an penes Summum Pontificem sine Episcopis, dum invicem distinguuntur.* Quare toto Libro 5., quo hanc quæstionem tractat, ubique profitetur agere se de Concilio, à quo Summus Pontifex ejusque Legati absint. At profectò constat non in eo positam quæstionem: an Papa Concilio subdit ei, quod sine ipso congregetur: quæ specialis est controversia tractata ab Orientalibus, tempore Quinti Concilii congregati sine Vigilio [b]; sed an Pontificis Decreta de fide, aliisque hujus generis rebus, ea sint quæ à Synodo retractari possint, atque interdum debeant, & an congregato, ut nunc ordinariè Canones jubent, ejus auctoritate Concilio.

(a) Anon. de libert. &c. Lib. V. c. V. VI. XI. XV. XVI. & pass.

[b] *Congregati sine Vigilio.* Binius in notis quas addidit Concilio V. affirmat quidem, non



lio, ipsius, an Patrum ac sacri confensus sententia prævaleat.

non verò probat *Vigilium Papam hanc Synodum auctoritate Pontificia indixisse*. Quapropter operæ pretium esse duximus hic narrare per summa capita *Vigilii cum Patribus Synodi V. celebrem controversiam*. D. DE MARCA de Concord. &c. lib. v. cap. xii. n. 10. rem leviter attingit his verbis : *De questione proposita discernere quinta Synodus sibi liberum esse duxit, etiam absente Pontifice*; sed in ea dissertatione quam edidit Labbeus Tom. v. Conc. pag. 595. ille hæc ordine explicat & probat : 1. tantum abfuisse à mente *Virgilii* ut ipse statim approbaret trium capitulorum damnationem, ut è contrâ tulerit graviter edictum quod de ea quæstione sanciverat *Justinianus*, conquestusque fuerit de *Episcopis* qui edito consenserant, 2. existimasse eum tali condemnatione condemnatum iri ipsum *Chalcedonense Concilium*, quod in scripta *Theodoretii* non animadverterat, & *Ibæ* epistolam approbasse videbatur : 3. evocatum *Constantinopolim* ab Imperatore *Vigilium*, qui causam trium capitulorum una cum *Orientalibus Episcopis* disceptaret : 4. cum *Orientalibus* ed maxime intenderent ut quoquo modo edictum subscriberetur, omnem de ea re collationem repudiatam fuisse à *Vigilio*, qui etiam comminatus est à sua communione alienos fore eos, qui edictum subscriberent : his comminationibus iratum fuisse *Justinianum* & commotum populum, ita ut ipse *Vigilius* coactus fuerit clam fugere *Chalcedonem* : 5. inde factum esse ut Imperator, remoto edicto discussionem hujus causæ integram futuræ Synodo permiserit : *Vigilium* hoc sibi placere significasse, datâ epistolâ ad *Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum*, sed tamen petiisse ut Synodus in Italia haberetur : jussisse autem Imperatorem ut *Episcopi* convenirent *Constantinopolim* : 6. Synodo congregatâ, *Vigilium*, qui promiserat in suis ad *Eutychium* literis, se Synodo adfuturum, ei adesse noluisse multis de causis ; sed præcipue quia paucissimi secum erant *Episcopi Occidentales* : interea scripsisse eum ad Imperatorem suum *Constitutum*, quo copiose suam de tribus capitulis sententiam explicabat, simulque contendebat, has quæstiones post *Chalcedonense Concilium* retractari non oportere : 7. hanc controversiam nihilominus disceptatam fuisse & decisam à Concilio, & *Vigilium* ab Imperatore in exilium pulsatum, ed quodd Synodice definitioni consentire noluisse : 8. denique post sex menses tria capitula à *Vigilio* fuisse damnata, decretali

In eodem errore versatus est *Emmanuel Schelstratus*, [a] ac cæteri passim, qui intelligunt, ejus tantum à nobis asserti Concilii potestatem, quod seorsim à Papa fiat. Quo uno clarum est, à toto quæstionis statu aberrare eos, eorumque argumenta, censuras, tractationes universas in irritum cadere.

Sanè apud omnes constat, certis quidem in casibus extraordinariis, Concilium absque Papa congregari posse ; idque non modo in Schismatis casu, si Papa sit dubius, sed etiam extra Schisma, si sit hæreticus, si detentus, si mente captus, si aperte Simoniacus, si ea molliatur quibus universam pessundet Ecclesiam, aliis denique in casibus, qui dilationem remedii non paterentur, quos casus evenire posse, Theologi, Canonistæque omnes, & ipse etiam agnoscit *Anonymus* (b), atque iis in casibus, Papæ Concilium anteponi oportere nemo diffitetur. Quorsum enim attineret Concilium absque Papa fieri, nisi auctoritas Concilii prævaleret? Rursus autem confitemur generale Concilium absque Papa congregatum, nisi id ipsa necessitas exprefferit, ipso jure esse nullum ; ut iis de rebus litigasse, nihil aliud sit, quam operam ludere, & aliis invidiam constare voluisse.

Sunt alia quæ nobis imputent æquè falsa. Primum negari à nobis, eam qua *Romanus Pontifex Christo Auctore* gaudeat supremam in Ecclesia potestatem, ac Monarchicum Ecclesiæ Romanæ statum, sive, ut Patrum magis utamur vocibus, illam

etiam editâ ad *Eutychium*, in quâ sic loquitur : *Quæ verò aut à me aut ab aliis a' defensionem trium capitulorum facta, præsentis hujus scripti nostri definitione evacuavimus*. ibid. pag. 602. Ex quibus duo concludimus : primum, non tantum invito, sed etiam contradicente Papa, quæstionem à Synodo habitam fuisse & definitam : alterum, Synodi *Œcumenicæ* judicium adeo valuisse, ut ipse Papa, quantumvis repugnans, ei demum consenserit.

[a] *Emman. Schel. Cap. II. pag. 662.*

[b] *Anonym. Lib. 5. Cap. V. num. 13.*



illam perfectissimam unitatem, in quam Ecclesiæ administrandæ ratio tendere ex Christi instituto debeat. Hoc primum nobis imputant: tum illud ex eo profluens, nullum à nobis poni controversiis oborturis finem, nisi Concilio Generali congregato, totoque orbe commoto, quod cum sit difficillimum, ac sæpe ne possibile quidem, hinc dari Hæreticis grassandi, & omnia perturbandi locum. Denique addunt, si fieri possit, id quod Parisienses asserunt, Romanum Pontificem de fide decernentem aliquando falli, etiam fieri posse, ut quæ Catholica fides & Ecclesia est, non eadem semper Romana fides & Ecclesia sit. Ea verò esse quibus maximè moveantur, & quibus Libros impleant, qui bona fide agat, nemo negaverit. Atqui ea ne objicerent quidem, si vel statum quæstionis cogitare vellent.

Supremum enim illud, ut inde ordiamur, ex Concilio maximè Constantiensi repetendum putant. Vel Cajetanum audi (a) contra nostros disputantem. Statim fundamenti loco ponit illud, in Constantiensi Synodo per Martinum V. ita definitum: *Papa supremam habet auctoritatem in Ecclesia Dei*. Cui est geminum illud, ab eadem Synodo in Wiclefo damnatum, & à Martino V. (b) approbante Synodo repetitum: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*. Idem urgent omnes, & eo maximè argumento Nicolaus Dubois (c) Declarationem Gallorum oppugnat.

Optimè interim, quod ex ea Synodo maximè argumentantur, quam maximè auctorem sequi sumus. Neque immeritò ex ea Synodo supremæ auctoritatis vocem ac titulum constabilitum volunt, qui in ea Synodo primum appareat. Res enim ipsa antiqua; sed prima, quod sciam, Syno-

dus Constantiensis fuit, quæ supremæ auctoritatis adhibitâ voce, Romanæ Ecclesiæ primatum commendaret. Hinc nostrum postulatum, ut ex ea Synodo, supremam illud interpretemur, in qua primum fuerit summâ auctoritate proditum. Hic jam adversarios trepidare videas: Satis enim sciunt Synodum Constantiensem eam esse, quæ apud ipsos malè audiat, quòd Conciliorum faveat auctoritati; sed profectò necesse est, vel omnia jura conturbent, vel eo utantur iudice quem ipsi elegerint.

Nos, inquit, non protulimus Sess. 4. & 5. Decreta, quæ Concilium Pontifici anteposunt. Nondum enim omnes obedientiæ convenerant. At nihilo magis convenerant Sess. 8. cum illud in Wiclefo damnatum est: *Romanæ Ecclesiæ non est suprema inter alias Ecclesias*. Una tum convenerat Joannis XXIII. obedientia, quæ Sess. 4. & 5. edidit Canones, quos pertimescitis. Certè sanctam Synodum tam citò à sententia discessisse, atque à Sess. 5. ad Sess. 8. tantam rerum esse conversionem factam, nec vos ipsi creditis. Ergo suprema illa auctoritas Pontifici attributa, cum ea quam Constantienses Conciliis asserunt auctoritate, non repugnat. Illud tamen omittamus: Sessionum quartæ, & quintæ Decreta in alium locum differamus. At certè adversarii non negabunt in Sessione quinta ita intelligendam esse supremæ auctoritatis vocem, ut Sessione octava explicata est; atque in Sessione octava ita explicatum est supremam esse Ecclesiam Romanam, ipsumque Pontificem, *quatenus primatum habet super omnes Ecclesias particulares*. At fortè Cajetanus ne eum quidem locum, tametsi est à Martino V. apertè comprobatus, proferre voluerit: obscurus, ambiguus, nimisque Conciliaris est ille locus. Audiamus ergo tandem quid ex Martino V. prolutum voluerit. Nempe id in Bulla *inter cunctas*, Sacro Constantiensi Concilio approbante editum: *quòd Papa canonicè electus .... sit Successor Beati Petri, habens*

[a] CAJET. Tract. 6. de aut. Pap. cap. 1. & comment. in Sum. S. Thomæ.

[b] Bul. Martin. V. *Inter cunctas*. T. 12. Concil. p. 265. [c] Disq. art. 4. p. 21.



*bens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.* At ne illud quidem cogitas, *supremam dixisse in Ecclesia Dei.* Tu continuò inters: ergo super omnem Ecclesiam, etiam congregatam. Statum quæstionis, & ipsa quæ laudasti verba mutas. Nos autem fatemur, *supremam in Ecclesia*, non tota Ecclesia, etiam congregata, superiorem: sive quod idem est & in Concilio Basileensi positum: *Papa in Ecclesia major, non tamen tota Ecclesia major.*

At enim CAJETANUS ita philosophatur: Non est ille supremusetiam in Ecclesia, qui supra se agnoscit aliquam in Ecclesia potestatem, cui subsit. Atqui Parisienses talem Papam faciunt, qui conciliari potestati subsit, non ergo Papalem, sed conciliarem supremam faciunt potestatem. Cui argumento facilè respondemus, utramque supremam esse diverso respectu: supremam alteram, nempe Pontificiam, tanquam ordinariam; supremam alteram, nempe Conciliarem, extraordinariis in casibus, ac rarè eventuris: quam distinctionem, ne ea quidem, quam plurimum Cajetanus utitur, Philosophia respuat. At enim supremi vocem strictissimè vult acceptam, etiam in Constantiensi, quod laudat Decreto; siquidem id fingit, omnes Concilii Patres, quidquid antea cogitarint, edixerint, sanxerint; Martinum verò Quintum quicquid audierit, approbaverit, exscripserit, oblitum esse penitus. Rectè. Sin autem non ita est, ipse profectò Cajetanus est nimius, & suprema Papæ potestas, ex Constantiensi quo utitur Decreto, mitius intelligenda est.

Vis Monarchiæ vocem? Nostri ultrò amplectuntur, & apertè GERSON: [a] *Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ ... à Christo collata est, supernaturaliter Petro sicut Vicario suo & Monarchæ primo, pro se & successoribus usque in finem sæculi; & postea pro absurdo habet, regi-*

*men Ecclesiasticum non esse Monarchicum & habere multiplex caput: quod quidem, inquit, est apertè Hæreticum: Et tractatu celebri de Auferibilitate Papæ, postquam humanas Monarchias in Aristocratias aliquando converti posse memoravit, ut olim in Republica Romana factum est, addit: Non sic de Ecclesia Christi, quæ in uno Monarcha supremo ... fundata est à Christo .... & oppositum sentientes ... errant in fide ... contra Articulum illum, ET UNAM SANCTAM ECCLESIAM [b].*

Quod factum esse docet, ut non Schisma fieret, sed reductio ad unum supremum; & idem ipse, nostrique semper inculcant. Neque eò secius ipse, & alii iisdem in locis, Concilii superioritatem ex Constantiensibus Decretis vel maxime propugnant. Quare totum illud de suprema potestate, deque Monarchiæ statu, extra quæstionem est, & nobis invidiosè objectum.

At enim Richerius (c) hanc Monarchiam odit, & ubique insectatur, & Aristocratiam Ecclesiasticam laudat. Non ille quidem absolute, sed Monarchicum esse Ecclesiæ statum suo sensu profitetur. Verùm utcumque est, ipse viderit: non Clerus Galli-

[b] Id. Tract. de aufer. Pap. Consul. VIII. lb. p. 213.

(c) Richerius hanc Monarchiam odit. ) Hoc quidem est falsissimum & à Richerii adversariis calumniosè dictum. Nam Richerius nunquam in ea re vel tantisper discessit à doctrinâ Majorum Scholæ Parisiensis, atque adeò Gersonis, qui tradiderunt statum Monarchicum Ecclesiæ regimine aristocratico & democratico temperari; quod etiam firmis rationibus comprobavit Petrus Alliaccensis, tractatu de Ecclesia, Concilio generali & Romano Pontifice Constantiæ edito. Vid. App. tom. II. operum Gers. pag. 945. Neque desunt hodie qui suspicentur Richerium, quasi ille hanc doctrinam oderit, sive quia Richerius asperioribus quandoque verbis utebatur, sive quia ejus adversariorum nomina illustria pro certo judicio apud multos valent. Cæterum quisquis attentè legerit hujus Doctoris defensiones, virum hunc cognoscet, cum præcæ doctrinæ retinentissimum, tum differendi industria omnibus Theologis utilissimum.

[a] Tract. de potest. Eccl. consil. 10. T. 2. pag. 239. & concl. 2. pag. 239., 256.



Gallicanus tutandum eum suscepit: Gersonem potius & Parisienses tueretur. Sed ne ipsos quidem, nisi quatenus antiquæ traditioni, & Synodo Constantiensi consentiunt. At, inquis, non est supremus Rom. Pontifex, si semper ab eo ad Concilium recurratur: & hoc nobis imputas extra quæstionem. Ad certos enim casus, eosque extraordinarios atque generales, quibus Ecclesia tota concutitur, sese ipsa redigit Constantiensis Synodus, quam sequimur ducem. Eò verò prætextu continuo sollicitari Ecclesiam, ac Christianum orbem commoveri, Sedisque Apostolicæ auctoritatem, in ordinario etiam regimine & quocumque casu dato, à Concilii auctoritate suspensam, adeoque impeditam semper, & invalidam teneri, ac nomen nudum esse, pejus omnibus malis odimus. Neque eò magis probamus Pontifici etiam delinquenti, aut delinquere viso semper intentari Concilii Generalis auctoritatem, ac sub Concilii nomine Schismati præberi fomitem. Gerson [a] enim & alii inculcant assidue, valere Concilii auctoritatem ad Papam judicandum certis casibus, iisque ita extraordinariis, ut vix mille annis, bis aut ter eveniant: quibus tamen haud secus ac quotidianis casibus in antecessum provideri, stabilita Concilii auctoritate necesse sit, quòd scilicet Ecclesiæ ipsi in æternum duraturæ, mille anni sint tanquam dies unus; totque tentationes expertam ac tantis præliis præparatam, vigilare sibi que cavere oporteat.

Neque ex eo quòd Constantiensis Synodus Papam subesse Concilio velit, etiam in negotio Reformationis generalis, idèò probamus Reformationem eam, quam sine Papa aggredi vellent; nam Cameracensem audimus, ita concionantem, in ipso Constantiensi Concilio: (b) *Manifestum est quod Ecclesia fuit multipliciter deformata, indiguitque & nunc ma-*

*ximè indiget, ut in fide & in moribus reformetur* (Explicata fide scilicet, ejectis Hæreticis, purgatisque moribus.) *Sed nunc membris Ecclesiæ separatis à capite, per tetrum illud Schisma, & Apostolico dispensatore, & direttore carentibus, nequaquam benefieri posse speratur.* Quod quidem sequuta Synodus Constantiensis, Reformationem ditulit, & electionem Pontificis expectavit.

## CAPUT II.

*Falsò imputari Parisiensibus, quòd saltem in fidei causis, recursus ad Concilium semper sit necessarius.*

**A**T illud ineluctabile esse putant, quòd, saltem in fidei causis, recursus ad Concilium semper sit necessarius, si Papam negemus esse infallibilem. Quam una doctrina prævalere hæreses, cum in ea incidunt tempora, quibus Concilium vix ac ne vix quidem congregari possit. Hoc adversarii omnes ad unum inclamant; sed hæc omnia frustra sunt. Jam enim Lutherum omni anathemate persecuti sumus, quòd ad generale Concilium omnia fidei Decreta suspenderet; & nostra Facultas eandem doctrinam in Milleterio condemnavit atrocibus notis; quam censuram integram suo loco referemus. Neque obscurum est Gersonem & alios, id non tantum Concilio generali, & congregatæ Ecclesiæ, sed etiam ubique diffusæ tribuisse, ut errare non possit; nec mirum, cum Concilium ipsum eò sit infallibile, quòd Ecclesiam repræsentet: quo fit ut Ecclesiam per se esse infallibilem negare nequeat, qui vel intelligat repræsentare quid sit. Denique pestiferam doctrinam Clerus Gallicanus, novissima illa, quam totis studiis impugnant Declaratione, confixit, dum sine Concilio quoque Ecclesiæ consensum valere professus est. Sed illum

(b) GERSON *de Eccl. potest.* confid. 10. T. 2. [c] Vid. Petr. Alliac. int. op. Gers.



illum quem laudamus , Ecclesiæ consensum irridet Nicolaus DUBOIS ( a ) dum ea verba tractat Declarationis Gallicanæ : *nisi Ecclesiæ consensus accesserit* : Sic enim interrogat : *cujus Ecclesiæ ? An Universalis omniumque Prælatorum & Episcoporum, etiam Capitulorum, tam Cathedralium quàm Collegiatorum ?* Ut ludit vir suavis , sibi que , & aliis offundit nebulas ! Pergit porro : *An omnium Episcoporum totius Orbis etiam Japonum, Indiarum, & aliorum apud infideles, vel Hæreticos latitantium ?* Quando nam tandem hic habebitur ? Dum expectabitur ab aliquibus aliorum consensus , ex his forsitan mortui erunt plures , qui fortè consenserint , sed de quorum consensu non constet authenticè . Illorum igitur qui successerint novus consensus erit expectandus .... *An majoris partis ... Facti quæstio inextricabilis , quia unde sciatur , quod illi quos consensisse constabit authenticè , majorem Ecclesiæ partem constituunt .* Quin Episcoporum labori ac sumptibus parcat vir providus : *Quanta , inquit , singulis Episcopis molestia , & sumptus , ut ex toto orbe , ab omnibus Ecclesiis vel saltem majori earum parte obtineant authenticam consensus demonstrationem ?* Metuit etiam Galliæ ab iis , qui prætendunt Pontificias Bullas de Janseniano negotio , non esse receptas : *satisque , inquit , ipsis erit si negent ; quia ... illi incumbit probatio , qui affirmat , non qui negat .* Hæc tamen , & alia , quæ operosè & anxie vir bonus congerit , eo fundamento nituntur , quod consensus , nisi certa consentientium omnium , per peculiare instrumentum , testificatione constare non possit ; quod cum sponte & uno veluti flatu corruat , tum omnis machina concidat necesse est , & inanes terriculæ , uti illa in nubibus efficta monstra , evanescent .

Paribus argumentis si quis adoriatur

[a] Disq. art. 8. n. 107. 108. 109. 110. & seqq. pagg. 38. 39. Vide etiam part. Refut. &c. p. 78.

nostrum auctorem , rogetque aliqua lex recepta , an obsoleta sit ? Credo , plebiscitum requireret , quo ipsi quidem confiteretur plebem Decreto facto legi obstitisse , aut verò consensisse : vel quandoquidem plebi subditæ non est datum abrogare legem à principe datam , nisi aliquo modo Princeps consenserit , noster hæsitabit quoad de abrogata lege Diploma Principis afferatur : totumque illud , quod de explicito & implicito , interpretativoque consensu , Theologi , Philosophi , Jurisconsulti lanciant ad unum omnes , futurum est irritum . Hos in re tam feria ludos agunt .

Neque cogitant consensum publicum non eò constare , quòd aliquod de illo extet commune , & publicum instrumentum . Quin illud est persæpe multò validissimum , ut in omnibus Imperiis , ita in Imperio Christi , quod nullo peculiari instrumento consignatum , sed omnium inscriptum mentibus , omnium sermone usuque celebratum . Atque illud in Ecclesia plerumque contingere , & ex sese perspicuum est , & suo loco fusiùs exequemur , & vel nunc satis liquet de Decretis Pontificiis nullam dubitationem esse posse , receptane sint an non ? Quis enim nesciat nullis missis nuntiis , nullis perlatis Litteris , de Janseniano negotio Diplomata ubique obtinere , cum neminem obstrepere ac reclamare audiamus ? Quod cum sit , tunc Concilium non est necessarium . Sic enim sua sponte per pronos animos , ab alta Sede Petri , vera doctrina prolabitur , ac Romano Pontifice omnium explicante doctrinam & sententiam , nihil necesse est , ut congregata Synodo , ipsa per se tota quid censeat Ecclesia eloquatur . Denique quocumque modo fiat , ut Ecclesia consentiat , transacta planè res est . Neque enim fieri potest umquam , ut Ecclesia spiritu veritatis instructa , non repugnet errori . Sic res Janseniana processit . Sed hæc quoque suo loco . Interim , satis constat totum illud tantoperè à disquisitore , aliisque jactatum



tum de sumptibus atque laboribus, deque nuntiis ac Litteris quocumque mittendis, ludicrum vanumque esse.

### CAPUT III.

*Quod si unus vel alter Romanus Pontifex in Decreto fidei aberraret, nihil fidei Romanæ, nihil Romanæ Cathedræ Sedique Apostolicæ noceretur.*

**J**Am si eveniret illud, quod absit, ut à Romano Pontifice quæstionem fidei malè judicante, reliqua Ecclesia dissentire cogeretur, non propterea fides & Ecclesia Romana interiret, aut vera Ecclesia fidesque Romana esse desineret. Id jam docuimus, cum de Joanne Driedone loqueremur: quo loco constituimus, Romanam, hoc est Petri non defecturam fidem eam esse, quæ à Petro primo, per successorum seriem ad nos devoluta jam coaluit. Neque verò Romana fides in solo aliquo Pontifice est; alioquin intereunte Pontifice, Romana interiret fides. At etiam vacante Sede, Romana fides viget, vigeretque profectò, etiamsi Pontifex plulquam mortuus, quocumque tandem modo, à fide deficeret; & in infando illo Schismate, quo quadraginta ferè annorum spatium non erat in Ecclesia Pontifex, nisi dubius, ac proinde nullus, si Bellarmino aliisque credimus, haud propterea minus Romana fides, Romana Ecclesia stetit. Unde Joannes à Turre cremata, Dominicus Jacobatius & alii Canonistæ, sive antiquiores, sive posteriores, suo quodam modo Sedem Apostolicam & Romanam fidem ab ipso Pontifice sejungunt; & ipse Turrecremata scripsit: (a) *si vel maxime Eugenius IV. Synodi Basileensis Sessiones primas confirmare voluisset, Sedem Apostolicam passuram-*

[a] Tur. de Eccl. lib. 2.

*non fuisse, quæ quidem, an, & quatenus rectè distinxerit, alibi inquiremus. Hinc profectò clarè perficimus, etiam eorum auctoritate qui Romano Pontifici maxime favere velint, eos à Sede sua certo quodam modo ita esse distinctos, ut vel iis labentibus, Sedes immota stare possit, quod huic loco sufficit.*

### CAPUT IV.

*Adversarii quæstionem de superioritate Papæ ad vana redigunt; casus hæresis evertit eorum generales regulas. Cajetani argutiæ recitantur.*

**R**epulimus ea quæ Parisiensibus falsa imputantur, sed odia profectò omnia, quibus hanc sententiam prosequuntur necesse est ut concidant, cum ea viderimus, quæ ipsi, vel tanquam necessaria, vel tanquam probabilia confitentur.

Placet primum audire quid illi velint, qui vehementissimi omnium fuerint. Hi dicent statim, Papam supra omnia Concilia esse; nullo casu à sibi subjectis judicari; neque enim duas potestates supremas esse posse; contrariam sententiam erroneam esse. Ita Cajetanus, (b) primus omnium, quod sciam, erronei affixa nota, satis confidenter (quippe quem nec alii sequerentur) sed ipsum tanta dicentem audiamus. Statim hæret ad Canonem, *si Papa, Dist. 40. c. 6 & ad illud, nisi fuerit à fide devius*. Tunc enim accusari, damnari, deponi Pontificem, velit, nolit confitetur. At forsitan declarativè tantum, non autem destitutivè, ut ajunt: Papam enim volunt per hæresim ipso jure cadere à Papatu, ac Declaratione tantum opus esse. Hæc alii, non ipse Cajetanus; atque omnino asserit non id Divino jure, non huma-

[b] CAJET. De Comp. Pap. & Concil. loc. cit. & pass.



humano esse cautum . Sic denique statuit :  
 (a) *Papa hæreticus non est ipso facto depositus , sed deponendus* . Sagacis enim ingenii vir satis intelligebat ad quam Pontificii status ac publicæ securitatis perniciem pertineret illud , *ipso facto depositus* . Statim enim , hæresis mentione facta , contemni impunè Pontificem à quocumque privato , & ejus acta haberi nulla & irrita , & totam concuti Ecclesiam : quæ GERSON intuens docebat , [b] *Papam non cessare ipso facto , quo cadat in hæresim , sicut nec alius Episcopus , propter incertitudinem Ecclesiasticæ politiæ* . Neque erat quod ad notorietatem recurrerent . Primum enim de ipsa notorietate luditur , periculosissimumque est notorietate agere , nisi ipsa notorietas certo supremoque judicio declaretur . Tum si ad notorietatem solam , animadversio necessaria redigitur , maximum erat periculum , permitti Ecclesiam Hæretico Pontifici certa in fidem , licet nondum notoria machinanti . Quo in genere , quæ occultiora , ea periculosiora sunt . Quare nec Canon , si Papa , in notoria tantum hæresi Papam judicari vult , sed generatim , si sit à fide devius , honorique ac securitati ipsius Pontificis datur , ut nonnisi à Concilio generali judicandus veniat . His quidem rationibus victus Cajetanus assensit . At illa interim præclara quam animo informaverat , Pontificatus idea effluebat . Magna enim (c) , inquit , *restat ambiguitas quomodo & à quo judicabitur Papa deponendus . . . . cum Judex in quantum Judex , sit superior eo qui judicatur* . Magna certè & inextricabilis difficultas . Videamus quomodo se expediat . Primum refert à quibusdam dici , (d) *quod licet absolutè , Papa non habeat superiorem in terris Ecclesiam , ipse tamen , in casu hæresis , habet superiorem*

*in terris Ecclesiam universalem , & sanè , inquit , est via communis* . Verum eam ipse rejicit , malè sibi metuens , ne scilicet ex illo casu pulsus in alium , nullo loco possit consistere . Neque enim Christus peculiare quidquam , universali Ecclesiæ tribuit in solo hæresis casu ; atque omnino tota illa de perfectissima , hoc est , in omni casu suprema & absoluta Pontificis Monarchia , tota , inquam , illa Cajetani idea ac regula perit , si vel in uno casu hæresis , fallit . Attamen sic elabitur : (a) *Posse dici quod Papa nec simpliciter , nec in casu hæresis habet superiorem in terris , sed subest potestati ministeriali universalis Ecclesiæ , quoad solam depositionem* . At interim extorquetur vel ab invito illud , *subest* ; neque efficiet ulla arte Cajetanus , eum qui , ut deponatur , subest , non etiam subesse , ut vincatur & ut judicetur . Neque item efficiet , ut is qui habeat judicem , non habeat superiorem . Quis autem negaverit ministerialem esse Ecclesiæ potestatem ? Respectu Christi certè ; Papæ quidem respectu , ministerialem esse , qua Papa judicetur ac deponatur ; nec si millies dixerit Cajetanus , omnesque argutias exhausserit , ulli persuadebit .

Sanè operæ pretium est intueri ut se torqueat , dum potestatem illam ministerialem exponit . Ait enim potestatem illam , qua Papa deponitur , tripliciter considerari posse . *Tria enim* (b) , inquit , *inveniuntur in Papa ; scilicet Papatus , persona quæ est Papa , putà Petrus , & conjunctio utriusque . . . . ex qua conjunctione resultat Petrus Papa* . His positis subdit : *Et quoniam amotio Papæ , sive per renuntiationem , sive per depositionem , sive per ejectionem non est corruptio Papatus , nec Petri , sed conjunctionis Papatus & Petri ; idcirco diligentissi-*

me

[a] Cajet. ibid. cap. 17. 18. &amp; seqq.

[b] GERS. Tract. An liceat à Papa appellare ? T. 2. pag. 305.

(c) Caj. de comp. &amp;c. cap. XX.

(d) Ibid.

Tom. II. Appendix ad Defens. Decl. Cler. Gal.

(a) Ibid. (b) Ibid.



mè & cautiſſimè oportet pro regula habere ante mentis oculos, cùm de amotione Papæ tractatur, quòd non requiritur po- teſtas ſuperior Papa, ſed ſuperior conjun- ctione inter Petrum & Papatum.

Hæc Cajetanus operoſiſſimè tribus ex- sequitur prolixiſſimis capitibus XX. XXI. & XXII. Qua ſanè doctrinà facilè de- monſtraveris, ne Neſtorium quidem, exempli gratia, ab Ephefino Concilio, tanquam ſuperiore fuiſſe depositum. Quis enim non videat depoſitionem eam non eſſe corruptionem Episcopatus, qui ſanè in Eccleſia Catholica manet integer; neque etiam Neſtorii, qui incolumis ſu- pereſt; ſed conjunctionis Episcopatus cum Neſtorio: atque adeò Concilii Ephe- fini poteſtatem non eſſe ſuperiorem Epi- ſcopo Neſtorio, ſed ſuperiorem conjun- ctione inter Neſtorium & Episcopatum: quæ quàm vana & abſurda ſint omnes intelligunt.

Quare & illud vanum eſt, quod illa poteſtas quâ Papa hæreticus deponitur, (a) licet minor Papatu, habet tamen vim co- activam, non ſuper Petrum Papam, ſed ſuper conjunctionem Papatus & Petri. . . . in cauſa hæreſis, ita quod illa poteſtas relata ad Papam eſt miniſterialis, relata ad conjunctionem Petri & Papatus in fieri vel diſſolvi, ſubjecto exiſtente diſpoſito, eſt auctoritativa.

Huc denique recidunt qui paradoxa fingunt, ut altiora quàm ipſe Chriſtus de Chriſti Vicario meditentur. Quæ Ca- jetanus, ut ipſe proſitetur, ex intimo Philoſophiæ ſenſu quantumvis depromp- ſerit, omnemque Scholaſticæ ſuæ artem excuſſerit, non tamen perfecit ut ad hæc inania, Theologiæ gravitas, ne di- cam, fidei redigatur auctoritas.

## CAPUT V.

SUARIS labores æquè irriti circa depo- ſitionem Papæ in hæreſim lapſi.

**V**IDIT Suarez Cajetani mirum in mo- dum laborantis conatus irritos. (a) Hic, inquit, Cajetanus mirè ſe vexat, ne cogatur admittere in cauſa etiam hæreſis Concilium ſtare ſuper Pontificem. Et ille quidem aſſentitur Cajetano negan- ti caſum ullum eſſe, quo certus & indu- bitatus Pontifex ſuperiorem agnoſcat, & ad illud recurrit: in cauſa hæreſis, Pon- tificem ipſo facto depositum eſſe. Ne tamen in illa quæ jam relata ſunt, in- currat incommoda, illud, ipſo facto, non valere dicit, niſi poſt Eccleſiæ de- clarationem. At jam illa omnia redeunt: ſi Papa accuſandus, citandus, judican- dus veniat, ergò habet ſuperiorem; ac prohibere nemo poteſt, quin illa, quam Suarez poſtulat declaratio Eccleſiæ, non ſit illius judicantis actus.

Id quidem ſentit vir ſagax. Cæte- rum ſic ſe expedit: (a) Quando Ec- cleſia Papam hæreticum deponeret, non ipſa tanquam ſuperior, ſed ex conſen- ſione Chriſti Domini juridice declararet eum hæreticum eſſe, atque adeò prorsus indignum Pontificis dignitate, tumque ipſo facto immediate deponeretur à Chriſto. Quid ſit autem illud, conſenſione Chriſti Domini, hæreticum adeoque indignum declarare, & quæ tandem illa ſit Chri- ſti Domini conſenſio? Specialiſne ea, an generalis, & quatenus nobis comperta ſit, exponat qui poteſt. Certè quæ in Ec- cleſiâ rectè legitimèque ſiunt, Chriſti, non dico conſenſione, ſed auctoritate fie- ri conſitemur, & eatenus Chriſtus verè in

(a) Ibid. cap. xxi.

(a) Suar. de fid. diſp. x. ſect. vi. n. 9.

(a) Ibid. n. 10.



in Ecclesia est per suum Spiritum omnia administrans. Cæterum *immediatè* hoc fieri, id est, nullâ interpositâ Ecclesiæ auctoritate, nec Suarez dixerit, ut profecto ipse, haud minus quàm Cajetanus, sese inani operâ vexasse videatur.

At enim Suarez ait(a): ut, in electione Papæ electores non conferunt ei potestatem, sed personam designant, cui Christus conferat; ita qui deponunt, personam designant, cui Christus abroget potestatem: neque absimilia dixerat Cajetanus; sed hæc nihil ad nos. Id certè quærimus, an non Ecclesia aliquam exercent jurisdictionem super eum quem citet, quem convincat, quem declaret inhabilem, ac potestate destitutum. Verba quærent illi; nos rem ipsam intuemur. Certè electores Papæ, genus aliquod jurisdictionis exercent in electum, quippe qui eidem Papatum conferant, cujus detrectantis excusationes admittere, si justæ videantur, vel si iniquæ, respuere, atque ad onus suscipiendum cogere omnino possint. Sed utut sit, jus illud in privatum exercent: non enim electus verè perfectèque est Pontifex, antequam saltem acceperit: in depositione verò potestas exercetur in certum Pontificem, qui proinde non ut homo privatus, sed jam ut Pontifex judicanti subit, ac proinde aliquo in casu, nempe in casu hæresis, inferior habeatur.

Huc accedit quòd non tantum certò hæreticum, sed etiam suspectum, & difamatum judicare, adeoque vel damnare, vel absolvere debeat Ecclesia, ut & Joannem Driedonem dicentem audivimus & doctissimi quique consentunt, propter ingens fidei periculum. Unde glossa in caput, si Papa, dist. XL. verbo, à fide, sic habet: *Hic specialiter fit mentio de hæresi, idèò quia etsi occulta esset hæresis, Papa de illâ posset accusari, sed non de alio occulto crimine: Quo casu nec recurri possit ad illud: Papam ipso*

facto esse depositum. Neque enim suspectus de occultâ hæresi, aut etiam difamatus, ipso jure est depositus; sed venit accusandus, convincendus, deponendus, si contumax esse judicetur & *incorrigibilis*. Neque verò hæc commemoramus quòd illud, *declarativè*, aut *destitutivè* deponi Pontificem magni ad fidem Catholicam momenti esse putemus. Ea namque omnia, cum in idem re ipsâ redeant, habemus promiscuè; quamquam nostra, ut planiora ac simpliciora, præferimus. Neque placet per verborum circuitus & ambages in ea recidere, à quibus primâ specie abhorrere videaris.

## CAPUT VI.

CAJETANI ac SUARIS absurda effugia, non nisi aliis absurdioribus vitari posse. ALBERTI PIGHII sententia, quòd Papa, nec ut privatus, fieri possit hæreticus: alii quoque casus, quibus Papa Concilio habetur inferior.

**A**T enim objiciunt unum casum afferri à nobis, hæreseos scilicet. Esto interim habeamus unum; alii enim plures ultrò se ingerent, & tamen ille unus sufficit ad evertendam eam, quam de fide esse vellent omnimodam, & quocumque in casu absolutam Romani Pontificis potestatem. Id egregiè sensit Albertus Pighius Campensis, & Cajetanum irritit, falsa & inania, ac verba potius quàm argumenta proferentem. Sic enim arguit virum: (a) *Hoc vide, quo pacto non sit evidens repugnantia; posse Ecclesiam, aut Concilium deponere Papam hæreticum, & tamen nullo unquam casu super ipsum auctoritatem habere. Planè*

con-

(a) Pigh. assert. Hierarch. Eccl. lib. VI cap. XIV. XVI.



contradictionem implicat ut Iudex non sit supra reum, atque eum in quem profert damnationis sententiam. Accumulat alia quæ de positionis sententiam præcedant; reum citare, examini subdere, ut ad interrogata respondeat cogere, quæ sine coactiva potestate non possint fieri. Neque Cajetani responsiones prætermittit. Nihil, inquit, prodest hic subterfugere, & latebras & diverticula quærere, dicendo Ecclesiam aut Concilium in hæresis casu ex ministeriali illâ potestate habere vim coactivam, non quidem super Clementem, & Julium, sed super conjunctionem Papalis auctoritatis cum illis, idque non simpliciter, sed in solo casu hæresis. Nugari enim est istud, & non ad rem respondere. Et urget nullo casu subditum fieri posse Concilio eum, quem absolute supremum, Conciliisque omnibus superiorem Christus constituerit; nullamque aliam huic reperit difficultati expediendæ viam, quam suum illud, oppidum nimium & absurdum: Papam hæreticum esse non posse, nequidem ut privatum.

Ita cum adversarii alii in angustias redigantur, alii vana & ridenda, alii nimia & aperte absurda excogitare cogantur, nobis certè hæc effugere omnia, & in avitâ sententiâ planâ & simplici permanere licet.

Idem Albertus Pighius (a) quærit, post Canonistas atque Theologos omnes, quid fieret si Papa captivus, si perpetua mentis alienatione teneretur. Tunc enim Concilium sine Pontifice congregari posse, & de ipso decernere passim asserbant & necessarium videbatur. At ille ideæ, quam informaverat, superioritatis intentus, in captivitatis casu expectandum esse asserit; cum tamen ea tam diuturna esse queat, ut Ecclesiæ provideri necesse sit: de mentis alienatione; ut à XV. sæculis numquam eve-

nerit, ita nec futurum unquam esse confidit. Quæ cum optantis potius quam disputantis sint, en alios præter hæresim casus, quibus Concilium supremâ auctoritate, ac sine Pontifice, de Pontifice decernere, reique Ecclesiasticæ providere debeat.

Albertus Pighius unum esse ejusmodi casum admittit, cum est dubia incertaque Pontificis electio. At miror cur eum casum, ut alios, possibilem esse non neget. Quid enim absurdius est, aut Ecclesiæ periculosius, hæreticum esse Pontificem, aut diutissimè captivum, aut mente captum, quam ita dubium, ut longa annorum serie, nec agnosci certò possit, etiam à rectè quærentibus? Interim grassantur hæreses per Ecclesiam, nullo gubernatore certo, Petri navicula fluctuat, atque in eâ navigantes hac illacque jactantur: quod in infando illo Schismate sæculi XIV. factum esse constat. Id antequam contigisset, si à Pighio quæreretur, an fieri posset, ex illis ideis præclaris, quod numquam hætenus tot antè elapsis sæculis factum esset, nec fieri posse consideret. Sed casus improvidos, ac si quæ mortalibus mala evenire possint, non nisi experientiâ magistrâ discimus.

Respondebunt alii his improvisis casibus, si occurrerint, Deum provisorum, neque tam sollicitè quærendum nobis, quid tum factò opus esset. Quis autem hoc neget Ecclesiæ suæ provisorum Deum? Sed planè provisorum intelligimus, non novâ in terris constitutâ potestate. Quare eam potestatem, quâ provideri possit servari integram, non pessumdari evertique oportet.

(a) Ibid. cap. XVIII.



## CAPUT VII.

*Papam etiam certum, non modò hæreticum, sed & absque hæresi, schismaticum fieri posse DUVALLIUS docet ex TURRECREMATA & CAJETANO Cardinalibus, eumque Ecclesiæ auctoritate statim deiciendum.*

**I**TERUM tertium quartumve casum habemus, quo Concilium de Papa iudicet, & quidem se nesciente, universalis Ecclesiæ auctoritate collectum; casum nempe schismatis. Neque hîc tantum reponimus eum schismatis casum, quo ex dubiâ electione dubius esset Pontifex, ut in illo fœdo schismate XIV. sæculi; sed etiam quò certus Pontifex fiat schismaticus.

Id autem ne dubites posse contingere, triplicem hujus rei casum Andreas Duvallius (a) non suspectus auctor, ex Turrecremata & Cajetano Cardinalibus, non item suspectis, adducet: Ii, inquit, dignitatis Pontificiæ acerrimi propugnatores affirmant Papam posse esse schismaticum in his casibus: Primò, si se à communionem totius Ecclesiæ, & omnium Episcoporum, ob aliquam causam injustam separet, & solum cum quibusdam sibi coherentibus communicare velit. . . . . Secundò, si nollet amplius officio Pontificis fungi, nec tamen subisse ei qui pro se eligeretur, sed se schismaticorum conventiculis adjungeret. Tertiò, ajunt quidam, si antiquos Ecclesiæ ritus & consuetudines ab Apostolica Traditione manantes immutare vellet. Tunc schismaticus, nec minùs quàm hæreticus deiciendus esset. Quâ potestate? An recens à Christo creatâ & constitutâ? An ipsi Ecclesiæ jam inde ab

[ a ] Duv. de sup. R. P. potest. part. III. quæst. ix. p. 433.

initio conceditâ, exponant, si possunt, qui omnem Ecclesiæ potestatem in unum Papam concludunt, eumque in omni casu superiorem esse volunt? Nos verò hos casus non studiosè conquirimus; neque ultrò ingerimus huic quæstioni; sed ex Duvallio & aliis non suspectis auctoribus, ut huic loco necessarios inferimus.

## CAPUT VIII.

*De Concilii auctoritate, quâ Papa teneatur in fidei causis DUVALLII locus.*

**A**DDAMUS aliam ex Duvallio quæstionem: (a) an Concilium legitimo modo coactum & legitimo modo procedens, Papa per Legatos præsidente, in iis, quæ ex unanimi Legatorum ac Patrum consensione de fide decreta sint, ante confirmationem sit infallibile, quamvis Pontifex nullam hujus decreti instructionem dederit? Negat Bellarminus & moderni quidam Lovanienses, ex suis regulis; quod nimirum doceant, à Papa Patres accipere, quòd rectâ decidant, neque posse à Papa infallibilitatem suam transferri in Legatos (b). At Duvallius tale Concilium infallibile esse concludit cum Soto & aliis; quòd nempe in eo sit tota Ecclesiæ representata: hoc est, eodem interpretante Duvallio, ipsamet Ecclesiæ secundum auctoritatem definiendi legesque condendi, quæ falli non possit; utpotè COLUMNA ET FIRMA-MENTUM VERITATIS. Concilium namque Ecumenicum legitime coactum, & legitimo modo procedens, non à Pontifice, sed à Spiritu Sancto sibi assistente suam infallibilitatem habere ex vi ordinata-

(a) Id. part. iv. quæst. vi. p. 525.

(b) Dom. Soto in iv. sent. dist. xx. q. i. art. iv. Duv. loc. cit. p. 531. & seq.



dinationis & promissionis Christi, qua promissit & statuit se Spiritumque suum Ecclesie jugiter affuturum . . . Quare tene-  
re Pontificem talis Concilii tam in fide quam in moribus, sententiae consentire & stare, non quasi sit inferior Concilio, eique tanquam superiori obediens, sed ut obediens veritati per Spiritum Sanctum revelata. Hic oppido vides, qui Pontificiae potestati prae aliis favere se jactant, nihil aliud querere, quam verborum officias, & ut verbis minuunt quod ipsa re fatentur. Ecce enim Duvallius confitetur talis Concilii decretis teneri Papam, quod est res ipsa quam nos quoque dicimus. Ergone Concilio obediens erit tanquam superiori? Cave dixeris: abominandam vocem! Sed dicas obedire ipsi veritati per Spiritum Sanctum revelatae. Quasi nos turba fidelium Conciliis aliter obediamus, quam quod certa fide credimus, per illa Concilia veritatem cui paremus, à Spiritu Sancto esse revelatam.

Utrumque est, licet per Duvallium credere Patres in Conciliis non accipere à Papa, sed à Spiritu Sancto, ut recta decident; eamque vim talis decreti esse, ut ei decreto se nesciente facto, ipse Pontifex consentire & stare teneatur. Tanta Ecclesiae consentienti ad fidem explicandam inest auctoritas.

Atqui eam auctoritatem non facit Papae infallibilitas, quam reverà in Legatos transmittere non potest; sed Ecclesiae totius, non ab ipso Pontifice profecta, sed à Christo collata; quae cum Duvallius concesserit, si ab ipso queratur, an non etiam possit, dissentientibus Legatis, valere decretum, haud facillè videtur se expedire posse. Legati enim ipsi non sunt infallibiles, quibus adherere Synodus teneatur, sed tota Synodus id à Christo habet, adeoque decretum praesidentibus Legatis, non tamen necessario consentientibus, fieri & stare posset: alioquin nec sufficeret

formula Tridentina, Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea Sedis Apostolica Legatis, statuit, decernit, definit, &c. nisi etiam consentientibus adscripisset.

Quid autem tali decreto, ex sententia Duvallii, facto, confirmatio addat, alia difficultas alibi extricanda. Hic certe sufficit tale Concilium necessario confirmandum à Pontifice, qui ejus auctoritati stare teneatur.

## CAPUT IX.

*Propter quae scelera in Pontificem animadverti possit; Canonistas fere omnes, non iisdem licet verbis, in eandem rerum summam convenire.*

**M**EMORATUM à nobis est sub Eugenio IV. ab ipsi obedientibus, summa contentione animorum fuisse agitarum, propter quae scelera Pontifex indubitatus accusari ac judicari posset. Ac passim consentiebant, numquam id fieri posse, nisi propter unam haereticis causam. Ceterum non eò secius in varias sententias abierunt. Pars enim aiebat Papam si *scandalosus & incorrigibilis* videatur, de haeresi suspectum, neque jam indubitatum esse Pontificem: quo jure asseriebant in eum animadverti posse, extremam etiam sententiam, eam glossa nixi, quod *contumacia sit haeresis* [a]. Haec docebant in ipsa Eugenii curia Ludovicus Romanus, Antonius Rossellis, alique complures quos quidem, cum de Dionysio Carthusiano & Joanne Driedone ageremus, facillè ostendimus summam ipsam consentire cum iis, qui de Papà scandaloso gravissima dicerent.

At pars alia, quae magis Pontifici gra-

[a] Gloss. in cap. Si Papa dist. XL.



gratificari videbatur, haud multò leviora proferebat. Nam etsi Pontificem notoriè etiam, & contumaciter scandalosum, deponi posse negabat; at invito eo colligi Synodum à Cardinalibus; at Cardinalibus deficientibus, Patres ultrò convenire posse; at moneri Pontificem; at corripì; at si cogentes Synodum impedire velit, impunè contemni: quin etiam, si excommunicet, pro schismatico haberi; quippe qui cum Catholicis Episcopis, legitimaque Synodo communicare teneatur, ac deinde deponi. At si Ecclesiasticam pervertat disciplinam, si Clerum vili pendere, si latà sententia Canonem de percussoribus Clericorum tollere, si alia facere, unde Ecclesiæ status decolorari videatur, si hæreticos à pœnis hæreticorum in præjudicium officii sanctæ Inquisitionis absolvere, si dispensationes noxias concedere aggrediatur, repugnantibus Canonibus, non modò non parendum esse, neque iniqua mandata, aut injustissimas excommunicationes admittendas esse; verùm etiam contra eum brachium sæculare implorari, ac vim vi pelli posse consentiebant. Hæc passim Jacobatus; hæc deinde Duvallius (a); hæc alii omnes, quorum proinde certas constantesque sententias referre pigeat; ut profectò Pontifici quoque præster, coram Synodo semel æquo jure agere, ac legitimum judicium experiri, quam hæc extraordinaria pati à subiectis, omnibusque risui ac contemptui esse, ac nihilo secius loco dejici, & declarari schismaticum, si excommunicatione tueri se pergat. Et hæc tamen sunt, propter quæ hodie omnia concuti, atque everti clament; imò verò non hæc, sed longè leviora, cum ne hæc quidem, passim à Canonistis firmata, Clerus Gallicanus proferat.

Quæ cum apud me reputo, subit admirari quantum in homines possit inanis verborum sonus, qui cum audierint Synodum Papa superiorem esse, statim reclamabunt, ac si fortè ea vox in Bucam venerit, erroneum dicent: iidem, si per alia verba, ac veluti per circuitum molliorem in eadem venias, sedati pacatque admittent: At profectò non efficient, ut erroneum sit planis ac simplicibus verbis explicare mentem, atque eum, qui sit Judex, appellare superiorem.

Quòd verò Conciliis Œcumenicis datam universim à Christo immediate potestatem nolunt, haud equidem intelligo, quo pacto stare possit cum iis, quæ ipsi asserunt. Nam ultrò consentitur, meritò à Concilio Constantiensis pronuntiatum esse, potestatem Conciliis à Christo immediate datam, his certè casibus; si Papa sit hæreticus, vel schismaticus, vel dubius. At ego labens quæsiro, quo loco Christus, in illis speciatim casibus, eam potestatem Synodo immediate contulerit? Certè in Scripturis nullam invenimus à Christo in Ecclesiæ Ministros sive dispersos sive congregatos collatam potestatem, nisi ubi dicit: *Quodcumque ligaveritis: quodcumque solveritis, &c.* & : *Si Ecclesiam non audierit, &c.* & : *Qui vos audit, me audit*, aliaque ejus generis: quæ qui dixerit ad hæretici, aut schismatici, aut omnino dubii Pontificis casum meritò pertinere, rideatur. Certum est ergò intelligi hæc universim dicta, neque aliter pertinere ad illos speciatim casus, nisi quòd universim dictis, hos quoque speciales casus comprehendi necesse sit.

Quæ ratio Cardinalem Jacobatum de superioritate tractantem movit usque adeò, ut statim exclamaret (a): *Profectò iste passus mihi valde est difficilis; quia si*

con-

(a) Duv. loc. cit. part. 1. q. 2. p. 88. Jacob. lib. V. VII. IX. pass. vid. in alter. app. Labb.

(a) Jacob. lib. V.



concludam nullam potestatem clavium datam esse Ecclesiæ, quomodo poterimus dicere, quod Ecclesiæ & Concilium iudicet de titulo Papatus, quia sine Jurisdictione non rectè quis iudicat. Ac reverà, Synodus quo iure iudicat de Papatu litigantes? Pontificem hæreticum, quo iure deponit, seu declarat depositum? Quo iure tot aliis in casibus ab ipso Jacobatio probatis, invito Pontifice, Synodus seipsa colligit, ut delinquentem moneat atque corripiat: à quo eam omnem subito accipit potestatem, si nullam à Christo immediatè potestatem Jurisdictionis accipit? An fortè à Pontifice in ipsum Pontificem? At revocare posset positivo tantum iure concessam, cuius dominum esse volunt. An fortè quod scriptum sit: *Hæreticum devota* (a); quamquam id haud magis ad Pontificem spectat, quam ad quoscunque alios? Sed etiam scriptum est, *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè* (b): neque tantum de hæreticis; verum etiam de fornicariis, avaris, ebriosis, cæterisque scriptum est, *cum huiusmodi nec cibum sumere* (c); ut si hæc & similia in certis casibus videantur dare Episcopis aliquam potestatem, ea ad alios casus æquo iure trahatur. Non alia tamen huius causæ præsidia apud doctissimos invenias; nisi fortè addas rationem naturalem & jus naturale defensionis, & ipsam necessitatem, & alia ejusmodi; quæ utcumque se habeant, certè patere longius quam ad schisma & hæresim alii contenderint. Quare nulla solutio est, nisi nobiscum agnoveris, & generatim traditam à Christo potestatem esse, & huius administrandæ rationem à Patrum Traditione esse repetendam.

(a) Tit. III. 10. (b) II. Thess. III. 6.

[c] I. Cor. V. 11.

## CAPUT X.

*De infallibilitate, positis quæ necessario conceduntur, nullam superesse veram difficultatem: unum ALBERTUM PIGHIUM consentanea dixisse, sed nova, & inaudita, & ferè ab omnibus sprete, in quæ tamen adversarii necessario deducuntur, si sua coherentè tueri velint.*

**E**RGÓ jam sola occurrit de infallibilitate difficultas, & illud: (a) *Regavi pro te, ne deficiat fides tua, ne alii cribrentur, & in areâ ventilentur: Confirma fratres tuos petreæ firmitate: & illud: (b) Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam; idèò, inquit, quia ædificata est super illam petram. Quæ si ita valent, ut Pontificiæ infallibilitatis propugnatores urgent, Pontificem per se petram, ipsa Ecclesiæ per eam sustentata firmiorem esse necesse sit; neque rem aliter se habere contendunt. Verum id refugit animus. Quæ proinde petra, ipsa Ecclesiæ per eam sustentata sit firmior, expendamus. Atque ego hic si Scripturam penitus, per avitam ac perpetuam Traditionem explicare cœpero, agam præposterè, qui in ipso limine totum ædificium collocare aggrediar. Placet ergò ad ipsum recurrere quæstionis fontem, & quæ inter Catholicos certa sint memorare. Ac professò certum est, ferè omnium consensu, præter Albertum Pighium, nec memoratu dignum; certum, inquam, errorem à Pontifice, non modò intus credi, sed etiam palam doceri ac prædicari posse, quod Joannem XXII. fecisse satis constat: & quod Joanni XXII. non contigit, certum est prædicari posse usque adèò contumaciter, ut ejus pervi-*

ca-

[a] Luc. XXII. 32.

[b] Matt. XVI. 18.



caciæ causâ , ut hæreticum & infidelem deponi necesse sit . At id Ecclesiæ evenire posse , ut sit hæretica & infidelis , nemo , nisi impius & hæreticus ausit asserere . Ergo absurdissimum est non esse Ecclesiam Romano Pontifice firmiorem . Tum Ecclesiam errare non posse certa & Catholica fide ab omnibus creditur , & apertè est in Apostolico Symbolo pronuntiatum , quo Papa ipse salvus est : *Credo in Spiritum Sanctum , Sanctam Ecclesiam Catholicam* . De Pontifice , quatenus separatim , etiam ut Pontifex , sententiam dicit , inter Sanctos & Catholicos adhuc litigatur . Partim asserunt , partim dubitant , partim negant , & ab Ecclesia ipsa post motam quæstionem à tot jam sæculis saltem suspensa sententia est . Falsum ergo & commentitium , ne quid dicam gravius , majorem esse in Pontifice quam in ipsa Ecclesia firmitudinem ; imò verò absurdum in Ecclesia non esse majorem , quæ certiore auctoritate & Traditione constet . Hæc interim ex communi omnium sententia ; nunc rem funditus excutere liceat .

Jam illud , *Rogavi pro te , ut non deficiat fides tua* , certum est intelligi de ipsa interiori fide , qua Christo corde creditur . Notum illud Augustini : (a) *Quando rogavit pro Petro , ne fides ejus deficeret , quid aliud rogavit , nisi ut haberet in fide liberrimam , fortissimam , invictissimam , perseverantissimam voluntatem ?* Ita deinde sentiunt omnes interpretes : ipse Cajetanus in Lucam XXII. 32. (b) *UT NON DEFICIAT FIDES TUA , non dicit , ut non deficiat charitas tua : non dicit ut non deficiat confessio fidei tuæ ; sed fides tua , quæ est in corde .* Ergo ista promissio nemini

convenit , nisi ei in cujus corde certum sit numquam defecturam fidem . Non autem talis est Romanus Pontifex : non ergo profectò hæc ei promissio convenit ; neque hic distingui potest inter personam privatam & publicam ; tanquam Romanus Pontifex saltem quæstionem fidei judicaturus , infidelis aut hæreticus in corde esse non possit . Neque enim id ei tribuere audent ; sed eò se tumentur quòd Deus ab infideli veritatem extorqueat , ut à Caiphâ Prophetiam , ab asinâ Balaam vocem : quæ exempla non conveniunt ei qui intus sit fidelis . Ergo nec asserere audent , Romano Pontifici promissum à Christo , ut publicam personam agens , fide non careat . Quare interpretes aliud quæsisse videmus , in quo fides non deficeret : nempe vel ipsum Petrum , quem in fide confirmatum esse constat ; vel sub Petri nomine ac figurâ , Ecclesiam universalem , Romanamve peculiarem , ut Ecclesiæ universalis caput . Hæ enim solæ sunt quæ , ipsa intus in habitante fide ex Christi promissio , eâ carere non posse credant . Quo uno omnis adversariorum argumentatio statim corrui . Quin ipse Duvalius apertè jam edixit ad illum de Petro locum responderi posse : (a) *Christum rogando pro Petro , pro Ecclesia universali in eo representata rogasse ; atque hanc responsionem eatenus probat , ut ab omni erroris notâ eximatur , quod hic nobis sufficit .*

Hic respondere solent , in Christi promissione seu precatione illâ singulari , respectu quidem Petri fidem ipsam intelligi , qua intus creditur ; at in successoribus saltem intelligi fidei professionem qua Fratres confirmantur . Quæ responsio non satis sibi constat ; variumque hoc & arbitrium ad arbitraria nos

& in-

(a) August. de corrept. & grat. c. VIII. a. 17. tom. X. pag. 759.

(b) Cajetan. comm.

[a] Duv. de sup. R. P. pot. part. IV. q. VIII. p. 211. edit. 1614.



& incerta deducet : quique ita interpretantur , semel loco moti , & à literæ quam tueri velle videbantur simplicitate dejecti , ad alia atque alia facile propellantur . Quare ne stare quidem possunt in ipsâ , quæ Romano Pontifici promissa à Christo fuerit , fidei professione , ut fratres confirmet : tanquam ei officio Romanus Pontifex deesse non possit . Ecce enim fatentur à Summo Pontifice doceri posse & prædicari hæresim ad contumaciam usque , cuius contumaciæ nomine , vel sit ipso jure depositus , vel saltem deponendus . Audivimus confidentes uno ore omnes , & Canon , si Papa , id clarè efficit , atque in Petri Ecclesia , hoc est in Romana , omnium Ecclesiarum matre ac Magistrâ , prædicare Petri fidem , ad personam publicam & ad officium confirmandi fratres procul dubio pertinebat . Cui tamen officio deesse posse Pontificem necesse est fateare . An fortè placeat id , quodd Romanus Pontifex hæresim ultrò docere ac prædicare possit , consultus pro Pontificii officii debito , non possit ? Quanquam id absurdum est [ nulla in Christi verbis consultationis vel minima mentione ] vim in consultatione facere ; tamen , ne tu quidem illud , quo refugis , diu tueare .

Adfunt enim mihi Melchior Canus , Bellarminus Cardinalis , Odoricus Rainaldus , & alii Pontificiæ infallibilitatis defensores , qui te ab hac arce dejiciant . Omnes enim consentunt non deesse responsa Romanorum Pontificum , etiam in corpore Juris , quæ cum Ecclesiæ Traditione , & Evangelicâ veritate stare omnino non possint . Res enim in confessio est ; atque hos secutus Nicolaus Dubois , hæc novissimè scripsit : (a) *Aliquando super casibus propositis aliqui ( Pontifices ) rescripserunt , secundum opinionem illorum tempore probabilem .*

[a] Disq. art. I. n. 7.

Quid est , rescripserunt ? Consulti responderunt , hoc enim est rescriptum . Unde omnia pene jura conflata sunt . At opinionem probabilem vocat certissime falsam , & Evangelio repugnantem . Sic enim refert : *Stephanus II. anno circiter 752. in responsis capite II. dixerat : (a) si quis se in conjugio copulaverit , & uni eorum contigerit , ut debitum reddere non possit , non liceat eos separare ; nec pro alia infirmitate , excepto si Dæmonii infirmitas , aut lepræ macula supervenerit .* Addit Disquisitor : *Hoc responsum de dissolutione quoad vinculum docti intelligunt .* Ergo rescriptum docti intelligunt eo protecto sensu , qui cum Evangelio stare non possit .

Quid memorem alia ejusdem Papæ responsa , atque imprimis illud : (b) *Si quis in vino , propterea quod aquam non inveniebat , omnino periclitantem infantem baptizavit , nulla ei adscribitur culpa . Infantes sic permaneant in ipso baptismo .* Quo responso & baptizans in errore firmatur , & infans Christiano baptismo caret . Quid illud Gregorii II. ad Sancti Bonifacii Moguntini interrogata respondentis , *ut novum conjugium permittatur viro , si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum reddere* (c) . Quam responsum idem Gregorius vocat *Apostolici vigoris doctrinam* , eamque traditam per *Beatum Petrum* , à quo & *Apostolatus & Episcopatus principium extitit* . Quæ verba præ se ferunt Pontificii responsi plenam auctoritatem , & tamen responsum illud , ut Gratiani [d] verbis utar , *Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum* . Nec illud quisquam diffitetur . Quid quod Cælestinus III. (e)

ma-

(a) Ib. n. 9. Resp. Steph. II. cap. II. To. II. Conc. Gall. pag. 14. (b) Steph. II. ib. cap. XI. [c] Eiusd. ep. IX. tom. I. Conc. Gall. pag. 519. 520. (d) Dist. XXXII. quæst. VII. (e) Vid. decr. Gregor. IX. lib. IV. tit. XIX. de divort. cap. VII. quanto .



matrimonii vinculum inter Christianos, superveniente alterutrius infidelitate, solverat, errore manifesto contra Evangelium; unde ejus decretalem vetustis insertam collectionibus Innocentius III. reprobavit.

Possem hic commemorare Liberium, possem Honorium, possem alios; sed huic loco ista sufficiant. Nempè hæc in confesso sunt, atque à Bellarmino, & aliis quoque qui recens contra nos insurgunt, id extorquemus, ut Romani Pontifices pro officio consulti, falsa, ac sanæ doctrinæ adversa responderint; nempè inquiunt, eatenus probabilia, necdum ab Ecclesia definita sectati. Tanquam non id eis officii incumberet, ut doctrinis peregrinis & apertè falsis fallacem illam vanæ probabilitatis speciem ac larvam detraherent.

Neque Bellarminum juvat decantatum illud: Romanum Pontificem pro privato Doctore ista docuisse. Certè enim constat, ab iis qui interrogabant fuisse consultum, non ut virum doctum sed ut eum qui Apostolicæ cathedræ præsideret. Quo casu respondisse pro privato Doctore manifesto ludibrio, nihil aliud erat, quàm Apostolico officio defuisse.

Neque plaris valet quod jactant, responsa ista esse particularia, ad homines scilicet, vel ad Ecclesias singulares, non ea quæ universam spectent Ecclesiam. Etènim ad officium confirmandi fratres pocul dubio pertinebat, ut Romani Pontifices, non tantum ad ea responderent quæ universam Ecclesiam, sed etiam ad ea quæ spectarent singulares Ecclesias; imò etiam ad ea quæ privatos homines, de salutis negotio consulentes eum, quem proposuit Deus, non tantum omnibus, sed etiam singulis.

Ea tamen omittamus: veniamus ad id in quo vim collocant: nempè id fieri non posse, ut Romanus Pontifex declarandæ fidei officio desit, cum res in

eo vertatur cardine, ut toti Ecclesiæ proponenda sit fides. Ad id ergò redigis illud, *confirma fratres tuos*. At quanquam erat præstabilius hunc locum semel omittere, quàm ei tot alienas neque à Christo judicatas insarcire sententias, accipio conditionem, & contendo rem ipsam, ex iis quæ concessa sunt, jam esse confectam. Casum enim ponamus hunc: quæstio de fide instituitur, ad eam definiendam Concilium generale convenit. Quid hîc Turrecremata, quid Jacobatius, alique Pontificiæ auctoritatis vehementissimi defensores dixerint, recordemur. Id scilicet, tum fieri posse ut Papa à Concilio dissentiat, & quidem ad finem usque, & invito eo Concilium definat, & Pontificis judicium sententiamque spernat, & valeat Concilii decretum, & ab ipso Concilio Pontifex deponatur. An fortè tum vacat officium confirmans fratres? Absit; sed Pontifex in ipso definiendo fidei cardine, suo officio planissime defuerit.

An fortè dices, non esse tunc necessarium Papæ officium, cum Concilium adsit, à quo suppleri possit? Quamquam illud vanum est, nec licet Christi verba urgere, aut omittere ad arbitrium, admittamus tamen. Hîc in promptu mihi est respondere illud, non quidem semper adesse Concilium, sed semper adesse Ecclesiam, semper Spiritum Sanctum, qui quocumque ritu prolatam à Papâ sententiam, si ea quidem falsa sit, prævalere vetet.

At instant, & id validissimum putant, obedire oportere decernenti Pontifici, cum non adsit Concilium, quo ejus sententia dissolvatur; adeoque si tunc erraret Pontifex, tota cogeretur (id quidem mirum) Ecclesia in errorem. Jam ergò sit ut vis: sit firmum fixumque, ut nullo casu liceat Pontificia jussa detrectare. At non id ipse dicebas, cum alia tractarem. Obedire certè Romano Pontifici dicebas necessarium



rium, cum hâc exceptione, nisi contra divina præcepta, contra Canones summe necessarios, contra publicam Ecclesiæ tranquillitatem aliquid edixerit. At quantò æquior erit excusatio, si contra ipsam fidem? At enim id possibile non est: assertionem tuam audio, probationem requiro, volvis nos in circulum, uno verbo principium petis: Papæ obediendum est in fidei negotio, quia est infallibilis: infallibilis est, quia obediendum ei est in fidei negotio. Nos clarè decreta ejus de fide eandem ac reliqua habere exceptionem, nempe hanc, nisi quid contra Dei leges ac Traditionem edixerit, sin tale quid edixerit, eatenus obediendum, ut ne scandala fiant, ut Concilii judicium modeste expectetur, efficaciterque requiratur, non sanè ut pro certis fixisque, incerta ac suspensa habeantur.

Id alio quoque modo confici potest; quæro Pontifex Hæreticus & professus hæresim, ac sic ipso jure, ut passim ajunt, depositus, eone privilegio gaudet, ut non possit eam quam profitemur hæresim Decreto facto statuere? Si respondes non posse; ingens privilegium tu mihi narras Pontificis ipso jure dejecti. Quod si posse responderis, eò quòd Pontificis jam hæresim professi sententia nulla sit, utpotè ab eo profecta qui sit jure quidem, etsi nondum effectū depositus, tūm ego respondebo, si hæresim ipso statim Decreto prodat, non eò magis tale Decretum valitarum fore; imò quæcumque ejusmodi sunt, quocumque tempore, modòque prolata, statim vacua auctoritate esse ac ne ad cathedram quidem pertinere; nedūm ab Episcopis promulgentur, aut illis ea, quæ ex Fide est, obedientia præbeatur.

Ergo, inquis, non Concilium tantum, sed singulos Episcopos Papæ judices facis. Egone? Haud equidem magis ac tu, cum Pontifici, Canones solvendi, simoniam exercenti, contra

Dei jussa præcipienti, in necessaria causa, quodcumque occurrerit, Concilium neganti, ac sibi repugnantes sine discrimine excommunicanti parendum esse negas: suspendi enim rem eo casu, ex certa & necessaria causa, non autem Pontificem sine Concilio Œcumenico judicari, tecum certè dicimus. At interrim, inquires, qui disenserit pelletur pro Hæretico: at ille qui in aliis à te comprobatis casibus non obediit, pelletur pro contumace & rebeli. Rectene ansecus, quæstio erit, eaque, si tanta res sit, à tota Ecclesia judicanda. At Fides, inquires, suborta quæstione, non potest esse in suspenso. Quasi verò, te fatente, in suspenso non sit aliquatenus, antequam ab ipso Papa sententia proferatur.

Quid hic sequi debes? Nempe id quod Augustinus habet in quæstione de hæreticis rebaptizandis: vetustæ consuetudinis robore ac Traditione teneri ac sustentari Ecclesiam, quoad, expensa sententia, quæstio finiatur. Rectum id & probum. Sed nos quoque eo utamur. Certè nihil omnino obijcere potes, quod non in te statim invisto robore refundamus & retorqeamus. Quæ mihi cogitanti atque animo, ut par est, sæpè revolventi, unus semper visus est Albertus Pighius, ut falsa & absurda, (a) ita consentanea & apta dixisse. Posteaquam enim semel statuit illud, *Ne deficiat Fides tua*, & de vera Fide, quam non modò profitemur; sed etiam habemus intus, & de omnibus ac singulis Petri successoribus esse dictum; consequenter sibi dicendum esse vidit, eorum neminem Hæreticum unquam esse potuisse, aut deinceps esse posse. Et ille quidem Caput, *si Papa*, primum haud multifacit, à privato auctore Sancto Bonifacio depromptum: tūm eam Capitis partem, qua dicitur non esse Papam judicandum, *nisi*

*esset*



*esset à Fide devius* , conditionalem esset , qua Bonifacius significet , *non se credere quod ita esse possit ; sed si forte esset* . Quo responso miros triumphos agit , & ineluctabilem aliis Pontificiæ superioritatis assertoribus difficultatem unum evasisse se gloriatur , uti jam vidimus . Neque enim eludi posse Concilii superioritatem in judicando Pontifice , nisi semel posito casum Hæresis in ipsum non posse cadere , eumque Hæreticum quin etiam nec mente captum esse non posse ; ut profectò mirum sit , cur non eodem impetu impeccabilem fecerit , unoque responso omnia incommoda propulsaverit . Hæc ille omnium primus , & contra omnium mentem , ut ipse profitetur : *Non sum enim nescius* , inquit , *in ipso statim limine exclamatuos quosdam per se malè affectos Hierarchiæ Ecclesiasticæ , adulari hic nos Romanis Pontificibus , & ex hominibus Deos facere , qui negamus eos posse fieri Hæreticos , quod concedit Schola Canonistarum universa , ex Capite , SI PAPA ( a ) : quod & Theologi omnes quicumque hac de re prodiderunt & scripserunt aliquid* . En quæ statim præferant talium assertores *per se malè affectos Hierarchiæ* , qui hæc adulatoria magis quam vera suspicentur . Eam verò sententiam Bellarminus & Suarez probabilis ac pietatis nomine amplectuntur , adeò probabilitati ac pietati parum officere putant , ab omnibus quotquot sunt Canonitis & Theologis diffusisse .

Cæteri verò infallibilitatis Pontificiæ defensores passim cum Melchior Cano ( b ) Alberti Pighii *novam opinionem aspernantur* , & Caput , *Si Papa* , aliosque ejusdem sensus nativa ac propria significatione & omnium Scriptorum consensione confirmant ; qui tamen cum à Pighio discedunt , sua labefactant . Maximo enim

argumento est eos omnes à vera Christi sententia aberrasse , cum eum ipsum contemptum & solitarium relinquant , qui omnium congruentissima atque aptissima in medium attulerit .

Urgebit enim ille & à Christo fidem ipsam , non fidei professionem tantum esse promissam ; & , *confirma fratres tuos* dictum latissimè de toto Pontificali munere , circa quæstiones fidei exequendo , non de eo tantum quo toti Ecclesiæ aliquid proponatur ; ac , si vel in uno vacillet promissa fides , in toto vacillare , & semel admissa interpretatione arbitraria , vim omnem hujus textus solutam , atque aliis patere januam qua sua quoque introducant .

Hic , si ratione victi , ad Conciliorum , Patrum , ipsorumque Pontificum Traditionem se conferant , id quidem facere & nobis gestit animus ; sed cohibendus est impetus , nec placet alteri loco ponere , quæ suo reservantur . Satis erit ex iis quæ ipsi adversarii concesserunt , atque omnino ex ipso quæstionis statu , ostendisse , nihil nos premi locis Evangelicis quos urgebant , iisque rationibus quas invictas putabant : quin , nostram doctrinam , undecumque aggrediantur , in tuto esse positam , atque adversarios ad vana & ludicra referentes magnum fidei mysterium , omnino frustrà esse , neque immeritò dixisse Duvalium ( a ) , nullos esse Scripturæ locos , nulla Ecclesiæ Decreta , quibus Pontificia , sive superioritas , sive infallibilitas demonstratur .

CA-

( a ) Dist. XL.

( b ) Melch. Can. lib. 6. c. 23.

[ a ] Duvalius p. 4. quæst. 7. 8.



## CAPUT XI.

Ex his consequi Romanos Pontifices in hac quæstione non se commoturos, cuius rei multa sunt argumenta: primum, ex Declarationibus Sacræ Facultatis anno 1663. toto Regno promulgatis, ipsis Pontificibus nihil conquerentibus.

**Q**UÆ cū ita sint, Romani Pontifices ad tam exilia redigi fidei quæstionem haud sese omnino commoveri sinent; fremant multi licet, impetu magis, ut vidimus, quam ratione incitati, in Articulos Gallicanos, ut Sedis Apostolicæ censuram provocent. Non illa à prisca gravitate discedet, aut innocuam sententiam, post tot sæcula condemnabit. Cujus quidem rei duo hîc argumenta proferemus. Ac primum. Plus viginti anni sunt (a) ex quo editæ fuere declarationes Facultatis Parisiensis factæ apud Regem super quibusdam propositionibus, quas nonnulli voluerunt adscribere eidem Facultati, die 8. Maii 1663.

1. Non esse doctrinam Facultatis, quod Summus Pontifex aliquam in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem habeat: Imò Facultatem semper obstitisse, etiam iis, qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt.

2. Esse doctrinam Facultatis ejusdem, quod Rex Christianissimus nullum omnino agnoscit, nec habet in temporalibus superiorem, præter Deum; eamque suam esse antiquam doctrinam, à qua nunquam recessura est.

3. Doctrinam Facultatis esse quod subditi fidem & obedientiam Regi Christianissimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu dispensari possint.

4. Doctrinam Facultatis esse, non pro-

(a) Apud d'Argentr.

bare, nec unquam probasse propositiones ullas Regis Christianissimi auctoritati aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias V. G. quod Summus Pontifex possit deponere Episcopos, adversus eosdem Canones.

5. Doctrinam Facultatis non esse quod Summus Pontifex sit supra Concilium Œcumenicum.

6. Non esse doctrinam vel dogma Facultatis, quod Summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiæ consensu sit infallibilis.

Hî sex articuli continebant ea, quæ Regi Christianissimo declaranda erant, ex parte Facultatis per os illustrissimi Domini Archiepiscopi Parisiensis designati, cum amplissimo comitatu Magistrorum ejusdem.

Quæ cū à deputatis, juxta Decretum pridie in Congregatione Generali factum, deliberata essent, eadem die octava mensis, illustrissimus Parisiensis Archiepiscopus designatus Harduinus de Perefixe, easdem declarationes pronuntiavit apud Christianissimum Regem nostrum Ludovicum XIV. cū secum adessent quàm plurimi Sacræ Facultatis Theologiæ Doctores, secundum quod statutum fuerat in Conventu ejusdem Facultatis.

Hæ declarationes Sacræ Facultatis, re ac sententia planè conveniunt cum Declaratione Cleri Gallicani. Et quidem quod attinet ad Regiam potestatem, ab omni depositionis metu absolvendam, nulla est difficultas, neque verò obstat quod duæ postremæ Declarationes in negativam formam conscriptæ fuerint: Non est doctrina Facultatis quod Summus Pontifex sit supra Concilium, aut sit infallibilis, nullo accedente Ecclesiæ consensu. Hac enim negativa forma Sacra Facultas sufficienter declarabat, quàm graviter ferret has propositiones adscribi sibi, quemadmodum ipse titulus à nobis relatus præferebat. Et quidem adeò graviter tulit, ut id ipsi Regi per



per tantum Archiepiscopum, ejus Præceptorem, Facultatis Doctorem, ac Sorbonæ Proviforem, magno cum comitatu publicè declararet.

Neque verò ita mentem declaravit fuam, ut utramque quæstionis partem indifferentem haberet: quod ut fieret ita pronuntiandum esset: *non esse doctrinam Facultatis Pontificiam superiorem esse*, neque item *ejus doctrinam esse*, *non esse superiorem*; sed unam dumtaxat partem averfata Facultas, nempe quod Pontifex superior esset, significavit se maximè metuiffe ne alteri parti faviffe videretur. Idem de infallibilitate dicendum est.

Quis autem ferat tam gravem Magistrorum Theologiæ cœtum ac tam celebrem Facultatem tanto studio amoliri à se, non dicam quæ fide certa sint, aut cum fide conjuncta, aut quocumque modo, necessariò propugnanda; verum etiam ea quæ usquequaque tuta & innocua essent? Fac enim Facultatem declarare sic: *Non est doctrina Facultatis Ecclesiam esse infallibilem*; impium erit & Hæreticum, cum id averfetur, quod fide certum est. Fac autem declarare sic, exempli gratia: *Non est doctrina Facultatis gratiam per se efficacem stare cum libero arbitrio, verâque & activâ indifferentiâ*: absurdum erit tanto studio avetere à se, quod sit usquequaque tutum & innocuum.

Quare quocumque sensu Sacræ Facultatis Declarationes accipias, certum omninò erit eam propullare à se aliquid voluisse, quod sibi vitio dari intelligeret & indecorum sibi esse arbitraretur. Certè quod nemo negare possit, id pro explorato habebat, non esse à Catholicis necessariò propugnanda quæ à se amoveret; adeòque saltem doctrinam quæ Pontificiam superioritatem, ac infallibilitatem negaret, ab omni censura esse liberam, quod ad hanc quæstionem sufficit.

Imò verò id sufficit ut pro certo

asseratur, quod nemo sanus, rebus ut sunt constitutis, inficiari possit; Pontificium judicium in rebus fidei non posse absolutè esse supremum, cum dubia infallibilitas id habere non possit. Quin etiam quid sit dubia infallibilitas, ne quidem intelligi potest. Quo enim pertinet infallibilem esse, qui non certò infallibilis agnoscat? Nam Christus tale munus in Ecclesia sua ordinarium nemini concesserit, nisi Ecclesiæ profuturum; atqui profuturum non est, quod non ipsi Ecclesiæ reveletur, vel non ita reveletur ut à Conciliis atque à Pontificibus, mota saltem quæstione, agnosci ac definiri queat. Quòd enim non fuerit ita revelatum, involutum potius quàm revelatum dixerim. Liceat ergò dicere reputari à Facultate ut nullum, quod ab eadem saltem ut dubium asseratur. Quæ cum vera omninò sint, tum illud profectò certissimum, Articulos Facultatis, uti nos diximus, cum Cleri Gallicani Articulis re ac sententia convenire; quanquam Episcopi in tantum congregati cœtum, tantòque succincti Presbyterio, sui officii esse duxerint, ut mentem rotundius ac simplicius promerent.

Atque ea doctrina erat, quam perferri Facultas suo nomine vellet ad Christianissimum Regem, ab eo Archiepiscopo, quo præceptore, Religionis prima elementa hauserat: ut eò magis hæeret memoriæ, quò splendidius, tanti quoque Præfulis ac regiæ urbis futuri Pontificis interventu, relata, atque auctoritate confirmata erant.

Nemo verò nescit Illustrissimum Archiepiscopum Sedis Apostolicæ studiosissimum fuisse, ut profectò nihil unquam asserre vellet tanto discipulo, quòd à Sedis Apostolicæ majestatem ac vera pietatem abhorreret.

Ex declarationes sunt postea ad Parlamentum perlata à Decano & Syndico, aliisque Doctoribus nostræ Facultatis in eam rem accersitis, summòque omnium plau-



plausu acceptæ, Curiz quoque actis insertæ sunt, atque ad omnia deinde Tribunalia transmissæ, vetitumque, ne quid contrarium doceretur. Quod Senatusconsultum 30. Maii 1663. gravissima auctoritate perscriptum est.

Denique Declarationes eadem à Christianissimo Rege ad omnia Parlamenta missæ, Edicto edito 4. Augusti 1663. vetitumque item, ne quid contrarium doceretur gravi interminatione, eaque formula, quæ Regia auctoritas maximè explicetur.

Quæ tam solemnî ritu toto Regno per-  
vulgata ac promulgata, neque Alexander VII. tùm in Cathedra Petri sedens, neque secuti Summi Pontifices unquam improbarunt, aut eà de re questi sunt, cùm idem Alexander VII. censuras Facultatis aliquas consecutas, dato Diplomate, improbarit. Illud quidem Diploma ejusmodi est, ut forma in Regno recepta & consueta neque in Galliam transmissum, neque omnino sit cognitum, quod quidem per sese est maximum; sed illud multo majus ac certius, quod Sacræ Facultatis declarationes solemnissimo ritu promulgatas, Romani, nullo Decreto læsas, sed prorsus intactas esse voluerint: quo argumento certi sumus, à Sede Apostolica doctrinam nostram haberi saltem, ut eam quæ nulla censura notari ac prohiberi possit.

## CAPUT XII.

*Expositio Doctrinæ Catholicæ Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Meldensis Episcopi in medium adducitur: Duo Innocentii XI. Brevia ad eam approbandam: His consentiens Perronii Cardinalis locus.*

**I**DEM comprobamus altero argumento, & Innocentii XI. hodie sedentis gravissima auctoritate. Jam non mo-

dò toti Regno, sed toti Orbi Christiano notus est libellus Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Meldensis Episcopi, Serenissimi Delphini Præceptoris, cui titulus: *Expositio Doctrinæ Catholicæ* anno 1671. Gallicè editus, non modo in Latinam linguam, verum etiam in Germanicam, Anglicanam, Hibernicam, Belgicam denique ac Italicam versus, quæ Italica versio Romæ est edita anno 1673. typis Congregationis de propaganda fide, ejusque Congregationis Cardinalibus summâ cum operis commendatione inscriptus: item cum approbatione summorum virorum Michaelis Angeli Riccii, & Laurentii Brancati de Laureâ, postea Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, ac Stephani Gradi Abbatibus, viri doctissimi ac facundissimi, Bibliothecæ Vaticanæ Præfetti: item cum approbatione & permissione Raymundi Capisucchii, tunc sacri Palatii Magistri, nunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ amplissimi Cardinalis, qui omnes, cùm in Congregatione sancti Officii, sive generalis Inquisitionis, præcipuis muneribus fungerentur, hujus libri doctrinam miris laudibus extulerunt. Antecesserat per literas, iisdem cum laudibus, approbatio ipsius Cardinalis Bona, quem nominasse, laudasse est, Sigismundi Chigii item Cardinalis, atque Hyacinthi Libelli, tum Sacri Palatii Magistri, ac postea Archiepiscopi Avenionensis, cujus memoria in benedictione est, virorum ornatissimorum approbatio. Quas approbationes videre est in eâ editione libelli, quæ anno 1679. præfixa auctoris admonitione, adornata est. Sed omnem commendationem exsuperat Breve Apostolicum Innocentii XI. ad eundem Episcopum in hæc verba scriptum, quod in eadem editione visitur: *Venerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem.* (a) *Libellus de Catholicæ fidei*

ex.

[a] Vid. ant. lib. expof,



expositione, à fraternitate tua compositus, nobisque oblatus, ea doctrina eaque methodo ac prudentia scriptus est, ut perspicua brevitate legentes doceat, & extorquere possit etiam ab invitis Catholicæ veritatis confessionem. Itaque non solum à nobis commendari, sed ab omnibus legi atque in pretio haberi meretur. Ex eo sanè non mediocres in orthodoxæ fidei propagationem, quæ nos præcipuè cura intentos ac sollicitos habet, utilitates redundaturas, Deo bene juvante, confidimus; ac vetus interim nostra de tua virtute ac pietate opinio comprobatur, &c. Quæ nemo pius bonusque sine summâ animi voluptate legerit; adèd Apostolicam pariter gravitatem ac pietatem spirant. Datum 4. Januarii 1679.

Cum autem utilissimi libelli auctor articulos fidei, pro instituto se crevisset ab eâ doctrinâ, quam vel omnino falsam, vel non eadem fide certam, hæretici Ecclesiæ Catholicæ tanquam ejus dogma necessarium imputarent, devenit ad eum locum, quo de sede Apostolica vera Ecclesiæ fides exponenda esset. Eam autem ita exposuit, ut hæc stabiliret tantum: nempe, *Ecclesiam unitate nixam, (a) tuendæ ac firmandæ unitati Primatum S. Petri à Christo institutum, sedemque Apostolicam hujus unitatis centrum ac radicem esse, ac propterea Petri successoribus deberi obedientiam eam, quam Concilia ac Patres semper agnoverint.*

Hæc erant quæ certâ fide stabilita esse vellet; hoc est, ea tantum in quæ omnes Catholici consentirent. Quibus explicatis D. Meldensis etiam hoc addidit: [b] *Quod attinet ad ea de quibus in scholis variæ sunt ac discrepantes sententiæ, etsi Ministri ea Catholicæ Ec-*

*clesiæ imputare solent, ut Pontificiæ potestati invidiam consulent, nihil attinet hic commemorari, cum de fide Catholica non sint. Sufficit agnoscere Caput à Deo institutum, ad gregem universum in via Domini gubernandum.*

Vides quid sufficere D. Meldensis dixerit, quid deinde Romani Doctores, atque etiam Cardinales, & ipse etiam summus Pontifex approbarit: nempe, id sufficere de quo omnes consentiant; alia, de quibus in scholis disputatur, sive superioritatem, sive infallibilitatem spectent, sive illam directam vel indirectam in temporalibus potestatem, non esse necessaria; atque id Nationes omnes Christianæ, dum huic libro applaudunt, & ipse Innocentius XI. confitetur.

Nec mirum ita esse quætionem à doctissimo Antistite constitutam, aut his comprehensam finibus ab omnibus Catholicis, ipsoque adèd summo Pontifice comprobata; cum pridem Pius IV. ac Tridentina Synodus, & ante, Florentina & Eugenius IV. alique Pontifices, in eo voluerint fidem collocatam, de quo omnes convenirent.

Quare qui Controversias optimè tradiderunt, iisdem finibus quætionem circumscriptam volunt. Notum illud doctissimi Cardinalis Peronii (a) in epitola ad Casaubonum, Apologiæ præfixâ: *Ecclesiam Romanam radicem Episcopalis unitatis & Ecclesiasticæ communionis esse . . . eique ab omni antiquitate delatum esse Primatum, & præfecturam earum rerum quæ ad religionem & Ecclesiam pertinerent, idque unum esse quod Ecclesia postulet ab iis, qui ejus communionem amplectantur: quâ tessera secernat societatem suam à Græcis eorumque assensibus, qui se à visibili ac ministeriali Ecclesiæ Capite ab aliquot sæculis segregarunt.*

Ex his doctissimi Cardinalis verbis disci-

(a) Exp. art. XXI. (b) Ibid.

[a] Duperr. repl. &c. ep. ad Casaub.



discimus id quidem ab omnibus agnoscendum esse, quo Ecclesia ab hæreticis feceratur, non autem id quo Scholæ Doctores à se mutuo differant. Atque id Vir maximus luculentius (a) postea exponit his verbis: *Quæstio de auctoritate Papæ inter Catholicos agitata sive in spiritualibus, respectu Conciliorum Ecumenicorum, sive in temporalibus, respectu jurisdictionum secularium, quatenus salutis animarum obsunt, non est quæstio ejusmodi, quæ res complectatur ab alterutra parte inter articulos fidei recensitas, aut quæ ab iis exigantur qui ad Ecclesiam redeunt; ita ut alii alios pro hæreticis habeant, aut à se mutuo quoad communionis vinculum separentur. Quare ea omnia communioni Ecclesiasticæ sarcinæ impedimento esse non possunt; cum hujus conditionis sint, ut quancumque partem serenissimus Rex amplectatur, haud eò secius ab utraque parte jus & nomen Catholici obtineat. Quare ex doctissimi Cardinalis verbis, erroris, hæreseos atque omnino anathematis & excommunicationis metus; quocumque prætextu, procul abest ab iis opinionibus; reique essent Ecclesiæ violatæ pacis, qui eas sub excommunicationis metu prohibendas putarent.*

Quæ cum animadvertisset D. Meldensis Episcopus, eas opiniones, & omnibus notas, atque à præstantissimis Controversiarum auctoribus designatas, ad Catholicam fidem pertinere merito negat; quod iterum atque iterum inculcandum putavit in eâ monitione, quam suprâ memoravimus post Innocentii XI. approbationem suæ Expositioni (b) esse præfixam. Sic autem in ea legitur: *Neque miretur quis, tam facile approbatam Meldensis Episcopi Expositionem eam, quæ auctoritatem Sedi Apostolicæ divina institutione concessam, iis in rebus collocaret, de quibus scholæ Catholicæ om-*

*nes consentirent. Nihil enim eget Cathedra Petri concertationibus nostris; quodque in eâ Catholici omnes unanimi consensione venerantur, planè sufficit ad eam tuendam potestatem, quam sedes Apostolica ad ædificationem, non autem ad destructionem accepit. Vides iterum atque iterum quid sufficere edoceat. At hanc monitionem, uti diximus, Expositioni præfixam, cum idem Episcopus Innocentio XI. obtulisset, hoc tulit responsum: Venerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem. [a] Accepimus libellum de Catholica fidei expositione, quem, pia, eleganti, sapientique ad hæreticos in viam salutis reducendos, oratione auctum, reddi nobis curavit fraternitas tua, & quidem lubenti animo confirmamus uberes laudes quas tibi de præclaro opere merito tribuimus, & susceptas spes copiosi fructus exinde in Ecclesiam profecturi &c. Datum Romæ 12. Jul. 1679.*

Quæ cum sacro cœtui D. Meldensis Episcopus rogatus legeret, pietatem incomparabilem, charitatem ac prudentiam singularem Sancti Pontificis miris laudibus commendabat, quod, quantum in ipso esset, omnes difficultates remotas esse veller, quibus oves perditas laborare, atque ex grege suo aberrare intelliceret.

Nempè cum alia multa vera & utilia Summus Pontifex iterum atque iterum approbat, tum illud imprimis, Sedis Apostolicæ majestatem in his rebus esse positam, de quibus Catholici consentirent; idque ad ejus Sedis faciendam potestatem sufficere testatus, ex ea Expositione uberes fructus expectabat.

Neque falsus animo est: nam innumerales hæretici hac Expositione, seu potius sancti Pontificis auctoritate victi, ad unitatem redierunt, & redire porro pergunt: adeo necessarium erat cum in omni-

[a] Ib. lib. IV. pag. 745. (b) Expos. avert. edit. 1679.

(a) Vid. ant. expos.



omnibus articulis, tum in hunc maximè, quem hæretici omnium invidiosissimè proponebant, id clarè doceri, quod Ecclesia Catholica ut necessarium pariter, ac sufficiens postularet. Hoc enim factò, Catholicam doctrinam ex omni parte splendentem, nullo fastu turgidam, ubique moderatam, atque inter prærupta & extrema tutò incedentem, agnitam dilexerunt eique adhæserunt.

Jam si rescinderentur ea, & alia requirerentur, quàm quæ summi Pontifices, & maximè Pius IV. & ipse Innocentius XI. postulavit, quid aliud eveniret, quàm ut tot hominum millia deceptos se esse ab Ecclesia Catholica quererentur, atque eorum, quod absit, vacillaret fides; cæterorum vero odia concitarentur ea, quæ cum nullâ responsione lenire possemus, infelices animæ perderentur, & Sedis Apostolicæ, quam firmam & inconcussam esse oportet, labasceret auctoritas; Sedisque ejusdem majestatem indignum videretur, negare fidem in eo esse reponendam, in quo Catholici omnes uno ore consenserunt?

## CAPUT XIII.

*Explosa hæreseos, erroris, ac schismatis notæ, aliæ notæ excutiuntur: articulos Gallicanos neque esse temerarios, neque scandalosos, neque piarum aurium offensivos: vera pietas cum veritate & Traditione conjuncta: Censuræ vagæ & inconditæ: sancti Ambrosii locus: Prima Pars concluditur.*

**E**XPLSIS hæreseos, erroris ac schismatis, quas quidam inultas nobis volunt, notis, supervacaneum videri posset de aliis notis dicere; cum faciliè intelligatur ex dictis, Cleri Gallicani Declarationem tanta auctoritate nixam, nihil immodestè aut contumeliosè asserentem,

nihil novi Christianis auribus asserentem, neque temerariam, neque scandalosam, neque piarum aurium offensivam esse. Ne tamen aliquid omittere videamur, has quoque perpendamus notas.

Non deerunt fortè rerum Ecclesiasticarum imperiti, qui Patres Gallicanos eo nomine temeritatis accusent, quòd de primæ Sedis auctoritate, & quidem nullâ necessitate, statuere ac judicare videantur.

At illi, si qui sunt, Theologiam ne primo quidem, ut ajunt, limine salutârunt. Solet enim Theologia de Deo, divinisque personis, atque aliis fidei Christianæ mysteriis quæ tradita sunt, dicere summâ cum reverentiâ Divini Numinis. Eodem planè ritu de Sede Apostolicâ tractat, neque ullam sibi vindicat in ejus jura auctoritatem, cum ea, quæ de ipsa sint tradita exequitur & exponit. Ita Clerus Gallicanus magnum unitatis, pacisque mysterium in Sede Apostolica collocatum, cum omnibus Catholicis impensè veneratur: qua in re à Christo constituta sit ejus auctoritas, ne aliena, ne prava, ne invidiosa affingantur, summâ cum reverentiâ ex Patrum Traditione declarat.

Temerarium passim Theologi definiunt, quod novè, insolenter & audaciter nulla Doctorum auctoritate dicitur; quæ multum à nostris abesse ipsi adversarii consentunt, cum gravissimos nostræ sententiæ defensores nominent. At verò quantò magis ab omni temeritatis crimine nostros articulos eximemus, cum probationibus expeditis Conciliorum atque Pontificum decretis niti ostendemus? Est & ea, inquit Canus [a], temeraria propositio, quæ in doctrina fidei, cum celebris Universitatis communi decreto ac definitione pugnat. Quamquam enim circumferuntur articuli Parisienses, qui non sunt fidei articuli omnes, quoniam ne hanc



*hanc quidem vel longissimè tangunt; sed ejus Academia tamen de fide & religione fixa constantiaque decreta semper Christi Ecclesia suscepit; qui verò contempserunt, inaniaque & levia ac pro nihilo existimaverunt, omnes ad unum periclitati sunt. Qua regula non profectò nos, sed ii sunt temerarii vel maximè, qui nos Parisiensis Academiae defensores exosi, etiam temeritatis, quodque est gravius, erroris ac schismatis acculant.*

An forsitan temerè allata sunt in medium, quæ tractari necessitas nulla coegbat? Verùm aliud est nova sine necessitate quærere, aliud vetera & ab antiquis sæpè tractata, atque ab ipsis Synodis Constantiensi & aliis, summâ necessitate quæsitâ & decisa retinere. Cur autem ea repeterent Gallicani Patres, in præfatione Declarationis atque in epistola ad Episcopos scripta, causas idoneas protulerunt, quas æqua posteritas probatura sit, neque jam improben- ti, qui necessariam doctrinam omni arte opprimi atque obliterari pridem ingemiscebant.

Neque fas erat Cleri deputatis omittere ea, cùm illis mandatum esset Ecclesiæ Gallicanæ antiquas & canonicas libertates asserere, quarum fundamenta ac summa his articulis continentur.

Sane quâ modestia viros Ecclesiasticos esse oportet, Lovaniensium quorundam gravibus querelis ac Domini Strigoniensis censura moveremur, si asseremus nova. Cæterùm, cùm ea asseramus quæ saltem à trecentis annis toti Ecclesiæ nota, à Conciliis & Pontificibus, ut nos quidem credimus, approbata, ut autem etiam adversarii confitentur, & res ipsa docet, sine ulla censurâ relicta sunt; non nos profectò; sed iniqui censores temeritatis incurrunt notam: quod quidem à censoribus nostris consideratum volumus. Sanè id advertant quod dicimus: non enim dicimus non posse universim reprobari, nisi ea quæ Ecclesia expresse condemnavit; sed, cum rebus

pensatis, sæpè & consultò noluit aliquid condemnare, nemo jam nisi temerè condemnare potest. Ecclesia enim perspexit non esse condemnationi locum.

Quæ ratio ostendit procul abesse à nobis scandali aut offensæ pietatis suspicionem. Quod enim Ecclesia à tot sæculis æquis auribus pacatoque animo audiat, id repentè scandalo aut offensionem vertere, nihil aliud est, quam commovere turbas, & perturbare pacem Ecclesiasticam.

De pietate quod objiciunt, placet audire Melchiorem Canum, cùm illud tractaret quod sit piarum aurium offensivum. Ibi verò demonstrandum aggreditur, Ecclesiam propositionum absonarum consonarumque judicium in vulgi auribus minimè collocasse. Quo loco hæc habet: *Hic si abusus reprehendas, qui in imaginibus & colendis & ornandis, in sacellis, templis, Monasteriis, sepulchrorum monumentis, sempiternisque memoriis condendis invaluerunt plurimi, si assermes in ejusmodi interdum, vel potius nimium sæpe, plus vanitatem valere, quam religionem, diabolum quam Christum; hi fortasse dicent, te Lutheranis opinionibus occupatum, intolerabiles sonos fundere; adeo in optima quæque vulgus inconditum, falsa pietate, vanitatem, aut etiam superstitionem inducit. Pergit: Non est igitur habenda ratio vulgi promiscuè imbecillis, perturbati, imprudentis; sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti; nec Theologia modò requirenda est, sed pietas & prudentia (a).*

Neque nos fugit quanta sæpe pars turbæ sint, qui etiam se peritos ac Theologos videri volunt; atque ut cætera taceamus, quot videmus, qui Lutherò & Calvino per nimia & extrema repugnare pium putant, à quorum sententia nos alienissimos esse ultro profite- mur? Non enim si quid privati aliqui Doctores adversus Lutheranos urgendum puta-



putarunt, id nos statim ut fidei decretum amplecti oporteat; sed nempe, ut dicebat olim sanctus Cælestinus Papa: *Sufficere credimus quod Apostolica sedis nos scripta docuerunt*; scilicet Pii IV. professionem, quâ planè perfectèque hæretici condemnentur; atque id gravioribus Theologis ac doctoribus, Cardinali Perronio, eumque secuto Meldenſi Episcopo, ac tot Cardinalibus Romanisque Prælatiſ, ipſique adeò Sancto Pontifici Innocentio XI. placuisse gaudemus in Domino, totique Ecclesiæ gratulamur. Ulteriora extorquere non suadet vera pietas. Ut enim nihil à fide demi, ita nihil addi fidei debet; reique animarum sunt, qui plus ab hæreticis postulant, quam communi omnium fide requiratur. Neque minùs absurdum est aliud à Catholicis Doctoribus extorquere velle, nisi fortè aliam fidem in Ecclesia docemus, aut tuemur in scholis, aliam contra hæreticos propugnamus.

Pietatis verò nomine ad aliud nos cogi, nec ipsa sinat pietas. Vera enim pietas non cæco affectu, sed Majorum auctoritate ac Traditionis regula ducitur. Quæ ab his aberrant finibus, sine more modoque crescant, veramque pietatem falsis & alienis, ex arbitraria pietate superstructis, obscurant & offuscant. Hæc arbitraria pietas multis persuasit sancti Petri successores, non tantum ex officio sanctos, sed etiam vitâ necessariè pios esse; ut grave haberet bonus Orho Frisingensis [a], vir alioqui doctus & diligens de Joanne etiam XII. dici: *Sic reprehensibiliter eum vixisse & super hoc ab Episcopis aliisque subditis suis conventum fuisse; cui rei, inquit, durum videtur fidem accommodare; quia Romana Ecclesia hoc speciale privilegium Sacerdotibus suis adscribere solet, quòd meritis Petri supra firmam petram fundati, nulla eos vel porta Inferorum, vel turlo tempestatum ad exitialem ruinam*

involvat. Quæ ab Ennodio (a) Ticinensi deprompta, ac pro tempore laudata, Gregorius VII. (b) quantum potuerat, confirmaverat, novo genere pietatis, quo vel negare manifesta, vel infanda, non tantum tacere, verum etiam probare cogeremur.

At, inquit Baronius in hunc Othonis locum (c), *non tanta nos vindicamus, ut esse non possit, quin sedusturpisque moribus irrepat vel irrumpat in sedem illam; fide autem impius nullo modo*. Quasi magis illud ad pietatem pertineat, ut nullus fide impius Pontifex esse possit, aut transire cogamur ad illam ferè ab omnibus explosam, & Canonistis omnibus, Theologis omnibus repugnantem Alberti Pighii sententiam, nullum Pontificem hæreticum esse posse. Hæccine ergò est pietas, omnibus ac singulis Pontificibus, quasi sub Christi nomine (quis enim tanquam ex proprio nomine audeat) ita polliceri, ut, si quid, occulto Dei judicio, vel tale contingit, vel aliquando contingat, tum labalcere incipiat, vana scilicet expectatione delusa, infirmorum fides, ac ipsa quoque Christi promissa vacillare putet. Atque hanc pietatem Bellarmino quoque & Suari placuisse vidimus. Neque, ista referentes, viros doctos ultro laceſsimus, aut eorum pietati detractum volumus quidquam, quorum alioqui (Deus testis est) favemus laudibus.

id

[a] Ennodio. ] Is ipsa experientia doctus vanas esse mundi hujus illecebras, relicta seculari militia in sacram adscriptus est & inter Diaconos relatus. Ille est Ennodius, qui in celebri sua apologia pro Symmacho docet: *Papam à nemine posse judicari: beatum Petrum . . . . . perennem meritorum dotem cum hereditaria innocentia misisse ad posteros suos* [ id est successores: ] denique eum sanctum esse, quem apex tantæ dignitatis attollit. Huic Ennodio, qui deinceps Ticinensis Episcopus fuit, Ultramontani plus obsequuntur quàm cuiquam ex sanctis Patribus. Ejus opera Jacobus Sirmundus congeſſit & edidit. Vid. de Ennodis D. DE FLEURY. Lib. xxx. & seq.

(b) Vid. tom. IV. Conc. pag. 1340.

(c) Bar. an. 863. tom. X. pag. 777.

[a] Oth. Fris. lib. VI. cap. XXIII.



Id tantum advertimus viris etiam maximis contigisse, ut vana saperent, quoties cæcis illis, quos pios vocare volunt, affectibus aliquind indulserunt.

Piger commemorare quot opinionum monstra ejusmodi pietas in Ecclesiam induxerit. Hinc enim etiam illud quo totus Orbis circumsonat: (a) *Pontificem utriusque potestatis apicem tenere, Regna ac diademata dare ac detrahere, Orbis Dominum etiam in temporalibus, ac Monarcham esse Christi Regis Vicarium, sive Viceregem, in Regnis & Imperiis omnia posse; neque tantum indirectè, sed directè; falli Bellarminum indirectâ potestate contentum, neque postulantes ut ea tanquam de fide certa credantur; hæc enim omnia de fide esse, & qui negent esse hæreticos; neque propterea quidquam iniqui Regibus & Imperiis metuendum, cum is à quo pendent, neque errare, neque quidquam injusti moliri possit.* Neque satisfaciet nobis, si eum, qui recens hæc scripserit, Marchionem, in rebus quidem Theologicis ineptum, imperitumque esse dicant. Ecce enim Nicolaus Dubois, Theologiæ Professor primarius, nos feriò & graviter ad hujus viri tractationem remittit, eumque cum honore nominat. Idem D. Dubois ait non posse constare Romano Pontifici summam illam potestatem, à Florentinâ Synodo in decreto unionis attributam, nisi potestas etiam indirecta tribuatur: quin, illa eversâ, eam partem decreti stare omnino non posse. Quare & D. Strigonienfis, illum Declarationis Gallicanæ Articulum, quo potestas indirecta rejicitur, cum reliquis articulis, ut æquè detestabilem, æquè schismaticum damnat.

Neque verò placet indirectæ potestatis nomine, ac mutato tantum vocabulo res eadem, idem jugum imperiis impositum: neque probare possumus pietatem illam, quæ priscis inaudita sæculis, conciliandis Christianis, ac propa-

gando Evangelio, publicæ denique paci inimica, invidiosis æquè ac inanibus titulis Petri Cathedram oneret, eamque doctrinam reducere molitur, quæ quoties exequenda prodiit, toties Orbem Christianum infandis bellis & cædibus cruentavit.

Neque etiam placent, pietatis licet nomine venditata, quæ passim apud Canonistas legimus: *Posse Pontificem omnia in Orbe terrarum: posse quæcunque Deus possit, excepto peccato; neminem ab eo rogare posse, quid ita facis? Legibus & statutis omnibus & generalibus Conciliis posse eum contravenire legitime; & alia ejusmodi, Pontificibus bonis modestisque, æquè ac nobis exosa.* Hæc ipsi Canonistæ, puto, erubescant, nisi interpretatione molliantur. At pietas non est, inflare & exaggerare verbis Petri privilegia, tanquam exigua sint, quæ per se sunt maxima; eaque comminisci, quæ cum interpretatione rectâ evanescant atque effluant, malevolis interim calumniandi ansam præbeant, tendant laqueos imperitis, audaciores ad extraordinaria quæque contra regulam postulanda, aut etiam per obreptionem impetranda incitent, atque ita censuram Canonum ac vim disciplinæ resolvant, ejusdemque instaurandæ spem omnem incidunt. Cæterum cum talia nullus unquam docuerit Pontifex neque unquam comprobarit, id unum à nobis scilicet vera pietas postulat, ut admiremur gravissimam, sapientissimam atque à Deo protectam Sedem, quæ tantâ etiam assentatione circumdata modum tenuerit. Interim cum hæc nimia, pietas incomposita suaserit, certum nobis est nullam pietatem agnoscere, nisi cum veritate & Traditione conjunctam.

Hæc erant quæ de particularibus censuris dicenda habebamus, quantum earum vim intelligere possumus, ex Doctorum scriptis; quæ arbitrariæ inani tantum strepitu teneant imbecilles animos, nulloque certo titulo, nullâ

(a) Coroll. Antigra.



certa ratione , tantum anathemata crepent , atque intentare non cessent . Eas ut veritate contemnimus , ita charitate refugimus , qui veritatem pacemque diligamus ; atque interim opponimus illud Ambrosii ( a ) : *Fucum faciunt , qui non audent explicare quod sentiunt , censorie* . A sede certe Apostolicâ , quæ & paci consulere , & antiqua revolvere , & posteritatem respicere , & omnia sæ-

[ a ] Ambr. de fide lib. I. c. XVIII. al. VIII. tom. II. pag. 467.

cula mente complecti soleat , nihil tale metuimus ; præsertim posteaquam , uti jam facere aggredimur , nostra à Conciliis , & Romanis Pontificibus expresse & sæpe probata esse demonstraverimus . Nam hætenus iniqua certe conditione luctamur , qui tantum ictus declinamus , nondum arma expeditimus . Nunc , cum probationes nostras allaturi simus , nostra jam liberior decurret ac lætior , ac veluti scopulos & syrtes prætervecta , plenis jam velis oratio navigabit .

### ADMONITIO EDITORIS.

In plerisque manuscriptis codicibus hujus *Defensionis* , quos omnes diligenter evolvimus , reperimus post cap. xxxiv. lib. ix. caput unum integrum ab ipso auctore deletum . Nam vir eliquatissimi judicii , postquam acta S. Eusebii à Momabritio relata diligentius introspectit , facile intellexit ea illa esse , quæ , aut nullius , aut infirmæ admodum auctoritatis apud doctos haberentur . Quapropter statueramus obsequi D. BOSSUET voluntati , & caput illud omnino omittere ; sed ne quis queri posset de omisso illo capite , quod etiam extat in editione hujus operis anno 1730. illud ad calcem hujus appendicis adjecimus .

EUSEBII Romani Presbyteri ac Martyris acta referuntur .

**T**unc Eusebius Romanus Presbyter martyrium passus est , cujus memoriam XIV. Augusti cum Ecclesiâ Romanâ agimus ; quo die in Martyrologio Romano celebratur .

Hujus acta Baronius in Annalibus paucis refert : in notis ad Martyrologii diem XIV. Augusti remittit ad Boninum Momabritium Mediolanensem , ex quo ejusdem Eusebii uberiora acta promamus .

Sed quandoquidem Momabritius in paucorum est manibus , non pigebit antiqua S. Eusebii acta memorare , prout ea ex illustrissimi Archiepiscopi Rhemensis \* excuso codice diligenter exscripsimus . Is igitur sic habet Tom. I. pag. 515. *Tempore quo Liberius de exilio revocatus fuerat à Constantio Augusto hæretico , in eodem tantum dogmate , ut non baptizaret populum , sed una communione contaminaret plebem , Eusebius Presbyter urbis Romæ cepit declarare Liberium hæreticum & amicum Constantii ; cumque multi in sancta confessione & Catholica fide vitarent communionem Liberii per Eusebii Presbyteri doctrinam , occupantur Ecclesiæ à Liberio ; ejicitur Felix de Episcopatu , subrogatur Liberius , tenetur Eusebius Presbyter , & quod in domo sua , quam ipse construxerat , populum congregaret , & quia plebem sanctam exhortabatur . Tunc Constantius Imperator aggreditur cum Liberio Eusebium Presbyterum , dicens : Tu solus Christianus es in urbe Roma ? Eusebius Presbyter respondit : sic confidimus in Domino , quia fideles nos inveniet Christus , sicut & baptizati sumus , & benedictionem , quam à beato Julio suscepimus , tenemus . Liberius dixit : Nos cujus fungimur vice ; nonne Julii antecessoris nostri ? Eusebius Presbyter dixit : si perseverasses in fide quam in persecutione primò tenere visus fueras . Liberius dixit præsentem Augusto : tam contumacem me existimas ? Eusebius dixit : res ipsa te docet & declarat .*

\* Le Tellier .  
Vid. hæc act. ap. Baluz. Miscel. tom. II. p. 141. 142.

Impe-



Imperator Constantius dixit : & quid est inter fidem & fidem ? Eusebias Presbiter respondit : quantum ad nos peccatores , integrè tenentes fuimus : quantum ad vos , insania Diaboli & invidia superstitionis vestræ , ut Felicem Episcopum , quem vos non tenuistis Catholicum , & Dominum JESUM CHRISTUM invocantem , purum Sacerdotem ab omnibus declaratum , in damnationis causam exilio direxistis ; qui tamen in prædiolo præcepisti inferri , maxime Clericis , Presbiteris & Diaconis . Tunc iratus Constantius sub rogatu Liberii inclusit Eusebium Presbiterum in quodam cubiculo domus suæ , quod humile erat , in latitudine pedes quatuor ; & ibi multis diebus in oratione constanter perserverans , inclusus tamen post menses septem dormitionem accepit 19. Kalendas Septembris : cujus corpus collegerunt Gregorius & Orosius Presbiteri & parentes ejus , & sepelierunt in cryptâ juxta corpus B. Xisti Martyris & Episcopi in via Appiâ , in cimiterio Callixti ; ubi & titulum ipsius scribentes , posuerunt pro commemoratione ejus : EUSEBIO HOMINI DEI . In eodem tempore auditum est à Constantio Imperatore , quod Gregorius & Orosius Presbiteri collegissent corpus Eusebii Presbiteri , & in eadem cryptâ vivum præcepit includi Gregorium . Tunc Orosius Presbiter collegit semivivum B. Gregorium noctu occultè , propter Constantium Augustum , & emissio spiritu , sepelivit eum juxta corpus S. Eusebii Presbiteri ; qui etiam Orosius hæc gesta scripsit . Ab eodem die intra Ecclesias , jussu Constantii Imperatoris , quisquis inventus fuisset non sic confiteri & participare sicut Liberius , indiscussus gladio puniretur . Quapropter in plateis , & in vicis , & in Ecclesiis , sive in balneis gladio trucidabantur , persequente Constantio Christianos unâ cum Liberio . Mortuo autem Liberio , levatur Damasus , qui voce publica damnavit Liberium , facta Synodo cum Episcopis viginti octo & Presbiteris viginti quinque , & cessavit persecutio ; non tamen multum tempus , donante Domino JESU CHRISTO , qui vivit & regnat in sæcula sæculorum . Amen .

Huc usque acta , ubi innatâ simplicitate , ipsa se prodit antiquitas ; & quibus ejus generis actorum aliquis ineit guttus , hoc sapiunt . Tum Ufuardus Monachus & Ado Viennensis hæc acta viderunt , ex quorum quippe verbis , brevem illam , quam suis Martyrologiis interant , S. Eusebii contexunt historiam . Cæterum id quod hic de Damaso in fine actorum scriptum est , quod voce publica damnavit Liberium facta Synodo , ad Damasi Pontificatum referendum non est : pridem enim Liberius resipuerat ; sed hæc fecit Damasus tum Presbiter , ac , deficiente Liberio , Synodum fieri procuravit ; innuuntque obiter acta , eum qui hæc fecerit , meritò Liberio subrogatum fuisse .

Quod autem in his actis , ut & in vita Liberii , scriptum est de rebaptizatione ab Arianis facta , non debet movere doctos , qui apud Ambrosium de Auxentio legerint : Cur igitur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat , baptizatos in nomine Trinitatis , cum Apostolus dicat : UNA FIDES , UNUM BAPTISMA . Hoc igitur Liberius reservavit , ne Romani rebaptizari cogerentur . Quid autem egerit , quàm à rectæ fidei defensione defecerit , quam persecutionem moverit adversus fratres , quos confirmare in fide jubebatur , satis patet ex actis .

Ambr.  
Serm. cont.  
Aux. post  
epist. xxj.  
class. j. n.  
37. tom. ij.  
pag. 874.  
Ephes. iv. 5.



# I N D E X

*Titulorum, seriesque Materiarum quæ in Defensione Declarationis  
Cleri Gallicani an. 1682. continentur.*

## T O M U S   P R I M U S .

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      |                                                                                                                                                                         |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      |                                                                                                           |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p><b>P</b>REFATIO .<br/>CLERI Gallicani de Ecclesiastica potestate Declaratio .<br/>EPISTOLA Conventus Cleri Gallicani ad universos Ecclesiæ Gallicanæ Præsules.<br/>EDIT du Roy sur la Déclaration faite par le Clergé de France de ses sentimens touchant la puissance Ecclesiastique .<br/>GALLIA Orthodoxa , sive vindiciæ Scholæ Parisiensis totiusque Cleri Gallicani adversus nonnullos .<br/>De causis &amp; fundamentis hujus operis prævia &amp; Theologica Dissertatio .<br/>I. An tacere oporteat Gallos , erroris ac schismatis ab Illustrissimo Rocaberto &amp; aliis , apud Summum Pontificem accusatos .<br/>II. Duo libelli memorantur , unâ cum censurâ Illustrissimi Archiepiscopi Strigoniensis .<br/>III. Eminentissimi Cardinalis Daguirrei sententia .<br/>IV. Reverendissimus Pater Tyrsus Gonzalez .<br/>V. Illustrissimus Rocabertus Archiepiscopus Valentinus omnium immitissimus .<br/>VI. Gallicanam Declarationem immeritò impugnata , tanquam esset decretum fidei , ex actis demonstratur .<br/>VII. Hinc quæstio , an licuerit accusare Gallos , &amp; an ipsos oporteat tueri innocentiam .<br/>VIII. Defensio iuxta &amp; necessaria ubi de fide agitur .<br/>IX. Nec ferendum Gallis obijci Jansenismum .<br/>X. Dux aliæ causæ edendæ defensionis : prima ne lædatur Apostolica Sedes , quæ Gallis nullum errorem imputavit .<br/>XI. Ludovici Magni læsa pietas defendenda fidelibus Gallis .<br/>XII. Summâ modestiâ causam hanc esse tractandam : Divisio hujus operis in tres partes .</p> | <p>Pag. I<br/>xxxiii<br/>xxxvii<br/>xli<br/>Pag. 1<br/>ibid.<br/>ibid.<br/>ibid.<br/>2<br/>3<br/>4<br/>5<br/>7<br/>8<br/>ibid.<br/>ibid.<br/>ibid.<br/>11<br/>ibid.</p> | <p>XIII. Facultatis Theologiæ Parisiensis Clara &amp; certa Sententia , ex nostris juxta &amp; exteris Doctoribus agnita : Pighius Navarrus , Franciscus de Victoria memorantur .<br/>XIV. In Concilio palàm declarata Gallicana Sententia , nemine improbante , nec repugnante ipso Pontifice .<br/>XV. Petri de Marca de vetere Sorbonâ locus .<br/>XVI. Gallicana Sententia post Constantiensia tempora viguit : nec tantum in dissidiis , sed in altissimâ pace , contra Gallia vindicatæ auctorem .<br/>XVII. Andreas Duvallius in Facultate Parisiensi primus innovandi auctor , antiquam ultrò Sententiam agnoscit .<br/>XVIII. Ex eodem Duvallio , in Sententia Gallicanâ circa Conciliorum potestatem , nulla hæresis , nullus error , nulla temeritas .<br/>XIX. Idem Duvallius Patrum &amp; Conciliorum etiam Florentini &amp; Lateranensis solvit auctoritates .<br/>XX. Idem infallibilitatem Pontificiam de fide non esse multis probationibus conficit .<br/>XXI. Inde concludit Duvallius definitiones Pontificias per sese non esse de fide , ac requiri acceptionem sive consensum Ecclesiæ .<br/>XXII. Duvallii Doctrina de confirmatione Conciliorum , deque iis per sese , etiam adversus Papam , valituris in fide negotio .<br/>XXIII. Casus hæresis , schismatis , alii ex Duvallio memorantur : in his , quantum Concilia valeant in ipsam Pontificem , ex Turre-crematâ , Cajetano &amp; aliis statuit .<br/>XXIV. Quàm multi insignes viri præter Gallos hanc Sententiam doceant : Panormitanus , Zabarella , Tostatus .<br/>XXV. De Tostato candida Cardinalis Daguirrei confessio .</p> | <p>12<br/>14<br/>ibid.<br/>15<br/>ibid.<br/>16<br/>17<br/>ibid.<br/>18<br/>ibid.<br/>20<br/>22<br/>22</p> |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------|

*Tom. II.*

N

XXIV.



- XXVI. Alphonsus à Castro . . . . . *ibid.*  
 XXVII. Adrianus VI. & Joannes Driedo  
 Lovanienſes . . . . . *ibid.*  
 XXVIII. De Adriano VI. cur privatim  
 dicendum : unus rem totam conficit :  
 ejus jam Pontificis recuſus Romæ liber  
 retractatione nullâ . . . . . 23  
 XXIX. Vana reſponſa auctoris doctrinæ  
 Lovanienſium . . . . . 24  
 XXX. Nicolai Dubois Lovanienſis ludi-  
 bria . . . . . 26  
 XXXI. Auctoris tractatus de libertatibus  
 Gallicanis ſubtilia nec minùs vana re-  
 ſponſa . . . . . *ibid.*  
 XXXII. Gallix vindicatæ Auctor . . . . . 27  
 XXXIII. Pater Thyſus Gonzalez . . . . . 29  
 XXXIV. Eminentiffimus & doctiffimus Da-  
 guirreus . . . . . 30  
 XXXV. Doctorum Lovanienſium & factis  
 & dictis in Adrianum VI. obſervantia  
 ſingularis . . . . . 31  
 XXXVI. Ex Adriani ſententia & tempo-  
 rum notis demonſtratur Florentina, La-  
 teranenſis, Tridentina decreta fruſtrâ  
 objici . . . . . 32  
 XXXVII. Nominantur poteſtatis Pontificiæ  
 vehementiffimi defenſores, qui ſummâ  
 ipſa Pariſienſium iugentur ſententiam . 33  
 XXXVIII. De Concilio Conſtantiienſi: qui  
 approbatum negant, ipſi ſe ſuis telis con-  
 ſciunt . . . . . 34  
 XXXIX. Objeſtio de Obedientiis nondum  
 adunatis Seſſ. iv. & v. ſpontè corruit duo-  
 bus factis conſtitutis: primâ, à Concilio  
 Conſtantiienſi ſtatim aſſumptum Concilii  
 œcumenici titulum & jus . . . . . *ibid.*  
 XL. Alterum factum, Martinum V. tunc  
 Cardinalem his Synodi initiis adhæſiſſe . 35  
 XLI. Aliud factum additur: quod pars Ec-  
 cleſiæ, quæ Concilium Conſtantiienſe in-  
 choavit, non fuerit tantùm pars tertia:  
 ſed duabus aliis etiam adunatis longè  
 ſuperior . . . . . *ibid.*  
 XLII. Conſtantiienſis Synodus à Romanis  
 Pontificibus optimæ notæ Synodis accen-  
 ſita: privata Binianæ editionis nota quàm  
 nulla & temeraria, quàm Sedi Apoſtolicæ  
 conrumelioſa: nihil proficere qui de ejus  
 Synodi confirmatione litigant . . . . . 36  
 XLIII. Concilii Baſileenſis initia legitima  
 & certa Bellarminus & Rainaldus agno-  
 ſcunt, etiam Lateranenſe Concilium:  
 ejusdem Bellarmini ſuffugia ex Duvallio  
 conſutata . . . . . 38  
 XLIV. Ex Ludovici Alamandi beatificatione  
 argumentum: item ex Amadei VI. Sabau-  
 diæ Ducis famâ ſanctitatis, Odorico Rai-  
 naldo utroque in negotio teſte . . . . . 39  
 XLV. Ex Concilio Conſtantiienſi ac Baſile-  
 enſibus initiis quid dicendum putemus . 41  
 XLVI. Ante Conſtantiienſe Concilium Jo-  
 annis xxii. de ſuorum Anteceſſorum au-  
 thoritate atque inſallibilitate ſententia in  
 conſtitutione: quia quorundam . . . . . 42  
 XLVII. Hujus temporis Scriptor à Rainal-  
 do in eam rem adductus quid ſenſerit:  
 quâ occasione proferitur caput ſunt qui-  
 dam . . . . . 25  
 quæſt. i. . . . . 43  
 XLVIII. Jacobi ſanctæ Priſcæ Cardinalis,  
 poſtea Benedicte XII. conſona eadem de  
 re ſententia . . . . . 44  
 XLIX. Probatur de fide actum in his de-  
 terminationibus, & tamen eas legitime  
 corrigi potuiſſe: eâ de re gloſſa notabi-  
 lis, & Bellarmini ſententia . . . . . 46  
 L. Speculatoris, id eſt, Guillelmi Duran-  
 di Epifcopi Mimatensis liber de Conciliis,  
 jufſu Clementis V. editus, & quid ex eo  
 conſequatur . . . . . 47  
 LI. Hinc etiam de ſenſu Concilii Lugdu-  
 nenſis II. judicari poteſt . . . . . 49  
 LII. Locus Gratiani de Decretalium aucto-  
 ritate: alius locus de Gregorii II. De-  
 cretali ab eodem Gratiano reprehenſa  
 erroris contra Evangelium . . . . . *ibid.*  
 LIII. Pelagii II. Decretalis, ab eodem Gra-  
 tiano ex Gregorio Magno reprehenſa, ex  
 ipſi etiam Gloſſa contra Evangelium . 50  
 LIV. Honorii res: eum erroris excuſari  
 non poſſe, licet ex Cathedrâ pronun-  
 tiantem . . . . . 51  
 LV. De falſis actis Binii ex Baronio con-  
 ſicta narratio . . . . . 52  
 LVI. Actio falſi à Chriſtiano Lupo depulſa  
 quàm certis probationibus . . . . . *ibid.*  
 LVII. Ex actis Concilii Hiſpanici Toletani  
 xiv. quæſtio de falſo clarè abſolvitur . 53  
 LVIII. Ex eodem Concilio Decreta à Ro-  
 manis Pontificibus approbata, non niſi  
 conſenſione factoque examine recipiun-  
 tur . . . . . *ibid.*  
 LIX. In fidei quæſtionibus Conciliorum ge-  
 neralium potior auctoritas demonſtratur  
 ex Conciliorum Actis, ac primùm ex  
 Concilio III. & IV. . . . . 54  
 LX. Bellarmini & Baronii altercatio de  
 Decretali ſancti Leonis epiftoſa in Con-  
 cilio IV. ritè examinata . . . . . 55  
 LXI. Definitio S. Leonis, ipſo etiam te-  
 ſte, non niſi ex Eccleſiæ conſenſu vim  
 habet irretactabilem . . . . . *ibid.*  
 LXII.



- LXII.** Concilii VI. & VII. a<sup>aa</sup>: VII. Synodi definitio ac summa auctoritas consensione constans. 56
- LXIII.** Concilii VIII. eadem praxis: duo ejus decreta. 57
- LXIV.** Bellarmini sententia de Synodi examine: Christiani Lupi aliorumque cavillationes: an in Conciliis de fide dubitatum, cum de Pontificiis decretis quærerent. ibid.
- LXV.** S. Basilii locus, atque in eum Christiani Lupi contumeliæ. 58
- LXVI.** Alius S. Basilii de S. Damasi decretis locus. 59
- LXVII.** Contentio de rebaptizatione inter S. Stephanum & S. Cyprianum: quæstiones involvendæ rei factæ ab hac disputatione secernuntur. ibid.
- LXVIII.** In hac controversiâ, quid certum sit, ex Bellarmino statuitur. 60
- LXIX.** Galliæ vindicatæ & tractatus de libertatibus Auctores quid respondeant: an Cyprianus, ut in rebaptizatione, ita in Romani Pontificis auctoritate errasse memoretur: Augustini locus. ibid.
- LXX.** An Stephanus excommunicaverit, an totâ suâ auctoritate decreverit, frustra quæritur: cum ad eam excusationem nec Firmilianus: nec Cyprianus, nec ipse Augustinus refugerint. 61
- LXXI.** An infallibilitati Pontificiæ detraxisse sit illud veniale peccatum, cujus Cyprianum Augustinus accusat. 62
- LXXII.** Nihil ad rem facit quære an Cyprianus & alii respuerint necne. ibid.
- LXXIII.** Cavillatio. 63
- LXXIV.** Bellarmini sententiæ duæ partes: prima Stephanum potuisse, nec tamen voluisse rem de fide facere, an Augustino congrua? ibid.
- LXXV.** Secunda pars Bellarminianæ sententiæ, à Cypriano non fuisse peccatum fâtem mortaliter. 64
- LXXVI.** Quo pacto intelligendum id quod dicit Augustinus à Cypriano expectatam Concilii generalis sententiam: forma antiqui regiminis jam inde ab origine, etiam sub persecutionibus. 65
- LXXVII.** Vanæ & inanes quæstionculæ de consensu Ecclesiæ, ipsa regiminis Ecclesiastici forma concidunt. 68
- LXXVIII.** Solennis acceptatio Decretorum Pontificiorum quàm usitata & quàm necessaria: Romani Pontificis officium & auctoritas ex Janseniano negotio ostenduntur. 69
- LXXIX.** Innocentii IV. locus: Concilii provincialis sub Paschali II. clara auctoritas. 70
- LXXX.** Anonymi tractatus de Libertatibus Gallicanis circa Sedis Apostolicæ auctoritatem fœda & improbanda commenta. 71
- LXXXI.** Prolatæ in anterioribus verbis in Sedem Apostolicam contumeliis refelluntur. 72
- LXXXII.** An ferendum Papæ & Ecclesiæ potestatem primis temporibus religatam & alia consecutanea dici ab eodem Auctore? 73
- LXXXIII.** Gallicana sententia perse stat, si aliena & afficta demantur: ac primum de hæreticis non nisi Conciliari auctoritate dammandis. ibid.
- LXXXIV.** Aliud imputatum de Synodis generalibus absque Papa congregatis: Turrecrematæ loci insignes pro sententiâ Parisiensium. 74
- LXXXV.** Aliud imputatum de Romanâ fide ac Sede Apostolica: Innocentii III. profertur locus: alii loci insignes in memoriam revocantur. 75
- LXXXVI.** Ss. Monachorum ex Concilio Lateranensi depromptus locus: item S. Augustini ad Bonifacium Papam. 76
- LXXXVII.** An hæc sentientes fidem in suspenso teneant, aut arma inobedientibus subministrant. 77
- LXXXVIII.** Ex his potissimum adversarioram argumentum eliditur. ibid.
- LXXXIX.** Hæc in opinione, non in fide esse posita controversiarum Doctores profitentur: ac primum Cardinalis Perronius. 78
- XC.** Walemburgii fratres in Germania Episcopi celebres atque ab iis citati Scriptores clarissimi. 79
- XCI.** Idem fratres quomodo Bellarminum à Gretsero explicatum prodant. 80
- XCII.** Idem Gretserus alique ab iisdem Walemburgiis citati. ibid.
- XCIII.** Innocentii XI. Brevia Apostolica duo. 81
- XCIV.** Inquisitionis Hispanicæ Decreta ab eminentissimo Cardinale Daguirreo & P. Thyso prolata, Cardinalis Perronii auctoritate confixa. 83
- XCV.** Regum Hispaniæ Philippi I. & Caroli V. Augusti exemplo Hispaniæ Inquisitio retrunditur. 85
- XCVI.** Summa argumenti: de Orientali Ecclesia & Concilio Florentino pauca. 86
- XCVII.** Adversariorum ultima responsio: ex hac argumentum & conclusio operis. 87



DEFENSIO Declarationis Cleri Gallicani de Ecclesiastica potestate PARS PRIMA . Quia de Imperii in temporalibus suprema potestate differitur . 89

## LIBER PRIMUS.

## SECTIO PRIMA .

- Ex statu quæstionis, rei que novitate, deponendorum Regum directa & indirecta potestas confutatur ad caput primum Gallicanæ Declarationis . ibid.  
 Caput primum . Refertur caput I. Gallicanæ Declarationis . ibid.  
 Cap. II. Contrarium articulum ponunt adversarii. Status quæstionis: ex hoc intolerabilia incommoda; neque magis tolerabilior indirecta quam directa potestas, cum solis verbis differant: hinc primo capiti Declarationis Gallicanæ, contrariam declarationem totidem verbis opponit auctor Anonymus doctrinæ Lovanienfium, quem alii adversarii sequuntur, & indirectam potestatem afferunt: quæ sententia quam falsa sit, statim intelliget, qui vel statum quæstionis adverterit . 90  
 Cap. III. Horrenda atque ipsis adversariis detestanda necessariò consequuntur, à quibusdam adnitiuntur; nec nisi extirpata radice refecantur: HENRICI Borbonii Condæ Principis oratio ad LUDOVICUM XIII. 95  
 Cap. IV. Sententia Gallorum; ex *Censurâ* SANCTARELLI, quæ integra refertur . 97  
 Cap. V. Quædam in SANCTARELLI doctrinam, atque in censuram notæ: articuli Facultatis toto Regno vulgari: *Censura* MALACULÆ . 98  
 Cap. VI. Hujus sententiæ novitas in SANCTARELLO notata à sacra Facultate: Scripturæ silentium: auctoris Anonymi qui scripsit de libertatibus in Scripturæ locos glossæ . 99  
 Cap. VII. Primus Regum deponendorum auctor GREGORIUS VII. undecimo exeunte sæculo. Orbis universus eâ novitate commotus: explicatum obiter, quo sensu negarent, excommunicari posse Reges . 101  
 Cap. VIII. Quæ GREGORIUS VII. hujus rei exempla & documenta protulit, rei novitatem probant . 104  
 Cap. IX. De Gregorii Decretorum auctoritate in Ecclesia dubitatum, neque ipse sibi constitit . 106  
 Cap. X. GREGORIUS VII. nimia & nova se-

statum: initia Regiæ potestatis superbæ ac diabolo assignat, repugnante Scriptura; neque tantum Patrum, sed totius humani generis traditione . 108

- Cap. XI. Aliæ GREGORII VII. novitates: Novum excommunicationis genus, quo victoriam ab HENRICI IV. exercitu arceret: nova doctrina de omnium Pontificum Romanorum sanctitate . 110  
 Cap. XII. Quâ occasione GREGORIUS VII. Regum depositionem aggressus sit: Quove Imperii ac Regnorum statu: Quam universalis Monarchiæ etiam temporalis ideam animo informavit: Ejus mores, ingenium, & in omnia Regna variæ molitiones; ac I. in Imperium Romano-Germanicum, in Galliam, in Angliam, in Daniam; de iisque quæri, nihil imminuat Sedis Apostolicæ Majestate . 112  
 Cap. XIII. De Hispania & Sardinia quid GREGORIUS VII. decreverit . 115  
 Cap. XIV. De Hungaria: de aliis Regnis ac Provinciis, quibus causis impulsus, Pontificiæ ditioni se ultro subjecerint: arbitraria jura etiam in infideles Principes protenduntur . 118  
 Cap. XV. Regna infidelium, quo jure concessa Bellarminus alique defenderint: hæc, & alia de Regibus deponendis gesta, nullo religionis periculo impugnari posse . 120  
 Cap. XVI. Ipsam quæstionem aggredimur: hæc tractatio bifariam distributa: quinque propositiones ordine comprobandæ . 123

## SECTIO SECUNDA .

- Qua expenduntur Scripturæ loci, & Patrum traditiones illustrantur, ad caput primum Gallicanæ Declarationis . 125  
 Cap. I. *Prima Propositio* probatur: quodd Regia seu suprema civilis potestas jam inde ab initio sit legitima, etiam inter infideles . ibid.  
 Cap. II. *Secunda Propositio*, quodd Regia & suprema potestas etiam inter infideles sit à Deo; Reges Sacro-sancti: juratum per eorum salutem: religio in Principes: TERTULLIANI loci . 126  
 Cap. III. Quo sensu suprema civilis potestas sit à Deo, quodve discrimen Sacerdotium inter & Imperium . 127  
 Cap. IV. *Tertia propositio*: quodd Regia ac suprema potestas nulli alteri potestati Dei ordinatione subiecta: omnium gentium in eam rem consensus: Druidæ, Augures, alii ejusmodi frustra advocati ad præ-



- præsidium indirectæ potestatis. 129
- Cap. v. Ex tribus primis propositionibus *Collarium*: quod sine verâ religione, veroque Sacerdotio, civile regimen perfectum, ac seipso consistens, atque in rebus suis ab omni aliâ potestate absolutum: an in eo jure aliquid immutatum per Legale aut per Christianum Sacerdotium, quartâ & quinta propositione quaeritur. 131
- Cap. vi. *Quarta Propositio*: Per institutionem Sacerdotii Legalis nihil immutatum in Regia ac summa potestate; nihil ad eam deponendam juris Sacerdotibus attributum: probatum ex *Deuteronomio*, Regumque libris. 133
- Cap. vii. An unctio Regum, eorumque designatio per SAMUELEM interdum ac Prophetas facta, in ordinandis civilibus aliquid Sacerdotibus juris attribuat? De Concilio Sanhedrin BARONII sententia expenditur. 134
- Cap. viii. BELLARMINI argumentum ex *Deuteronomii* loco. 136
- Cap. ix. Quæ antè dicta sunt, Judæorum historiâ recensitâ, luculentius explicantur: Judæorum Regum, etiam ad Idola cogentium, inviolata Majestas: Reges Assyrii, Medi, Persæ pari cultu observati: erga eos egregia, Alexandri Magni tempore, Judæorum fides: Josephi locus: eadem obedientia in Alexandrum & Græcos Syriæ Reges. 137
- Cap. x. Recidivum sub Machabæis Imperium peculiari Dei instinctu à MATHATHIA inchoatum, à filiis stabilitum: Romani ac Cæsares eodem jure, Christo approbante regnarunt. 140
- Cap. xi. An Athaliæ cæcæ exemplum his obstat. 142
- Cap. xii. De Ozia propter lepram ejecto. 143
- Cap. xiii. *Quinta Propositio*: Neque per institutionem Christiani Sacerdotii quidquam fuit immutatum in regnandi jure: id probare aggredimur ex Evangelicis Scripturis: explicatur potestas quam Christus Apostolis tradiderit. 146
- Cap. xiv. Locus Evangelii: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. 148
- Cap. xv. Prævisis malis quæ ab impiis Regibus Ecclesiæ essent eventura, quæ Christus & Apostoli auxilia reliquerint; & an aliqua præter patientiam. 149
- Cap. xvi. An generali præcepto obediendi Regibus, Christus & Apostoli aliquam
- exceptionem attulerint, & quàm? 150
- Cap. xvii. Adversariorum effugia: distinguunt tempora infirmæ & adolescentis, à temporibus robustæ, & jam prævalentis Ecclesiæ: an hæc Christianis digna? 151
- Cap. xviii. An eludi possit locus Evangelii: *Regnum meum non est de hoc mundo*. 153
- Cap. xix. An ad rem pertineat ille ab adversariis objectus locus: *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, & ille locus, *Rex Regum*. 154
- Cap. xx. Locus Evangelii: *quis me constituit julem super vos?* 155
- Cap. xxi. Respondetur ad objecta Capituli xvii. an impii Reges ab Ecclesia impuniti, si tui à depositione habentur. 156
- Cap. xxii. De excommunicationis effectu: an prius temporalibus: quid sit illud: *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*: Interdicta de vitandis excommunicatis in literis Apostolicis contenta expenduntur. 158
- Cap. xxiii. Alius excommunicationis effectus: *tradi Satanae ad interitum carnis*: argumentum pro nostra sententia ductum ex memoratis in Scriptura excommunicationis effectibus. 160
- Cap. xxiv. Objectum ex interdicto de vitandis excommunicatis, per exceptionem moralis, quam vocant, siue civilis ne essetis, ex omnium Theologorum doctrinâ solvitur: eâ in re GREGORII VII. tempore manifestus error, nunc communi consensu refutatus. 161
- Cap. xxv. Ejusdem interdicti vis diligentius quaeritur: probatur Evangelicis Apostolicisque literis, quod exceptionem necessariæ causæ admittat, neque ab obsequiis Regum arceat. *ibid.*
- Cap. xxvi. Idem probatur ex Sanctis Patribus. 163
- Cap. xxvii. Idem probatur ex Hincmari insigni responsione ad Hadrianum II. veritantem ne cum Carolo Calvo Rege communicaret. 165
- Cap. xxviii. Idem efficitur ex GREGORIO VII. decretis. 166
- Cap. xxix. Idem probatur ex secuta Pontificum omnium, atque Ecclesiæ praxi: insigne exemplum sub Gregorio IX. ac Friderico II. Imperatore: huic præstitum obsequium, negata interim mensa & osculo. 168
- Cap. xxx. Sancti Thomæ locus: Canon Constantiensis: item Lateranensis Concordato insertus: quo sensu Reges ex-



- communicari non possint : dictorum in hoc interdictum recapitulatio; atque hinc firmum argumentum . 169
- Cap. xxxi. Ambas potestates Ecclesiasticam & civilem , in suo quamque ordine esse primas, ac sub uno Deo proximè collocatas, Scripturis ac Patrum traditione demonstratur . TERTULLIANI locus . 171
- Cap. XXXII. Aliæ Patrum auctoritates: an his satisfiat dicendo Principes in temporalibus, non minùs soli Deo subesse, cum ejus Vicario subsint . 173
- Cap. xxxiii. An ut ambæ potestates inter se ordinatæ sint, unam alteri subdi necesse sit : S. Gelasii aliorumque Pontificum doctrina . 174
- Cap. xxxiv. Cur hæ potestates tanta providentia distinctæ sint : Sanctus Gelasius, duas causas affert, quæ indirecta potestate tolluntur . 176
- Cap. xxxv. Ambarum potestatum separatio ac societas ex sancti Gelasii doctrina explicatur : Bellarmini comparatio : S. Gregorii Nazianzeni locus ab eo objectus . 177
- Cap. xxxvi. Canon, OMNES objicitur & solvitur . 179
- Cap. xxxvii. Objicitur à Bellarmino Apostoli locus de iudicibus ab Ecclesia constitutis : Jeremiæ locus : duo gladii, Regale Sacerdotium : allegoria alia & accommodatoria: dictorum in hoc libro recapitulatio . 180
- LIBER SECUNDUS .**
- Quo Patrum testimonia & exempla afferuntur usque ad Gregorium VII. 185
- Cap. I. Ordo & distributio tractationis hujus, primum in duo tempora : tum in duas quæstiones : Prima quæstio de Regibus propter scelera reprehensis : An deponendi visi sint Patrum doctrina & exempla in persecutione, & tribus primis sæculis : An Christianorum obedientia ex imbecillitate Ecclesiæ & eorum temporum ratione prodierit . ibid.
- Cap II. Quartum sæculum. Julianus Apostata : An Ecclesia tum invalida fuerit ? S. Gregorii Nazianzeni locus : Item S. Augustini, S. Thomæ responsio ad locum Augustini, non satis cognito rerum sub Juliano statu . 188
- Cap. III. A paganis Regibus, atque ab Apostata Juliano transitus ad hæreticos Constantius Arianus, Catholicæque Ecclesiæ persecutor : an imbecillitate factum, quod Hilarius, Athanasius, Lucifer Calaritani, alii, indirectam potestatem nequidem intentarent . 192
- Cap. IV. Quarti Ecclesiæ sæculi reliqua exempla proferuntur : Valens hæreticus & persecutor : Sancti Basilii, aliorumque Sanctorum sensus : Justinæ Arianae, Valentiniani II. nomine, Catholicos infestanti, Sanctus Ambrosius viribus prævalens, quo usque repugnari posse putat : quid idem comminatus sit Gratiano & Valentiniano, si Sacra Paganorum restituerent . 197
- Cap. V. Sancti Ambrosii cum Theodosio gesta : an Ambrosius aliquid temporalis potestatis attigerit, ut Bellarmino visum : an vel de eo cogitaverit ? Aliud Ambrosii erga eundem Theodosium post incensam Synagoga . 199
- Cap. VI. Quinti sæculi exempla : Arcadius ac de eo Gregorii VII. verba : Burgundiones : Visigothi : Vandali : Theodoricus, Ostrogothus : Hunericus Vandalus : Odoacer Herulus : Zeno Imperator . 203
- Cap. VII. Anastasius Imperator hæreticus, persecutor, anathemate nominatum in Oriente, & à Romano quoque Pontifice in Occidente damnatus, Ecclesiæ peculiari Sacramento obligatus, Regno ea conditione suscepto : ejus deponendi mira opportunitas : sancti Pontifices Gelasius, Symmachus, Hormisdas ne id quidem cogitaverunt . 205
- Cap. VIII. Sexti ac septimi sæculi exempla : sancti Gregorii Magni ad Mauricium epistola memorabilis : in eam Baronii nota : Quædam de Pontificum subjectione erga Principes . 208
- Cap. IX. Privilegia ab eodem sancto Gregorio concessa expenduntur . Imprecatoriæ formulæ eo ævo familiares : Gregoriana formula ad alia privilegia non transit . 209
- Cap. X. Sancti Maximi Monachi & Confessoris locus de Monothelitis Imperatoribus . 211
- Cap. XI. Octavi sæculi exempla : Iconoclastæ Imperatores : ac primum Leo Isaurus : de eo Bellarmini argumentum ex Baronio solvitur : quæ hic sunt demonstranda proponuntur . 212
- Cap. XII. An Græci Historici à Baronio & Bellarmino in Gregorii II. ac Leonis Isauri



- Isauri rebus adducti, atque ab eis relata gesta indirectæ potestati faveant. 213
- Cap. xiii. Gregorium II. nihil in Imperatorem hæreticum movisse, imò ea occasione aliquid molientibus obstitisse, ex ejus gestis, epistolis, doctrina demonstratur. 216
- Cap. xiv. An Gregorius II. imbecillitate virium, ab indirecta potestate exercenda, vel saltem ostendenda temperavit. 217
- Cap. xv. Gregorius II. confiteri pergit nullam esse suam in rebus civilibus potestatem. 218
- Cap. xvi. De Gregorii II. gestis Latini Historici proferuntur, Paulus Diaconus & Anastasius Bibliothecarius: Ex his demonstratur, nihil ab eo, nisi pro tuendo Imperio, gestum, etiam post anathema Imperatori dictum. 219
- Cap. xvii. Cur Græci illud de tributis Gregorio II. objecerint? Id utcumque se habet an nostræ sententiæ noceat? 222
- Cap. xviii. De Gregorio III. Gregorii II. successore, ejusque erga Leonem Isaurum & Constantinum Copronymum ejus filium, obsequio: De ejus Pontificis duplici legatione ad Carolum Martellum, quarum alteram Baronius Gregorio II. assignavit. 223
- Cap. xix. Zacharias in obsequio perstitit: Stephanus II. pro Imperio conatus omnia, non nisi necessitate ad Francos refugit: ad eos translatum Imperium sub Leone III. cum Græci Imperatores ad fidem Catholicam redissent. 225
- Cap. xx. An valeant allatæ à Baronio causæ, cur Constantino Irenes filio, Catholico Imperatori, Imperium restituendum non fuerit: Hadriani I. locus nihil ad rem: recapitulatio dictorum de Iconoclastis Imperatoribus: de fide illis servanda Orientalis Ecclesiæ sensus: illi Imperatores in coronatione iurandum dederant de tuendis Ecclesiæ dogmatibus ac ritibus: ex his argumentum. 227
- Cap. xxi. Noni sæculi exempla: Ludovici Pii Imperatoris depositio: hæc & inde secuta, impia, irrita, nulla, male intellecta, nihil ad rem, nobisque potius favent quàm adversariis: an expectata, ad restituendum Ludovicum, Gregorii IV. auctoritas. 229
- Cap. xxii. Lotharii Junioris excommunicatio, propter Valdradam, nulla unquam depositionis mentione. 232
- Cap. xxiii. Adrianus II. Carolum Calvum à Lotharii mortui Regno deterret excommunicatione: quàm grave Francis visum fuerit terrenis rebus immiscuisse se Pontificem; nihil de depositione cogitantem: Hincmari locus. 233
- Cap. xxiv. Eodem nono sæculo Stephani V. epistola ad Basilium Imperatorem de finibus utriusque Potestatis. 234
- Cap. xxv. Eodem sæculo Fulconis Rhemensis locus à Perronio objectus. 235
- Cap. xxvi. Atto Vercellensis, Burchardus Vormatiensis, decimi sæculi auctores proferuntur. 236
- Cap. xxvii. Eodem sæculo decimo Robertus Francorum Rex excommunicatus, nulla depositionis mentione. 237
- Cap. xxviii. Undecimi Sæculi exempla & testimonia sub Leone IX. & Victore II. paulò ante Gregorium VII. Petri Damiani ejusdem Gregorii VII. familiarissimi locus à Baronio reprehensus. ibid.
- Cap. xxix. Ejusdem Petri Damiani sub Alexandro II. proximo Gregorii VII. antecessore, insignis locus, quo docet utrasque potestates, & discretas esse, & supremas & socias. 239
- Cap. xxx. Gesta sub Alexandro II. & Gregorio VII. usque ad incepum annum 1076. dictorum in hoc libro circa primam quæstionem summa & conclusio. 240
- Cap. xxxi. An valeat id quod Perronius Cardinalis ad antiquitatis exempla responderit. 242
- Cap. xxxii. An ejusdem Perronii Cardinalis distinctio valeat, Paganos inter Principes & Christianos, aut Ecclesiæ fidem juratos: Romanum Imperium primum Christianum, alia Christiana Regna; nec dum tamen memorata potestas Reges deponendi. 243
- Cap. xxxiii. Altera Quæstio; an nullo quoque interveniente peccato, propter Ecclesiasticam utilitatem, Reges deponendi visi sint ab Ecclesiastica potestate? Childericus Regum Merovingianorum ultimus cap. alius. 15. q. 6. ex Gregorio VII. Glossa in illud caput: Majorum de eo capit sententia. 244
- Cap. xxxiv. Rei sub Zacharia gestæ series: Régni Francici status: evictum hæc nihil ad nostram quæstionem pertinere. 246
- Cap. xxxv. Clarius demonstratur, hæc, ut-



- cumque se habent , nihil ad rem facere . 249
- Cap. xxxvi. Quæritur quo jure facta sit translatio Imperii Occidentalis ad Francos : duo præmittuntur status Imperii : tum in Pontificibus & facio Ordine jura duplicis generis distinguuntur : Romanus Pontifex labente Imperio caput civitatis habitus . 252
- Cap. xxxvii. Res gesta à Romanâ civitate : Principibus Francie oblati Confuslati , Patriatus delatus , concessum Imperium , auctore seu adjutore Romano Pontifice , ut capite civitatis : testimonia Historicorum . 254
- Cap. xxxviii. Quo jure Romana civitas ad Francorum Principum tutelam confugerit , ac postea illis Imperium dederit . 257
- Cap. xxxix. Carolus Calvus à Romanâ Civitate Imperator , à Regni Proceribus Rex Italiæ designatur . 259
- Cap. XL. Gesta sub reliquis Carolinis Principibus : eâ stirpe extincta , turbæ : Otho I. Imperator : Imperii translatio ad Germanos sub Othone III. Qualis memoratur à Baronio : Quæ omnia nihil ad nos . 260
- Cap. XLI. In transferendo Imperio ad Germanos , teste Baronio , consensus intervenit Romanæ civitatis : quæ tamen omnia , & inde secuta nihil ad nos . 262
- Cap. XLII. Decretum Episcoporum de Lotharii Regno post Fontanellidensem pugnam , an ad rem faciat ? 264
- Cap. XLIII. An meritis obiectum à Baronio id quod est à Carolo Calvo in proclamatione adversus Venilonem positum . 265
- Cap. XLIV. Argumentum ex Regum consecratione repetitum solvitur ; Ludovici II. Imperatoris , Lotharii I. filii , Epistola ad Basilium Imperatorem Orientis . 266
- Bellarminus , Rainaldus , Perronius testes adducuntur . ibid.
- Cap. II. Gesta sub Gregorio VII. primumque ejus de Henrico deposito decretum . 272
- Cap. III. De Gregoriani Decreti auctoritate quæritur : paucis repetuntur quæ de ejus novitate dicta sunt . 274
- Cap. IV. Qui Gregorio VII. Henricum deponendi adhæserint , eos falso fundamento nixos , falso nempe intellectu interdicti de vitandis excommunicatis , idque jam in confesso esse : Sancti Gebhardi & aliorum ejus ævi in eam rem sententiæ . 275
- Cap. V. Quod nunquam de potestate Reges deponendi canon conditus fuerit , nunquam edita professio , nunquam ea de re pronuntiatum , ac nequidem unquam quæsitum : inceptum à factis quæ deinde ad jus tracta sint . 278
- Cap. VI. Quod multi in Germania Orthodoxi etiam Episcopi à Gregorio VII. sententia discrepant : exemplum Trevirensis Ecclesiæ , ac Brunonis Archiepiscopi , Imperatori deposito omnia jura servantis , etiam ea quæ ad designandos Episcopos antiquitus data essent . 280
- Cap. VII. Sanctus Otho Bambergensis , sanctus Erminoldus Abbas : designationes Episcoporum ab Imperatore deposito factæ , ab Orthodoxis Ecclesiis petitiæ & admittæ : quid in iis seles Apostolica & Concilium Romanum improbat . 282
- Cap. VIII. Leodiensis Ecclesiæ egregium testimonium : Leodieneses an fuerint schismatici : an in sua epistola falsum aliquid docuerint : cur pro ea doctrina veniam petierint , cum in communionem recepti sint . 285
- Cap. IX. Quod hæc decreta Gregorii VII. aliorumque Pontificum , nullo deliberante aut approbante Concilio , tum pessimo exemplo & infelicibus auspiciis facta sint . 288
- Cap. X. Philippus I. Francorum Rex excommunicatus , nulla unquam depositionis mentione . 229
- Cap. XI. Loci quidam Ivonis Carnotensis per summam inscientiam obiecti solvuntur : Corona Regia Regi restituenda in his locis quid sit ? Ivonem cum aliis omnibus Francis in obsequio perstitisse : Guillelmi Malmesburiensis locus . 291
- Cap. XII. De investituris inter Paschalem II. &

## LIBER TERTIUS .

Quo à Gregorii VII. tempore res extra Concilia Œcumenica gesta referuntur ad Caput primum Gallicanæ Declarationis . 269

Cap. I. An Gregorii VII. ac secutis decretis ira res confecta sit , ut de ea ambigere Catholicis non liceat : contrarium statuitur certis exemplis & Catholicorum omnium consensione : Melchior Canus ,



- & Henricum V. Imperatorem : excommunicationes à Conciliis latæ : depositio in Rhemenſi Concilio à ſolo Papa : facta compositio in Lateranenſi I. generali ſub Calixto II. revocatæ deſiſitionis , aut Regis rehabilitati nulla mentione . 293
- Cap. xiii. Sanctorum Patrum ejus ævi, Anſelmi Cantuarienſis , Ivoſis Carnotenſis , Bernardi Claravallenſis de Imperatorum deſiſitione ſilentium : Locus Anſelmi probantis Valerianum , Henrico IV. deſiſito , ut Regi adhærentem . 296
- Cap. xiv. Ivoſis Carnotenſis loci quidam expenduntur : exempla memorantur : horum occasione de Regaliæ cauſa , atque inſita per Episcopos Gallicanos compoſitione , actum : de Graciani Decreto quædam afferuntur . 298
- Cap. xv. Bernardus Claravallenſis Abbæ : ſub Innocentio II. ſchiſma ingens extinctum : Libri de Conſideratione ad Eugenium III. 299
- Cap. xvi. Ejusdem Bernardi allegoria de duobus gladiis : quid ad eam Majores noſtri reſponderint obiter indicatur . 302
- Cap. xvii. Hugonis de Sancto Victore locus ab adverſariis objectus . 304
- Cap. xviii. Friderici I. res : duplex diſſidium : primum cum Adriano IV. quid ſit beneficium , quid coronam dare ex Adriani reſponſo ? Varius Adrianus : ejus decretum de Infulis . 306
- Cap. xix. Alterum Friderici I. diſſidium cum Alexandro III. Excommunicatur , deponitur , nec minus agnoſcitur pro Imperatore , etiam à Papa : excommunicatio , res ſeria , deſiſitio pro nihilo habetur . 308
- Cap. xx. Henrici VI. Friderici filii excommunicatio ſine deſiſitione per Cæleſtinum III. Item Philippi Auguſti Regis Francorum , ob repudiatam uxorem per Innocentium III. Item deſiſitio Othonis IV. Imperatoris per eundem Innocentium : bella atrocia , harum deſiſitionum appendix . 309
- Cap. XXI. Poſt Imperatores hætenus deſiſitos , primus aliorum Regum , Joannes ſine terra Anglus , ab Innocentio III. deſiſitus , Regno ſedi Apoſtolicæ tradito reſtitutus ; quæ ſedis Apoſtolicæ odio & contemptui vertunt . 310
- Cap. xxii. Refertur caput , *Novit* , extra de judiciis : hujus edendi occaſio : nihil Tom. II. P

- ad rem : interpretatio neceſſaria . 312
- Cap. xxiii. Bonifacii VIII. cum Philippo III. Pulchro , Francorum Rege diſſidium : acta Bonifacii reſciſſa à Clemente V. Rex omneſque Regni Ordines , Regni in temporalibus tuentur independentiam . 313
- Cap. xxiv. Bullæ , *Auſculta fili* , & *Unam ſanctam* ; expenduntur . 318
- Cap. xxv. Reliqua Bonifaciani diſſidii acta : Gallicana intacta : Bonifaciana à ſucceſſoribus antiquata . 321
- Cap. xxvi. Joannis XXII. ſucceſſorumque acta adverſus Ludovicum Bavarum Imperatorem ſummam reſeruntur , nec ad noſtram quæſtionem pertinere ostenduntur . 323
- Cap. xxvii. De Navarræ Regno Hiſpanis tradito : item de Joanna Albretana , hæreſis crimine , ſub privationis pœna Romam à Pio IV. evocata , quod Galli improbarint ac prohibuerint . 324
- Cap. xxviii. Sixti V. & Gregorii XIV. decreta in Henricum IV. Navarræ , ac poſtea Francorum & Navarræ Regem , quoad temporalia nullo loco habita : à Clemente VIII. abſolutio eidem Henrico IV. nulla rehabilitationis mentione , ut Regi imperitur : obiter notatur , qui adverſus Declarationem Gallicanam de libertatibus Gallicanis ſcripſit Anonymus . 326

\* LIBER QUARTUS .

- Quo à Gregorii VII. temporibus res in Conciliis Œcumenicis geſtæ reſeruntur ad Caput primum Gallicanæ Declarationis . 329
- Cap. I. Canon xxvii. Concilii Lateranenſis III. ſub Alexandro III. quo pœnæ temporales adverſus hæreticos decernuntur : ibi diſtinctio notabilis , eorum quæ Eccleſia per ſe , & eorum quæ gerat Principum adjuta Conſtitutionibus : hinc lux huic & aliis ejusdem generis ſecutis Canonibus : his decretis Principum conſenſus intervenire ſolitus : hinc quoque certa illis auctoritas . ibid.
- Cap. II. Concilii Lateranenſis IV. Canon III. ſub Innocentio III. quod ad pœnas temporales attinet , ejus eſt generis , in quo Eccleſia conſenſu & Conſtitutionibus Principum adjuvant : Principes facile comprobabant quæ adverſus hæreticos ab Ec.



- clesia sancirentur. 332
- Cap. III.* Antiquorum Imperatorum leges, quibus Ecclesia juvabatur ad poenas temporales adversus hæreticos, in Conciliis Lateranensibus III. & IV. decernendas. 333
- Cap. IV.* Ex historiis demonstratur quæ de feudis aliisque temporalibus, Ecclesiastica auctoritate gererentur, Principum concessione & confessione valuisse. 334
- Cap. V.* Ecclesiastica potestas multa sibi vindicavit civilia: sacra bella religionis causa, sive Cruciatae: alias ejusmodi occasionēs: S. Ludovici de Philippo Augusto avo insigne testimonium: tacitæ consensionis exceptio utrique ordini ad sua jura explicanda necessaria est: utriusque potestatis sancta societas: Petri Damiani repetitur locus. 336
- Cap. VI.* De Friderico II. deposito: sub Gregorio IX. acta: excommunicatus, deinde depositus, à S. Ludovico & Gallis pro Imperatore est habitus: Concilium Œcumenicum à Gallis requisitum, à Gregorio IX. Romam convocatum. 338
- Cap. VII.* Quæ sub Innocentio IV. Gregorii IX. successore gesta: Concilium Lugdunense II. in eo acta: atque ex his & ante dictis, argumenta contra nos. 342
- Cap. VIII.* Solutio objectorum præcedentis Capituli: duo quædam notatu digna: Deposuit edita, Sacro præsentis Concilio, non sacro approbante Concilio, ut solet. 342
- Cap. IX.* De statu Imperii Romano-Germanici quædam quæ ad objectorum solutionem spectant. 343
- Cap. X.* Constantiensis & Basileensis decreta: Sigismundi Imperatoris in Synodo Constantiensis Imperiale decretum: ejusdem Imperatoris de Romano-Germanici Imperii Principibus declaratio. 346
- Cap. XI.* Concilium Lateranense V. sub Julio II. De Concilio Tridentini decreto Sessionis XXV capite XIX. de Reformatione: Quid nostræ etiam Curie Romanæ addidissimi senserint. 350
- Cap. XII.* Nostræ sæculi gesta ultimo loco reservata: dissidium Venetum sub Paulo V. Henrici IV. Magni opera compositum. 351
- Cap. XIII.* Cardinalis Bellarmini libri adversus Barclæum: Senatus decretum, antiquis ejusdem Senatus decretis congruum, quæ sacra Facultas suscepit: Regii Consilii decretum: Perronii Cardinalis opera. 354
- Cap. XIV.* Conventus Ordinum Regni 1614. Articulus propositus à tertii Ordinis deputatis: cur Clerus obstiterit, adjuncta nobilitate: Perronii Cardinalis oratio quatenus à Clero probata: an hæc novissimæ Cleri Gallicani Declarationi noceant? 355
- Cap. XV.* In Perronii Cardinalis oratione ad tertium Ordinem annotata quædam: ejus dicta confutantur: acta laudantur: hujus controversiæ finis. 356
- Cap. XVI.* Censura Sanctarelli. An Cardinalis Perronius jure metueret, ne Ecclesia errasse videretur, si censura notata esset illa de deponendis Regibus sententia. 359
- Cap. XVII.* Recapitulatio dictorum ad caput I. Gallicanæ Declarationis de temporalis potestatis suprema auctoritate: an quod Cardinalis Perronius objecit, nostram sententiam Romani Pontifices pro erronea habuerint? An ab ullis Conciliis damnata sit? An aliquis ex ea adversus Ecclesiæ auctoritatem metus? 360
- Cap. XVIII.* De Regibus propter hæresim & apostasiam deponendis: cur ætare postrema multi Reges consenserint? Cur Scholastici Doctores? Cur ab ea sententia discedamus? 363
- Cap. XIX.* Anonymi auctoris, qui tractatum de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ edidit, liber IV. ex antedictis confutatur. 365
- Cap. XX.* Reliqua Anonymi argumenta soluta paucis: ac primum quæ ad Scripturam. 368
- Cap. XXI.* Argumenta Anonymi deprompta ex antiquitate: tum ex Scholasticis & Canonistis. 369
- Cap. XXII.* Anonymi argumenta ex consensu Regum & Sanctorum exemplis. 371
- Cap. XXIII.* De Anglicana controversia: conclusio tractationis ad Caput 1. Declarationis Gallicanæ: doctrinam hanc Ecclesiæ Catholicæ ornamento, aliam invidiæ esse. 374

## PARS SECUNDA.

In quâ de Conciliis Constantiensis & Basileensis & consensu agitur. 381

LIBER QUINTUS.

De Concilio Constantensi ad Caput secundum



- dum Gallicanæ Declarationis . . . . . ibid.
- Cap. I. Refertur Declarationis Caput II. hujus libri scopus : Synodam Constantiensem sedi Apostolicæ nunquam intensam aut suspectam fuisse . . . . . ebid.
- Cap. II. Constantiensis Concilii laudata decreta , ex Sessionibus IV. & V. referuntur : censores nostros , atque etiam ipsum auctorem tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ , nec Synodi verba attendisse ; nedom intellexerint . . . . . 383
- Cap. III. Ordo disputationis hujus : Censores nostri tria obijciunt : primum quidem de textu ; alterum de sensu ac mente ; posterum de auctoritate decretorum Constantiensium . . . . . 386
- Cap. IV. Novum Emmanuelis Schelstrati de textus falsatione commentum . . . . . 387
- Cap. V. Schelstrati , de falsata sessione IV. Constantiensi fabula confutatur : prohibitas Patrum Basileensium omnium scriptorum consensu asseritur : B. Ludovici Alamandi , ejus cœtus Principis , eximia sanctitas . . . . . 389
- Cap. VI. Sessionis V. qua potissimum vivimur , sessionem , neque in dubium revocari posse , neque unquam in dubium revocatam . . . . . 393
- Cap. VII. Ad sensum Constantiensium canonum constituendum præmittitur brevis historia schismatis : ex ipso schismate fidei periculum , Sedis Apostolicæ contemptus , morum corruptela , ac necessaria reformatio . . . . . 395
- Cap. VIII. Trias schismati quæsitæ remedia : Concilium Œcumenicum necessarium : Ecclesiæ Gallicanæ ab Odorico Rainaldo , Wiclefismi accusata , propter tubratam simul obedientiam & Annatas . . . . . 398
- Cap. IX. Nullum remedium nisi in Conciliorum generalium superiore potestate : an ea sit agnita in causa schismatis tantum ; an ideo collata ad schismatis causam , quod in aliis quoque causis prævalere solet ? . . . . . 400
- Cap. X. Concilium Pisanum ab utriusque obedientiæ Cardinalibus convocatum , quo jure ? Ejus Concilii acta . . . . . 402
- Cap. XI. Confirmatur assertum illud : quod processus Ecclesiæ Catholicæ & Pisani Concilii , superiore Conciliorum , etiam extra schisma in summis quibusque negotiis , auctoritate nitantur : quibus fundamentis Concilii Pisani decreta nitantur . . . . . 404
- Cap. XII. An sine temeritate Concilii Pisani auctoritas rejici possit . . . . . 407
- Cap. XIII. Ad Constantiense Concilium devenitur : ejus causæ atque initia referuntur : rerum series usque ad sessionem V. hinc confutati qui ad schismatis tempus decreta restringunt . . . . . 410
- Cap. XIV. Vana suffugia , ex ipso Concilii scopo ac verbis confutantur . . . . . 412
- Cap. XV. Ex sessione VIII. Concilii Constantiensis , sessionis V. sensus asseritur . . . . . 415
- Cap. XVI. Mens sessionis V. ex capite *Frequens* , & ex capite *Si vero* , sessionis XXXIX. demonstratur . . . . . 419
- Cap. XVII. Idem demonstratur ex aliis capitibus sessionis XXXIX. Schelstrati & aliorum suffugia præcluduntur . . . . . 419
- Cap. XVIII. Idem demonstratur ex sessione XL. & octodecim tum propositis reformationis articulis . . . . . 420
- Cap. XIX. Recapitulatio eorum quæ de mente Concilii dicta sunt : solutio objectionum Cap. III. . . . . 422
- Cap. XX. Sessionibus IV. & V. æquæ ac reliquis Concilii Œcumenici auctoritas constet : an valeat Bellarmini responsio : earum sessionum decreta , à Florentina & Lateranensi Synodis antiquata ? . . . . . 423
- Cap. XXI. An Sessionum IV. & V. dubia sit auctoritas , quod duæ obedientiæ defuerint ? An Joannis XXIII. obedientia tertia pars Ecclesiæ fuerit ? An Joannes XXIII. aut alii Sessionibus IV. & V. contradixerint ? Joannis Turrecrematæ & Joannis Gersonis loci . . . . . 424
- Cap. XXII. Quod inter Catholicos certum sit , Concilium Constantiense jam inde ab initio , & ante adunatas obedientias fuisse Œcumenicum : Bulla *Inter cunctas* à Martino V. sacro approbante Concilio , edita Constantiæ . . . . . 427
- Cap. XXIII. An novæ Concilii convocationes , Gregorii & Benedicti obedientiis Constantiam advenientibus , pacis studio factæ , antecedentium sessionum auctoritatem infringant ? Ac primum de suscepto Gregorio , sessione XIV. . . . . 428
- Cap. XXIV. Exemplum singularis in ejusdem Schismatis casu indulgentiæ & consensensus . . . . . 430
- Cap. XXV. De Sessionis XXII. XXVI. XXXV. quibus Aragonenses , Navarrii & Castellani suscepti sunt . . . . . 432
- Cap. XXVI. Ex ipsa rerum serie antedicta confirmantur . . . . . 433



- Cap. XXVII.* Antiquæ Ecclesiæ exemplis Concilii Constantiensis œconomia asseritur . 436
- Cap. XXVIII.* Objectio ex defectu confirmationis perita dissolvitur . 437
- Cap. XXIX.* An sessio IV. & V. decreta iis accenseri debeant, quæ Martinus V. ut Conciliariter facta, confirmavit . 439
- Cap. XXX.* Bellarmini sensus exploditur : an Sessio IV. & V. decreta sine examine debito processerint . 440
- Cap. XXXI.* An illa formula, *Sacro approbante Concilio*, Papam Concilio superiorem probet . 442
- Cap. XXXII.* Prædicta responsa de dubio Pontifice etsi valeant, non tamen adversarios expeditos esse, ac Parisiensem ex Constantiensi canone vigere sententiam . 444
- Cap. XXXIII.* Emmanuelis Schelstrati objecta, à codicibus manuscriptis petita, solvuntur circa Sessionem IV. 448
- Cap. XXXIV.* Quæ in Schelstrati Manuscriptis sessionem V. spectant . 449
- Cap. XXXV.* Francisci Zabarellæ Cardinalis Florentini doctrina de superiori etiam in reformationis negotio Concilii potestate : Corollarium de dissensionibus Constantiensibus à Schelstrato memoratis . 451
- Cap. XXXVI.* Alia Schelstrati ex manuscriptis codicibus objecta solvuntur : an aliquid contra nos concludatur ex eo quod reformatio ad id tempus dilata sit, quo Papa electus esset . 454
- Cap. XXXVII.* Alia objectio Schelstrati circa sessionem XIV. Concilii Constantiensis . 456
- Cap. XXXVIII.* Postrema objectio Schelstrati, de sublato decimo-tertio reformationis articulo . Bulla Martini V. de non appellando ad Concilium, suum in locum remittitur . 458
- Cap. XXXIX.* Confirmatio argumentorum pro auctoritate Constantiensis Concilii : multa in eandem rem Martini V. & Eugenii IV. acta usque ad Basileense Concilium . ibid.
- Cap. I.* Duo dissidia Basileensia distinguuntur : res in primo dissidio gestæ . ibid.
- Cap. II.* Ex antedictis, Constantiensia dogmata confirmantur . 468
- Cap. III.* Confirmantur argumenta capituli præcedentis : insigne Eugenii IV. ad universos fideles diploma refertur . 470
- Cap. IV.* Turrecrematæ & Rainaldi aliorumque suffugia . 471
- Cap. V.* De secundo Basileensi dissidio : quid ab initio reconciliatæ gratiæ, usque ad secundi dissidii initium, à Synodo gestum sit per biennium . 474
- Cap. VI.* Quid per idem tempus ab Eugenio IV. sit gestum . 476
- Cap. VII.* Dissidii causa ex gestis : quæstio proponitur, an Constantiensia decreta revocata in publicum ? 479
- Cap. VIII.* Ex actis ab Eugenio IV. adversus Basileenses in Ferrariensi quoque seu Florentino Concilio editis probatur priora Basileensia, quibus Constantiensia confirmantur, integra auctoritate esse . 481
- Cap. IX.* Decretalis, *Moses*, in Synodo Florentina edita, priora Basileensia & Constantiensia decreta firmat . 482
- Cap. X.* An decretum unionis Florentiæ editum, Constantiensia decreta antiquat . 485
- Cap. XI.* De vero sensu eorum verborum decreti unionis : Quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum continetur . 487
- Cap. XII.* An Constantiensibus decretis, & Conciliari potestati noceat, quod Ecclesiæ pars maxima, ac præsertim Galli, Eugenio Basileæ damnato ac deposito obediunt . 490
- Cap. XIII.* Nobilissimas Universitates, propter Constantiensium canonum auctoritatem, Basileensi Synodo adhesisse . 493
- Cap. XIV.* Mors Eugenii IV. Nicolaus V. succedit : pax composita, immotis decretis Constantiensibus : Concilii Basileensis antesignani, abdicato tantum Felice, nulla doctrinæ retractatione, pro Orthodoxis habiti . 495
- Cap. XV.* Quæstio de translatione, qualis habita in Basileensi & secutis Synodi : de Constantiensibus decretis nullum superesse dubium : Joannis de Paradiso Carthusiani locus de rebus Basileensibus . 498
- Cap. XVI.* Petri Meldenis Episcopi ad Eugenium IV. Caroli VII. nomine, gesta Legatio : an Odorico Rainaldo eam obij-

## LIBER SEXTUS .

De Basileensi, aliisque secutis Synodis ac gestis, quibus Constantiensia decreta confirmantur . 463



TOMUS SECUNDUS.

- objicienti proſit ? 301  
*Cap. XVII.* Bulla retractationis Pii II. ad  
 Colonienſem Academiam Conſtantiensia  
 decreta confirmat, Baſileenſia tantum po-  
 ſteriora damnat. 302  
*Cap. XVIII.* An Lateranenſi Synodo, ſub  
 Leone X. Conſtantiensia decreta abrogen-  
 tur ? quantis auctoritatibus hæc firma  
 ſint : cur Patres Gallicani priora Baſile-  
 enſia geſta in Declaratione ſua expri-  
 menda non putaverint. 303  
*Cap. XIX.* An Conſtantiensibus decretis ni-  
 xa ſententia ad fidem Catholicam per-  
 tineat ? 307  
*Cap. XX.* An ea, quam vocant Pariſienſium  
 ſententiam, occasione ſchiſmatis exorta  
 ſit : acta in Joannem de Montefono an-  
 no 1387. 310  
*Cap. XXI.* Facultatis articuli adverſus Joan-  
 nem Sarrazinum Prædicatorem, paulò  
 poſt Conſtantienſe Concilium, ac Mar-  
 tino V. ſedente. 312  
*Cap. XXII.* Pergit Facultas Pariſienſis co-  
 hibere Mendicantes poſt Baſileenſe diſſi-  
 dium ac pacem : Facultas in priſca ſen-  
 tentia : decreta, vigente Pragmatica ſan-  
 ctione. 314  
*Cap. XXIII.* Poſt abolitam Pragmaticam  
 ſanctionem, eadem doctrina apud no-  
 ſtros. 316  
*Cap. XXIV.* Acta Pariſiis apud Prædicato-  
 res, Edmundo Richerio Syndico, an-  
 no 1611. 318  
*Cap. XXV.* Edmundi Richerii liber de Ec-  
 cleſiaſtica & Politica poteſtate : aulicæ ar-  
 tes : acta Facultatis : Episcopales cenſuræ :  
 quo fundamento nixæ : de priſca ſenten-  
 tia nihil motum. 320  
*Cap. XXVI.* Acta Facultatis adverſus Mar-  
 cum Antonium de Dominis & Theo-  
 philum Millererium : item de Ludo-  
 vico Cellotio ac Franciſco Guillo-  
 vio. 322  
*Cap. XXVII.* Articuli Facultatis ad Ludo-  
 vicum Magnum allati : Cenſuræ Ver-  
 nanii & Guimenii : Alexandri VII.  
 Bulla : Propoſitio Strigoniensia, ejuſque  
 cenſura. 326  
*Cap. XXVIII.* An ſententia de potiore Con-  
 cilio poteſtate, Regum juribus ac pote-  
 ſtati noceat : Thomæ Corcellæi respon-  
 ſum : Propoſitio Joannis Huſſi in Con-  
 ſtantiensii Concilio condemnata. 330

PARS TERTIA. De Pariſienſium ſententia  
 ab ipſa Chriſtianitatis origine repe-  
 tenda. Pag. 1

LIBER SEPTIMUS. Conciliorum generalium  
 Traditio. ibid.

*Cap. I.* Infallibilitas quibus verbis ab anti-  
 quis explicetur, ubi ſita ſit quæritur. ibid.

*Cap. II.* Sententia Pariſienſium res inter ju-  
 dicatas reponenda ex dictis de Concilio  
 Conſtantiensii. 2

*Cap. III.* Alia modernorum quorundam  
 cavillatio confutatur, offenditurque ex  
 ipſis Conſili Conſtantiensia verbis ac ge-  
 ſtis, Papam non modò teneri Concilia-  
 ribus de fide decretis jam factis, ſed etiam  
 in quærendo & tractando, in Concilii  
 poteſtate eſſe. 3

*Cap. IV.* Aliæ cavillationes : Papam ſubjici  
 quidem Concilio in fidei quæſtionibus, ſed  
 tantum poſtquam ſe illi ſponte ſubmiſit,  
 tum eſſe quidem illum per ſe infallibi-  
 lem, ſi non adſit Concilium, ſed præſen-  
 te Concilio, jam illi ſubefſe. 4

*Cap. V.* An Concilio Conſtantiensia judicium  
 antiqua Traditione nitatur : præmittimus  
 quædam ex Vincentio Lirinienſi de Ec-  
 cleſiæ Catholicæ toto Orbe diſfuſæ aucto-  
 ritate : hinc valere Concilia œcumenica :  
 duplex ratio agnoſcendæ Eccleſiaſticæ  
 conſenſionis ac finiendarum fidei quæſtio-  
 num ; altera per Concilia œcumenica ;  
 altera ſine Concilis œcumenicis : utraque  
 ſuo ordine tractanda ſuſcipitur : à prima  
 ordimur ; atque octo primorum Con-  
 cilio generalium Traditionem ac pra-  
 xim explicare incipimus. 5

*Cap. VI.* Concilium Apoſtolicum Hieroſo-  
 lymis habitum de legalibus, ut omnium  
 Conciliorum generalium forma proponi-  
 tur : perpenditur illud : *Viſum eſt Spiritui  
 ſancto & nobis* : vis Spiritus in ipſa con-  
 ſenſione poſt acta eam rem egregiæ Con-  
 cilio V. ac S. Cæleſtini Papæ in Concilio  
 III. auctoritates. 7

*Cap. VII.* Concilii Nicæni primi Decreta ad-  
 verſus Arianos ipſa Patrum conſenſione  
 valuerunt, nullo ante geſtam, nullo poſt  
 geſtam Synodum Sedis Apoſtolicæ ſpecia-  
 li decreto : in eo Concilio ipſius conſen-  
 ſionis auctoritate tres præcipuæ finitæ  
 quæſtiones : ad Sedem Apoſtolicam com-  
 munis decreti executio pertinet. 10



- Cap. VIII.* Constantinopolitana prima Synodus secunda generalis in medium adducitur : ex ea demonstratur quæstiones fidei sola Ecclesiarum consensione finitas. 12
- Cap. IX.* Ad Ephesinam Synodum devenimus : referuntur ea quæ Synodum præcesserunt, demonstraturque à S. Cælestino Papa tota Sedis Apostolicæ auctoritate in Nestorii hæresim ac personam pronuntiatum fuisse : an tale iudicium pro irreformabili sit habitum? Quæstio ex actis postea dissolvenda. 13
- Cap. X.* Dicta à Cælestino Papa de fide, tota Sedis Apostolicæ auctoritate sententia, Concilii universalis mentione & convocatione suspenditur : ii canonicè & ordine factum omnes Episcopi & Papa ipse confitetur. 14
- Cap. XI.* Acta Synodi Ephesinæ recensentur : ejus actio I. Probat Synodus omnia quæ à Cælestino decreta essent in suspenso manere usque ad Synodi sententiam : quæ de fide gesta sunt referuntur, ostenditurque prolatum à Papa iudicium ad examen legitimum fuisse revocatum. 15
- Cap. XII.* Continuatio actionis primæ Concilii Ephesini : quæ circa Nestorii personam à Cælestino Papa decreta essent, ad Synodale examen & ipsa revocantur, nec nisi quæstione habita comprobantur. 17
- Cap. XIII.* Gesta actionis II. quibus præcedentia comprobantur : quid sit confirmare decreta stylo Ecclesiastico ex gestis demonstratur : in Synodi examine atque iudicio quæstionis finem, non modò sacra Synodus, sed etiam Legati Apostolici atque etiam ipse Papa Cælestinus agnoscent. 18
- Cap. XIV.* Ephesinæ Synodi praxis qua doctrina nitatur? Episcoporum auctoritas in Apostolis instituta : iis omnibus fidei depositum in commune traditum & communi cura custodiendum : Apostolici in Hierosolymis Concilii auctoritas in secutis Conciliis : hæc ex Cælestini epistola Ephesi lecta, qua confutantur ii, qui docendi auctoritatem à Papa in Episcopos manare contendunt. 21
- Cap. XV.* Chalcedonenis Concilii IV. generalis acta proponuntur : referuntur ea quæ antecesserint : ex his demonstratur, etiam in fidei causis, post Romani Pontificis iudicium, à tota Ecclesia ipso vel Romano Pontifice plenius ac majus jamque irrefragabile iudicium expectari. 22
- Cap. XVI.* In Chalcedonenſi Concilio duo ad rem faciunt : alterum Dioscori Patriarchæ Alexandrini ; alterum examen epistolæ Leonis : hic de Dioscoro demonstratur in causis quæ universalem Ecclesiam spectant, in ipsa consensione vim summam & indeclinabilem esse repositam. 24
- Cap. XVII.* Alterum Caput in Synodo Chalcedonenſi tractatum, de exposita fide : S. Leonis epistola non nisi facto examine comprobata : Gallorum & Italorum ante Chalcedonenſe Concilium de recipienda Leonis epistola literæ ejusdem spiritus referuntur : decretum Apostolicæ Sedis, non nisi consensione Ecclesiarum, irtractabile fieri Christiani omnes & ipse Leo consentitur. 26
- Cap. XVIII.* Adversariorum effugia : Bellarminus & Baronius diversa sectantur : aliorum cavillationes : de Theodoro in sedem restituto agitur, ex eoque facto nostra sententia confirmatur. 28
- Cap. XIX.* Concilium V. generale, seu Constantinopolitanum II. in medium adducitur : in eo referuntur III. & IV. Synodi acta jam à nobis recensita, & clarè docetur Romanorum Pontificum, ut & aliorum scripta, non nisi inquisitione facta à Synodis comprobari : unde trium simul Synodorum Œcumenicarum auctoritas nostram sententiam firmat. 32
- Cap. XX.* Synodus V. invitato ac repugnante Vigilio Papa habetur : ejusdem Vigilius constitutum solvit : Ithæ epistolam, ipsius sententia ab hæresi absolutam, impiam & hæreticam judicat : à Romanis Pontificibus comprobatur. 33
- Cap. XXI.* In Synodo VI. generali, quæ Constantinopolitana est III. causa Honorii Papæ per Synodum condemnati : tria suffugia proponuntur : quæstiones aliquot ex actis suo ordine resolvendæ : brevis Monothelitarum historia præmittitur. 35
- Cap. XXII.* Honorius Cyri Alexandrini & Sergii Constantinopolitani scripta dogmatica, in sexta Synodo condemnata, directè probat : Sophronii Hierosolymitani ab eadem sexta Synodo atque ab omnibus Orthodoxis comprobata improbat : ejus Legatos à veritate deterret : consultus à tribus Patriarchis prava referbit : ejus literæ toto Oriente vulgatæ, his Monothelitarum præcipuè nitebantur : an hæc privato Doctore scripserit? Eæ epistolæ dog-



- dogmatica* habentur, hoc est decretales: *dogmatis* nomen explicatur: confutantur suffugia. 36
- Cap. XXIII. Bellarmini ac Baronii suffugium, quod hæc Honorius dispensatorie pacis gratia scripserit, quoad rem exactius definiret: id ipsius Honorii verbis confutatur, doceturque Honorium cum Monothelitis à Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Martino, pressio licet nomine, condemnatum. 39
- Cap. XXIV. De Synodo VI. generali: ea post Romanorum Pontificum, atque imprimis S. Martini, exquisitissimas definitiones est habita: in ea de S. Agathonis totiusque Occidentalis Synodi literis rite deliberatur: quo sensu Synodus suscipiat quæ à S. Agathone de Sede Apostolica prædicantur. 41
- Cap. XXV. Sextæ Synodi in Honorium dicta sententia: ejus sententiæ frequens repetitio: cur Synodus eum damnatum voluerit, quem Romani Pontifices excusare videantur. 42
- Cap. XXVI. Actio falsi intentata, Synodali-  
bus gestis, ac duabus Leonis II. epistolis, temeraria & absurda, repugnantibus omnibus scriptoribus actique publicis. 44
- Cap. XXVII. Porriusimum argumentum falsitatis ex Agathonis epistola ductum: quam vanum illud sit: Agatho & Leo II. inter se componuntur: etsi Honorius de fide prava docuerit, haud minus Ecclesiæ Romanæ permanere inconcussam fidem. 48
- Cap. XXVIII. Quæstio de Honorio concluditur, atque utcumque illius res se habent, invictum manet ex his petitum argumentum. 51
- Cap. XXIX. Patres Tolerani Concilii XIV. Synodum VI. pro Œcumenica non habent, eò quod Hispani ad eam vocari non essent, neque eam probant nisi factò examine, tametsi à Leone II. probatam constitisset. 52
- Cap. XXX. Synodus Nicæna II. seu generalis VII. more antecedentium Synodorum, de Adriani I. literis quætionem habet: locus egregius, quo eadem Synodus docet vim illam ineluctabilem, in Ecclesiæ Catholicæ consensione esse positam. 53
- Cap. XXXI. Galli Synodum VII. seu Nicænam II. Adriano Præside habitam, pro Œcumenica non habent, eò quod ad illam nec ipsi, nec alii Occidentales vocati essent: egregius ea de re Jacobi Sirmundi locus: Romanorum Pontificum de Gallis sententia. 54
- Cap. XXXII. Synodus VIII. generalis Constantinopolitana IV. æquæ ac cæteræ de Romanorum Pontificum judiciis judicat: traditam sibi à Christo, ut & Romanæ Ecclesiæ, ligandi ac solvendi potestatem agnoscit & exercet: post Synodi judicium, nulla jam appellatio, nulla alia spes est. 57
- Cap. XXXIII. Concluditur argumentum ab VIII. primorum Conciliorum auctoritate repetitum: eorum acta adversarii nec considerasse videntur: S. Gelasii & S. Gregorii locus de irretractabili Ecclesiasticorum judiciorum auctoritate. 58
- Cap. XXXIV. Alia Concilia generalia memorantur: in eis persistit antiqua Traditio, ut summæ quæstiones ad Concilia generalia referrentur, nec Pontifex decerneret, nisi *sacro approbante Concilio*: referuntur quatuor prima Lateranensia Œcumenica Concilia, sub Calixto II. Innocentio II. Alexandro III. Innocentio III. & Lugdunense primum sub Innocentio IV. 59
- Cap. XXXV. Concilium generale Lugdunense II. sub Gregorio X. de reconciliandis Græcis: hujus acta præcipua referuntur. 61
- Cap. XXXVI. Decretum Concilii Lugdunensis II. de Papæ auctoritate produciunt: ostenditur nihil favere adversariis. 62
- Cap. XXXVII. Idem ex Græcorum in Basiliensi & Florentina Synodis & trina, Eugenique Papæ ac Latinorum consensu ostenditur. 64
- Cap. XXXVIII. Viennense Concilium sub Clemente V. ejus ævi scriptor nobilis Guillelmus *Mimatensis* Episcopus, *speculator* dictus, à Papa jussus de habendo Concilio scribere, quid senserit. 66
- Cap. XXXIX. Lateranensis Synodus sub Julio II. ex eâ Conciliorum necessitas & auctoritas. 68
- Cap. XL. Post Lutheranam pestem, Concilii generalis habendi necessitas ab omnibus, adeoque à Romanis Pontificibus agnoscitur: ea re Concilium Tridentinum convocatur. 69

LIBER. OCTAVUS.

Solvuntur objectiones quædam, ac præsertim.



- tim illa quæ ex Conciliorum confirmatio-  
ne petitur, ad idem Caput IV. *Gallicanæ  
Declarationis* . 71
- Cap. I. Obiectio de confirmatis à Roma-  
no Pontifice Synodis generalibus propo-  
nitur : hujus dissolvendæ ratio atque or-  
do explicatur . ibid.
- Cap. II. Quid sit *confirmare* Ecclesiastico  
stylo, & quid auctoritatis invehat: *con-  
firmari* decreta non modò ab æqualibus, sed  
etiam ab inferioribus passim : tum spe-  
ciatim explicatum non modò à Romanis  
Pontificibus Conciliaria decreta, sed &  
à Conciliis etiam particularibus Roma-  
norum Pontificum decreta *confirmari*. 72
- Cap. III. Quid in *confirmandis* Conciliis ge-  
stum sit : Nicæna, Constantinopolitana,  
Ephesina Synodus : nihil in his de illa  
quam quærimus *confirmatione* actum : de  
Ariminenſi Synodo : de epistolis Euthe-  
rii & Helladii ad Sixtum III. adversus  
Ephesina decreta : Christiani Lupi va-  
næ notæ . 75
- Cap. IV. De Ephesino Latrocinio : quid Leo  
egerit : ut ultimam sententiam futuræ  
universali Synodo reservavit . 78
- Cap. V. A Chalcedonenſi Synodo nullam  
in fidei negotiis *confirmationem* petitam:  
cujusmodi sit ea quam S. Leo ultro de-  
derit . 79
- Cap. VI. Quintum, sextum, septimum,  
octavum Concilium . 80
- Cap. VII. Reliquæ Synodi usque ad Tri-  
dentinam . 82
- Cap. VIII. De canonibus Conciliorum ge-  
neralium à Sede Apostolica *confirmatis* vel  
*infirmatis* : Constantinopolitani canones,  
præsertim III. Chalcedonenſes, ac præser-  
tim XXVIII. 83
- Cap. IX. Recapitulatio eorum quæ de *con-  
firmatione* ex Conciliorum actis dicta sunt:  
hinc confutantur allati à quibusdam re-  
centioribus Pontificiæ *confirmationis* effe-  
ctus : Ecclesiæ consensus quatenus ulti-  
ma Synodi benè gestæ testificatio : S. Ge-  
lasii locus . 86
- Cap. X. Andreæ Duvallii de *confirmatione*  
sententia confutatur ; nempe quod ante  
eam Conciliorum anathemata valeant,  
tantum sub spe ratihabitionis futuræ :  
Concilii VIII. locus egregius . 87
- Cap. XI. Ex antedictis resolvitur illud duo-  
decim sæculis inauditum ; quòd Episcopi  
jurisdictionem omnem à Papa mutuuntur ;  
quodque Papæ assistant ut Consilarii tan-

- tum, non ut iudices . 88
- Cap. XII. Quò sensu dictum sit ab antiquis,  
à Petro & per Petrum esse Episcopatum:  
S. Augustini locus . 89
- Cap. XIII. Patres ante Augustinum : alii  
Augustini loci : Traditio sequentis æta-  
tis . 91
- Cap. XIV. Cleri Gallicani ab antiqua Tra-  
ditione ducta sententia : Conventus gene-  
ralis an. 1655. adversus Joannem Bago-  
rium acta memorantur . 94
- Cap. XV. Auctoris Anonymi de jurisdic-  
tione Episcopali à summo Pontifice profe-  
cta varæ commentationes : S. Gregorii  
loci : Bellarmini obiectio : S. Felicis III.  
locus . 97
- Cap. XVI. Loci S. Joannis Chrysostomi à  
novissimo auctore Anonymo obiecti. 100
- Cap. XVII. Alius Chrysostomi locus in  
Acta Apostolorum . 102
- Cap. XVIII. S. Augustini locus ab eodem  
Anonymo obiectus contra Conciliorum  
auctoritatem indeclinabilem . 104
- Cap. XIX. Alii loci Augustini ab eodem  
objecti : an Papa Ecclesiam Catholicam  
representet . 106
- Cap. XX. Repetuntur & urgentur quæ pro  
Parisiensium sententia ab auctoritate &  
convocatione Conciliorum generalium  
dicta sunt : confutantur vana suffugia :  
Bellarmini etiam responsionibus antedi-  
cta firmantur . 107

## LIBER NONUS .

- De quæſtionibus præsertim fidei, extra Con-  
cilia generalia, per consensum Ecclesiæ  
definitis . 113
- Cap. I. Consensionis universalis vis & aucto-  
ritas ante omne iudicium Ecclesiasticum:  
multo major, cum Romani Pontificis de-  
creta, nullo reclamante, obtinent . ibid.
- Cap. II. Locus Augustini de Pelagianis .  
*causa finita est* : quænam illæ causæ sint,  
quæ sine Synodis finitæ intelligantur: duo  
Astorum loci comparantur : causæ Pela-  
gianæ status ex Augustino: *sufficiens judi-  
cium* eidem Augustino quid sit : Capreoli  
Cartaginensis locus : Concilii Ephesini  
de Pelagianis decretum . 115
- Cap. III. Quæ causæ sine Synodo finiri pos-  
sint, quæ finiri non possint ex S. Augu-  
stino & quæſtione rebaptizationis osten-  
ditur . 119
- Cap.



- Cap. IV. S. Stephani Papæ contra rebaptizationem decretum, tota Sedis Apostolicæ auctoritate factum, & tamen Concilii generalis sententiam merito expectatam : S. Augustini loci . 120
- Cap. V. Non tantum pertinaces, sed sancti post Papale decretum aliud quid desiluerant . 121
- Cap. VI. Quætionem rebaptizationis à Cypriano & affectis inter adiaphora non fuisse repositam . 122
- Cap. VII. An Augustinus aliique Patres eam quætionem inter adiaphora habuerint ? 123
- Cap. VIII. Quid objiciant qui hæc referunt inter adiaphora ? Firmiliani & Basilii loci . 125
- Cap. IX. Quæ sit illa *Synodus* universalis quam in hac quætionem Augustinus memoret ? Nicænam eam esse ; sed utcumque sit, nostra immota esse . 127
- Cap. X. Non tantum fidei causa, sed etiam aliæ quæ universalem spectarent Ecclesiam, ab universali Concilio retractandæ, nec nisi *consensione Orbis* finitæ esse creduntur : causa Cæciliani : S. Augustini locus . 128
- Cap. XI. Causa S. Joannis Chrysostomi . 129
- Cap. XII. Decreta adversus Origenistas : Theophilus Alexandrinus S. Anastasium Papam præit, ac Romam ipsam liberat : in consensione vis posita : S. Hieronimi loc . 130
- Cap. XIII. Turbæ post Chalcedonensem Synodum : de his seorsim per encyclicas epistolas Ecclesiæ consuluntur : responsa mittuntur : communi consensione quæstiones finiuntur . 131
- Cap. XIV. S. Simplicii Papæ locus de decretis Apostolicis irrefragabilibus Ecclesiæ universalis assensu . 132
- Cap. XV. S. Gelasii locus in epistola ad Episcopos Dardaniæ . 133
- Cap. XVI. Propositio, unus *Trinitatis crucifixus*, à Scythæ Monachis Constantinopoli agitur : Monachi Hormisiam consulturi pergunt : professio Justiniani, eadem de re Romanum Pontificem consulentis, pro ejus infallibilitate objicitur . 134
- Cap. XVII. Viri boni sanctique consulendos docent per Orbem terrarum Episcopos : quætionis finem ab Ecclesiæ universalis auctoritate expectandum . 136
- Cap. XVIII. S. Hormidæ epistola ad Postumum, II. 137
- sefforum, qua Scythæ Monachi condemnantur : illi Ecclesiæ Catholicæ sententiam expectant : eorum propositio vincit : non nisi Ecclesiæ universalis consensione quæstioni finis imponitur . 137
- Cap. XIX. Formula consulendi Romani Pontificis, rei gestæ serie, ac Patrum Traditione explicatur . 140
- Cap. XX. Quæstio Elipandi de Christo adoptivo Dei filio, Romani Pontificis & Ecclesiarum consensione finitur : particula *Filioque* per eadem fere tempora Symbolo addita . 141
- Cap. XXI. Tricassina II. Synodus sub Joanne VIII. professio obedientiæ Romano Pontifici facta secundum canones ab Hincmaro Rhemensi : Episcopi conjuncta auctoritate cum Papa judicant : ex consensione robor . 143
- Cap. XXII. Objecta solvuntur : Turonensis II. Concilii canon : statuta Nicolai Papæ : canones Pontigonensis Synodi : quæ Petri privilegio facta habeantur : S. Leonis insignis locus . 144
- Cap. XXIII. Aggredimur demonstrare viros bonos sanctosque post Romanorum Pontificum decreta etiam de fide, suspensio animo mansisse, quoad universalis consensus accederet : S. Victoris Papæ decretum de Paschate proponitur : S. Stephani de rebaptizatione paucis repetitur . 147
- Cap. XXIV. Pelagii I. piis & Orthodoxis suspecta fides propter approbatam Synodum V. non ut Doctor privatus, sed ut Papa suspectus : exposita fide, non allegata infallibilitate se purgat . 148
- Cap. XXV. Bonifacius III. seu IV. eadem causa S. Columbano Presbitero suspectus . 150
- Cap. XXVI. Romani Pontifices professi se Apostolico officio fungentes esse errori obnoxios, in auctoritate universalis Ecclesiæ acquiescunt : locus Innocentii III. 152
- Cap. XXVII. Joannis XXII. fidei professio, omnia quæ in Apostolico officio gessit, etiam circa fidem, iterum examinari posse demonstrat . 153
- Cap. XXVIII. Ejusdem Joannis XXII. de animarum statu speciatim publico diplomate declarata fides, à Benedicto XII. successore ad examen revocatur . 154
- Cap. XXIX. Gregorii XI. ac Pii IV. professio . 155
- Cap. XXX Ecclesiæ Catholicæ auctoritas multis



- ris casibus Ecclesiæ Romanæ laborantis auctoritatem supplet: primum exemplum: sæculi X. invaiores. 156
- Cap. XXXI. Alia exempla: turbæ sub Sergio III. ordinationum Formosi Papæ gratia: Auxilii Presbiteri locus: aliæ turbæ sub Joanne XII. turbæ graviores, atque incertior status, in diuturno schismate inter Urbanum VI. & Clementem VII. 158
- Cap. XXXII. Ex his ostenditur, etsi quis Romanus Pontifex falsa definiat, Catholicam tamen Ecclesiam Sedemque Apostolicam manere suo pondere constitutam. 160
- Cap. XXXIII. Lapsus Romanorum Pontificum nihil Ecclesiæ, nihil fidei, nihil Sedi Apostolicæ nocuerunt: Liberius ordine temporum primus recensetur. 162
- Cap. XXXIV. Adversariorum effugia præcluduntur: nostra argumenta firmanur. 163
- Cap. XXXV. S. Zozimus Cælestii Pelagiani confessionem apertè hæreticam probat: ejus epistola ad Africanos Episcopos: S. Augustini loci. 165
- Cap. XXXVI. Horfmidæ atque Honorii gesta uno verbo repetuntur: Joannes VII. Trullanam Synodum, qua Romana Ecclesia erroris accusatur, suo judicio subditam, relinquit intactam. 167
- Cap. XXXVII. Stephani II. Gregorii II. Sergi III. Gregorii VII. ejusque occasione Bonifacii VIII. decreta & gesta referuntur: decretalis *unam Sanctam*. 169
- Cap. XXXVIII. Paschalis II. gesta Lateranensis Synodi: Guidonis Viennensis, mox Callixti II. decreta in Synodo Viennensi à Sede Apostolica comprobata: hujus decreti verba ad Papam: *Nos à vestra obedientia repellitis*. 171
- Cap. XXXIX. Alexandri III. in exponenda Scriptura manifestus error omnium sententia reprobatus: caput, *cum esses, de testamentis*: item Innocentii III. falsa Scripturæ expositio, cap. *Per venerabilem, qui filii sunt legitimi*. 172
- Cap. XL. Ejusdem Alexandri III. decretum, quo anteriorum Pontificum, de matrimonio per verba, *de presenti*, statuta solvantur: Innocentii III. de revelanda confessione rescriptum ad Cistercienses: idem Innocentius III. Cælestini III. erroneam decretalem solvit. 174
- Cap. XLI. Franciscana controversia: primo loco ponitur decretalis *exiit* Nicolai III.

- probat hanc veram esse definitionem doctrinalem ac dogmaticam. 176
- Cap. XLII. Decretalem *exiit* confirmant Clemens V. Clementina *exivi*, & Joannes XXII. Extravagante *quia quorundam*: mox idem Joannes ejusdem decretalis auctoritatem infringere aggreditur. 177
- Cap. XLIII. Joannis XXII. Extravagans *ad conditorem canonum*: ea, decretalis *exiit*, dogma reject. 178
- Cap. XLIV. Joannis XXII. Extravagans *cum inter non nullos*: ea, decretalis *exiit* doctrinam, de Christi & Apostolorum paupertate, hærescos damnat: à Romanis Pontificibus erronea definiti posse demonstrat: Franciscani appellantes in materia fidei à Papa ad Concilium, ejus rei gratia nullam censuram ferunt. 179
- Cap. XLV. Bellarmini ac Rainaldi suffugia. 181
- Cap. XLVI. Quæstio de visione beatifica ante universalem resurrectionem: in ea Joannes XXII. falsa prædicat & suadere nititur: Gallis obstitentibus, Ecclesiæ Catholicæ consensui cedit. 182

## LIBER DECIMUS.

- Quo probatur convenire cum Declaratione Gallicana hæc, *Quod Romana Sedes fidesque nunquam defectura sit*; & quod prima Sedes non judicetur à quoquam. 185
- Cap. I. Fides Petri quid sit: verba Petri, *tu es Christus*, & Christi, *tu es Petrus*, &c. Petri fides Ecclesiæ fundamentum, ad locum *Matt. XVI. 16. & seq.* ibid.
- Cap. II. Ipse Petrus & Petri successores, propter injunctum officium prædicandæ & asserendæ fidei, Ecclesiæ fundamentum: huic officio meritis adjunctæ claves. 186
- Cap. III. Locus. *Rogavi pro te, & confirma fratres tuos*, Luc. XXII. 32. aliud præceptum, aliud promissum: præceptum, *confirma fratres*, quid sit? 188
- Cap. IV. Promissio in illa precatione, *ut non deficiat fides tua*: fides Petri quid sit? Numquam defectura, neque in ipso Petro, neque in Catholica Ecclesia, neque in Sede Apostolica, seu peculiari Petri Ecclesia. 189
- Cap. V. Petrus ejusque successores cuidam peculiari Ecclesiæ ac Sedi præsidere debent: Petri fides in Petri Sede, & in successorum serie non deficit. 190
- Cap. VI. Traditio Patrum de fide & Ecclesia Ro-



- Romana, deque Sede Apostolica nunquam defectura: Romanorum Pontificum de suæ Sedis dignitate tuenda Traditio. 191
- Cap. VII. Libellus à S. Hormisla ad Ecclesias Orientales missus, ab eisdem Ecclesiis subsignatus mittitur eidem Papæ: tum S. Agapeto, Nicolao I. atque Adriano II. prædicata in eo libello Romana fides nunquam defectura. 194
- Cap. VIII. Concilium Lateranense sub S. Martino Papa: S. Agathonis ad Synodum VI. epistola: item Benedicti XII. de visione beatifica decretalis. 196
- Cap. IX. S. Gelasii Papæ epistola ad Anastasium Imperatorem nobis objicitur. 198
- Cap. X. Leonis IX. & Gregorii VII. loci objiciuntur nobis. 200
- Cap. XI. Innocentii III. ab Anonymo auctore locus objicitur, sed truncus & mutilus. 201
- Cap. XII. Petri Cardinalis de Alliaco de Sede Apostolica nunquam defectura, deque Pontifice interim fallibili & deviabili sententia. 203
- Cap. XIII. Joannis Gersonis eadem de re sententia: confutantur qui putant variasse Gersonem: Dionysii Carthusiani loci repetuntur. 204
- Cap. XIV. Dubium resolvitur: Ecclesiæ Scdisque Romanæ firmitas ab Ecclesiæ Catholicæ firmitate: Ecclesiæ Romanæ Traditio universalis Traditionis pars ac specimen. 205
- Cap. XV. Ex Sedis Apostolicæ immobili firmitate conclusi causas fidei ad eam Sedem referendas: non autem propterea infallibili judicio finiendas: formulæ interrogandi Romani Pontificis: de ejus judicio piam præsumptionem, non tamen continuè certam fidem fuisse; cujus rei exempla proferuntur. 207
- Cap. XVI. De S. Thoma & S. Bonaventura Facultatis Parisiensis Doctoribus quid Gerson senserit: utriusque, ac præsertim Anglici Doctoris sententia explicatur. 211
- Cap. XVII. Testimonium ex Cleri Gallicani coetu anno 1626. petitarum alia argumenta ex Janseniano negotio deprompta solvuntur: Conventus anni 1653. Bullæque Joannis acceptatio. 214
- Cap. XVIII. Tres aliæ secutæ Cleri Gallicani Congregationes probant necessariam Episcoporum consensionem, atque hanc pro Ecclesiastico judicio esse habendam. 217
- Cap. XIX. Duo exempla ab antiquitate deprompta, quibus Gallicanarum Congregationum gesta firmantur: S. Siricii de Joviniano judicium: Capuana Synodus, & ejusdem Siricii responsio ad Macedonas. 219
- Cap. XX. Dictum illud, *Prima sedes non judicatur à quoquam*, cujus virtutis sit? An cum Declaratione Gallicana consentiat? Duplex ejus sensus; alter de persona Papæ, alter de sententia ab eo dicta: de particularibus Synodis intelligendum: Siuefana Synodus: Romana Concilia sub Symmacho Papa. 222
- Cap. XXI. Persona Pontificis quatenus ab Œcumenicis Conciliis judicari non possit: Photii gesta Nicolaum Papam excommunicantis: Concilii VIII. canon XIII. 224
- Cap. XXII. De sententiis Romanorum Pontificum non retractandis: ea de re relati canones, eorumque vis: Gelasii Papæ loci. 225
- Cap. XXIII. Appellationes à Papa ad Concilium: non esse de iis in Gallicana Declaratione quæsitum: quo sensu improbari possint: Petrus de Marca appellationes eas à vetere disciplina alienas non satis cautè dixit: varii appellationis effectus; instaurata cognitio; prolata sententiæ suspensa executio: tutela & præsidium in Ecclesiæ Catholicæ auctoritate adversus Papalem etiam sententiam, in certis quidem causis, res est antiquissima. 227
- Cap. XXIV. S. Gelasius non eo sensu appellationes à Papa vel ut quo sunt posita in Ecclesia frequentatæ. 228
- Cap. XXV. Antè schismatis magni tempus appellationes à Papa ad Concilium, exactæ pecuniæ gratia, frequentatæ ab Anglis, adversus Bonifacium VIII. à Gallis, adversus Joannem XXII. à Franciscanis, nullo Pontificio decreto condemnatæ. 229
- Cap. XXVI. Appellationes à papa ad Concilium primus omnium condemnavit Petrus de Luna in schismate obduratus: ejus ea de re decretum in Concilio Constantiensi revocatum. 231
- Cap. XXVII. Martini V. Bulla de non appellando à Papa ad Concilium, quam perperam objecta. 232
- Cap. XXVIII. Bulla, *execrabilis*; Pii II. in Conventu Mantuano: qua occasione lata: nostri intellexerunt de privatis tantum negotiis. 232



- gotiis, fundamento ex Bullæ verbis perito: nec recepta est in Gallia & ab ea quoque appellatum: appellationes postea frequentatæ. 235
- Cap. XXIX. Bulla, *suspecti Regiminis*, Julii II. in ea clausulæ extra omnem ordinem: non publicata apud nos, nedum recepta: appellationes postea frequentatæ, non tantum à nostris, sed etiam ab aliis. 237
- Cap. XXX. Bullæ Pii II. & Julii II. occasione litium ac dissidiorum temporalium editæ: qui appellationes respuunt, quàm incommoda remedia adhibeant: *Andræ Du Vallii locus*. ibid.
- Cap. XXXI. Varæ de Conciliis generalibus novissimi auctoris Anonymi vitiligationes: quætionem ab eo pessimè constitutam: an Concilia inter res incertas numeranda? Quætionem generalem à particularibus, ad Constantiensis Synodi mentem, jam inde ab initio distinctæ. 239
- Cap. XXXII. Recapitulatio eorum quæ ad Caput IV. Declarationis Gallicanæ dicta sunt, atque imprimis eorum quæ Libro VII. & VIII. 242
- Cap. XXXIII. Recapitulatio eorum quæ sunt in Libro IX. 244
- Cap. XXXIV. Recapitulatio eorum quæ hoc postremo Libro dicta sunt, de Romanæ Sedis ac fidei firmitate, ac de illis verbis: *Tu es Petrus*. 246
- Cap. XXXV. Recapitulatio eorum quæ hoc postremo Libro dicta sunt circa illud: *rogavi pro te*. 248
- Cap. XXXVI. An quemquam hominem infallibilem esse sit congruum aut Ecclesiæ necessarium? An nulla sit Papæ nisi infallibilis auctoritas? An Papa errante nullum remedium? 250
- Cap. XXXVII. An contraria sententia dignum aliquid Ecclesiastica gravitate dicat? 252
- LIBER UNDECIMUS.
- De Pontificiæ potestatis usu per canones moderando ad Caput tertium Gallicanæ Declarationis. 255
- Cap. I. Refertur Caput III. Gallicanæ Declarationis. ibid.
- Cap. II. Exponitur tertium caput Gallicanæ Declarationis: hujus duæ partes: il probandum suscipitur, Ecclesiasticam disciplinam, sive universam, sive particulares spectet Ecclesias, à Romano Pontifice regi, adhibitis regulis, sive universum, sive particularim receptis. 256
- Cap. III. Ecclesia Romana isdem canonibus regit Ecclesias, quibus ipsa regitur: probatur ex Romanis Pontificibus. 257
- Cap. IV. Idem probatur ex gestis sub Bonifacio II. & ex Concilio Romano sub Joanne IX. de translationibus. 259
- Cap. V. Aliud exemplum: Concilium Romanum sub Joanne XII. 261
- Cap. VI. Nova & inaudita Gratiani interpretatio XXV. Quæst. I. P. S. Si ergo. 262
- Cap. VII. Concilium Moscomense: Rosulphi Glabri locus: Concilium Ansanum: de eo Anonymi responsiones: de exemptionibus obiter: Petri Venerabilis & S. Bernardi loci: an Monachis Cluniacensibus profuerit, quod Romanum Pontificem peculiarem Episcopum habere vellet. ibid.
- Cap. VIII. Concilium Lemovicense II. Gregorius VII. concors Romanorum Pontificum & Episcoporum professio de regendo & obediendo secundum canones. 266
- Cap. IX. Libertas in jure antiquo & communi: Pragmatica Sanctio S. Ludovici: an ab Anonymo idoneis probationibus falsi arguatur? 267
- Cap. X. Edictum Caroli VI. decretum Florentinum: nulla sunt quæ contra canones: Romanus Pontifex contra canones agere nolle præsumitur, ne ipse adversetur sibi: locus insignis Concilii Basileensis. 270
- Cap. XI. De decretalibus epistolis, deque consuetudine recepta & canonum origine. 272
- Cap. XII. Jura, canones, consuetudines particularium Ecclesiarum retinenda: in iis que pars libertatis Ecclesiastica: cæterarum gentium eam in rem cum Gallis concors sententia. 274
- Cap. XIII. Jura novella necessaria: ad vetera collimandum: Patrum Gallicanorum eadem de re in Concilio Tridentino sensus: ipsum Tridentinum Concilium eodem animo fuit. 276
- Cap. XIV. Ecclesia Gallicana antiquam & sanctam, sub Aurelio & Augustino Africanam Ecclesiam sequitur: Christiani Lupi hallucinationes: summa doctrinæ de libertatibus. 277
- Cap. XV. Liberrates quo sensu privilegia dicantur? Nempe ut jura antiqua Libertatum



- tum radix : an Petrus de Marca audien-  
dus, qui Conciliorum superiorem potesta-  
tem à libertatibus separat . 279
- Cap. XVI. Hæc doctrina non obest dispen-  
sationibus Apostolicæ Sedis : Concilii Ba-  
siliensis locus : Gersonis doctrina à S.  
Bernardo ducta . 282
- Cap. XVII. Dispensationes *sine causa* : canon  
Lugdunensis, in earum gratiam à Petro  
de Marca citatus, an id efficiat ? 284
- Cap. XVIII. De dispensationibus *sine causa*  
sententia Cardinalium sub Paulo III. Con-  
cilii Tridentini decreta memoranda . 285
- Cap. XIX. Natura ipsa dispensationis ex S.  
Symmacho & S. Gelasio Romanis Pon-  
tificibus : hinc dispensationes *sine causa*  
evertuntur . 286
- Cap. XX. An Auctor Anonymus Tractatus  
de Libertatibus, ad tertiam propositionem  
Declarationis Gallicanæ, rectum aliquid  
aut ad rem dixerit . 287
- Cap. XXI. Auctor Anonymus Libro I. ni-  
hil agit ; à scopo quæstionis aberrare se  
docet . 290
- Cap. XXII. Anonymi Liber II. primum  
multa agit extra rem, tum in eundem  
sensum nobiscum congruit . 293
- Cap. XXIII. De reliquis Libris à III. usque  
ad XII. & ultimum uno verbo transfigi-  
tur : ostenditur quod in toto opere vix  
tertia pars ad confutandam Declarationem  
spectet . 294
- Cap. XXIV. An auctor Anonymus Gallicanas  
Libertates odiosas merito esse dixerit . 295

COROLLARIUM .

- Quod doctrina nostra Primatus Romanus  
non obscuratur, sed illustratur & con-  
firmatur . 297
- I. Regimen Ecclesiasticum in duobus posi-  
tum, docenda fide, administranda discipli-  
na : Menæ Patriarchæ dictum in Con-  
stantinopolitana Synodo, hæc duo à no-  
bis illustrari . ibid.
- II. De fide : in quot absurda adversarii se  
induant : è re Ecclesiastica esse ea reseca-  
ri : ac primum in antiquis . 298
- III. De posterioris ætatis monumentis quæ  
Constantiensem Synodum antecesserunt :  
adversarii quot absurda congererint . 301
- IV. In Constantiensi Synodo nihil novum,  
sed antiqua in rei judicæ auctoritatem  
necessaria causa transisse : id qui negent  
in quot absurda cogantur . 303
- Tom. II.

- V. Constantienses canones postremis quoque  
Romanis Pontificibus intactos, quam ab-  
surdum à privatis configi : quam item ab-  
surdum ea, quæ Tridentina Synodus ac  
nostra etiam ætas, tuta esse censuerit, re-  
pentè damnari, & de Papæ auctoritate  
postulari plura, quam ipse Duvallius alii-  
que Romanæ Sedis studiosissimi poposce-  
rint . 305
- VI. De Pontificum lapsibus agnitis vel præ-  
visis, deque Conciliorum congregando-  
rum causa quam vana & absurda dicta  
sint . 306
- VII. Quam grave sit Ecclesiæ Catholicæ cau-  
sam in tot absurdis collocari, cum præfer-  
tim ea invidiosissima sint . 308
- VIII. Hæc absurda & invidiosa etiam esse  
inania, neque prohiberi posse quin ad Ec-  
clesiæ consensum necessariò recurratur : ex  
cathedra pronuntiari quid sit ? 309
- IX. De regenda disciplina discrepantes in  
speciem sententias summa ipsa convenire :  
Duvallii loci : item locus Anonymi, qui  
de Gallicanis Libertatibus scripsit . 311
- X. Sedis Apostolicæ majestas & potestas . 313
- XI. Quam fœdam Ecclesiastici regiminis Pon-  
tificiæque potestatis ideam adversarii, ac  
præsertim auctor Anonymus proferant,  
quamque hæreticis faveant, dum Papatui  
favere velle videntur . 315
- XII. Quam falso asserant Gallicana Declara-  
tione contentam doctrinam dissidiorum  
occasione proditam aut innovatam : Cleri  
Facultatisque Parisiensis antiqua monu-  
menta replicantur : nova etiam produn-  
tur : quædam Gallis malevolentissimè ab  
Anonymo objecta refelluntur : votum Au-  
ctoris ejusdemque erga Ecclesiam Catho-  
licam Sedemque Apostolicam devotus ani-  
mus . 317

APPENDIX .

- PREFATIO AUCTORIS . Pag. I.  
Appendix ad Defensionem Declarationis Cle-  
ri Gallicani de Ecclesiastica potestate, in  
quâ probatur Declarationem Gallicanam  
ab omni censura esse liberam, & eam Ro-  
mani Pontificis auctoritati nihil nocere . 2

PARS PRIMA SIVE LIBER PRIMUS.

- Id probatur ex professione fidei, & Docto-  
rum Catholicorum nobiscum sentientium  
auctoritate . ibid.
- Cap. I. Cujus sit generis ea quæstio quam  
tra-



- tractamus ? Nullum hic patere locum ad nos vel hæreseos, vel erroris in fide in-  
cusandos : professio fidei à Pio IV. edita  
ex Concilii Tridentini mente, ut vera &  
sufficiens regula proponitur : articuli Pa-  
risienses anni 1542. adversus Lutherum  
huic præluxerunt, ejusdemque sunt spiri-  
tus. ibid.
- Cap. II.** De Pii IV. professione diligentius  
quæritur : in Synodo Tridentina consulto  
omissa quæ inter Catholicos controversa  
essent : Palavicinus Cardinalis testis ad-  
ducitur : de Florentina formula, quod  
Romanus Pontifex regat Universalem  
Ecclesiam, Tridenti in medium allata,  
atque omissa, ne nostra sententia vel  
sub dubio læsa videretur : Claudii Sanc-  
testi, & Caroli Cardinalis Lotharingæ e-  
pistolæ : Pii IV. responsum egregium :  
Ea tantum in Concilio Tridentino defi-  
nienda, in quæ omnes Catholici conspi-  
rant. 4
- Cap. III.** Circa Florentinam formulam solen-  
nis distinctio : quod Romanus Pontifex re-  
gat universalem Ecclesiam distributive,  
non collectivè : de ea distinctione An-  
dræ Duvallii locus : ea distinctio non  
merè Scholastica, sed à Concilio Constan-  
tienti Martino V. expresse approbante,  
deprompta. 7
- Cap. IV.** Ex antè dictis probatur Cleri Gal-  
licani Declarationem jam in tuto esse,  
nondum licet prolatis probationibus :  
Leonis X. in Concilio Lateranensi & ad-  
versus Lutherum acta, nihil ad rem fa-  
cere, Tridenti acta, & Pii IV. professio  
probant. 9
- Cap. V.** Parisiensium Doctorem veneranda  
auctoritas : horum antesignani Petrus de  
Alliaco Cameracensis Cardinalis, &  
Joannes de Gerson Parisiensis Ecclesiæ  
& Universitatis Cancellarius, viri om-  
ni doctrinæ ac pietatis laude cumulati :  
hujus rei multi testes : de Joanne Ger-  
sone Professoris Lovaniensis castiganda  
audacia. 10
- Cap. VI.** An, ut quibusdam videtur, quæstio  
de Superioritate à quæstione de Infalibi-  
litate, secundum Alliensem, & Ger-  
sonem, separari possit ? Refertur caput,  
Si Papa, alique ex decreto Gratiani loci  
& glossæ celebres, quæ Parisiensibus præ-  
luxerunt : hinc pro certo assumptum, Pa-  
pam etiam ut Papam, esse fallibilem. 12
- Cap. VII.** Quo sensu explicarent illud : Ro-  
gavi pro te, ut non deficiat fides tua, Luc.  
xxi. 32. Ea de re glossa notabilis, quæ  
maximè utebatur : S. Thomæ, S. Bo-  
naventuræ & Nicolai Lyani loci. Pe-  
tri de Alliaco locus insignis : Gersonis  
sententiæ. 14
- Cap. VIII.** Scholam Parisiensem in Allia-  
censis & Gersonis sententia perficisse,  
toti Orbi notum : eam sententiam egregii  
viri ubique docuerunt : cur Parisiensium  
doctrina dicta sit ? 16
- Cap. IX.** Dionysius Carthusianus adducitur :  
ejus exemplum probat, eos qui per eam  
ætatem Pontificiæ auctoritati vel maxi-  
mè favebant, summa ipsa in Parisien-  
sium sententiam convenisse : Ecclesiæ soli  
eamque representanti Concilio generali ab  
eo Doctore tributa infallibilitas : locus,  
Rogavi pro te, &c. Luc. XXII. 32. cum  
ea doctrina facile conciliatus. 19
- Cap. X.** Idem Dionysius Carthusianus ex-  
ponit quæ auctoritate in aliis præter  
fidem causas, Romanus Pontifex à Concilio  
judicari possit. 20
- Cap. XI.** De Lovaniensi Facultate : eam cum  
Parisiensi & Colonienfi circa Constantien-  
sem Basileensemque doctrinam consensisse :  
Nicolai Dubois Professoris Lovaniensis  
vana argumenta. 21
- Cap. XII.** Adrianus Florentius, mox Adria-  
nus Papa VI. Facultatis Lovaniensis or-  
namentum, Parisiensium sententiam se-  
quitur : quorundam Lovaniensium cavil-  
lationes. 22
- Cap. XIII.** An sit verisimile Parisiensium do-  
ctrinam post Adrianum VI. à Lovanien-  
sibus condemnatam : Lovaniensium erga  
Adrianum reverentia singularis. 25
- Cap. XIV.** Jacobi Latomi, Doctoris Lovanien-  
sis, sententia. 26
- Cap. XV.** Joannis Driedonis Lovaniensis  
sententia, de fide Petri nusquam defe-  
ctura. 29
- Cap. XVI.** Articuli Lovaniensis Facultatis  
anni 1544. ex præcedente doctrina expli-  
cantur, & cum Parisiensibus anni 1542.  
conferuntur : Cathedra Petri nunquam  
defectura. 33
- Cap. XVII.** Joannis Driedonis sententia de  
superioritate Papæ cum Parisiensium sen-  
tentia congruit : horum reverentia in sum-  
mum Pontificem : locus Majoris. 36
- Cap. XVIII.** Alii Driedonis loci exornantur.  
Iterum de Cathedræ Petri auctoritate, ex  
eodem scriptore. 38



LIBER SECUNDUS.

- Quodd Declaratio Gallicana ab omni censura fit immunis probatur ex Auctoribus Parisiensium sententiæ adversantibus. 40
- Cap. I. Joannes a Turrecremata Pontificiæ potestatis sub Eugenio I V. defensor præcipuus, in fidei quæstionibus Concilii auctoritatem Papæ auctoritati anteponebat: communis erat tum illa sententia: Bulla, *Deus novit*, sub Eugenii nomine edita. ibid.
- Cap. II. Alii Turrecrematæ loci de Concilii potiori auctoritate in materia fidei, quodd Summus Pontifex erronea solenniter definire possit. De Pontificia infallibilitate ludibria & cavillationes. 42
- Cap. III. Antonii de Rosellis ejusdem ævi Canoniciæ Eugénianarum partium sententia. 44
- Cap. IV. Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, an bona fide relatus ab Anonymo Auctore, qui de libertatibus Gallicanis scripsit? 45
- Cap. V. Thomas a Vio, Cardinalis Cajetanus Pontificiam infallibilitatem asserit, nulla in adversarios censuræ nota; primus omnium docuit erroneam esse sententiam quæ superioritatem Concilio assignet, cui repugnat Turrecremata & Cajetani tempore Dominicus Jacobatus Cardinalis. 47
- Cap. VI. Idem Jacobatus Cardinalis Pontificiæ superioritatis assertor, in infallibilitatis quæstione quid sentiat. 48
- Cap. VII. De fide Petri nunquam defectura, ejusdem Cardinalis loci. 49
- Cap. VIII. Bellarmini judicium: ab illo Concilii Lateranensis auctoritas trepidè profertur de sententia superioritatem Synodis vindicante: ejusdem censuræ titubantes. 50
- Cap. IX. Bellarmini circa Pontificiam infallibilitatem censura æque anceps: vis notarum ex Melchior Cano. 52
- Cap. X. Suarez Parisensium de superioritate sententiam relinquit integram: ipse suam de infallibilitate censuram infringit, falsaque ex Leone X. adversus Lutherum refert. 53
- Cap. XI. Andræas Duvallius Parisensium de superioritate Conciliorum sententiam, & Parisiensis Facultatis esse agnoscit, & ab omni hæresi, erroris atque etiam temeritatis nota absolvit. Pontificiam in-

fallibilitatem non esse de fide, non modò asserit, sed etiam optimis argumentis probat. 55

- Cap. XII. Dominicus a Sancta Trinitate, Carmelita discalceatus, libro Romæ recens excuso, docet Pontificiam infallibilitatem aut superioritatem nullo Ecclesiæ decreto clarè definitam: quid illud sit, cum privati Doctores aliquid de fide esse dicunt, quoad se, non quoad nos? 57
- Cap. XIII. Recentiorum Lovaniensium aliorumque sententia, ipso progressu immo-destior & apertè nimia. 58
- Cap. XIV. Quanta sit Scholasticorum auctoritas, ex Melchior Cano constituitur, atque hinc efficitur ab omni nos erroris nota esse liberos. 60
- Cap. XV. Aliæ notæ: quæ ad fidem pertinent paucis diluuntur: sapiens hæresim, male sonans, periculosum in fide quid sit: schismaticum à D. Strigoniensi inustum, sed ne hujus quidem nominis significatione perspecta. 64

LIBER TERTIUS.

Quodd Declaratio Gallicana ab omni censura immunis fit ex ipso statu quæstionis demonstratur. 66

- Cap. I. Adversarii falsa imputant Parisiensibus, ac pessimè constituunt statum quæstionis: Anonymus auctor tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ: Papæ suprema potestas & Monarchia Ecclesiastica à Gersoné, & aliis Parisiensibus agnita: Constantinensis Concilii loci à Cajetano & aliis objecti: an recursus ad Concilium in extraordinariis casibus supremam Papæ impediatur in ordinariis casibus potestatem? ibid.
- Cap. II. Falso imputari Parisiensibus, quodd saltem in fidei causis, recursus ad Concilium semper sit necessarius. 70
- Cap. III. Quodd si unus vel alter Romanus Pontifex in decreto fidei aberraret, nihil fidei Romanæ, nihil Romanæ Cathedræ Sedique Apostolicæ noceretur. 72
- Cap. IV. Adversarii quæstionem de superioritate Papæ ad vana redigunt; casus hæresis evertit eorum generales regulas. Cajetani argutiæ recitantur. ibid.
- Cap. V. Suaris labores æquè irriti circa depositionem Papæ in hæresim lapsi. 74
- Cap. VI. Cajetani ac Suaris absurda effugia, non nisi aliis absurdioribus evitari posse:



- posse : Alberti Pighii sententia , quod  
Papa, nec ut privatus, fieri possit hæreti-  
cus : alii quoque casus, quibus Papa Con-  
cilio habetur inferior . 75
- Cap. VII.* Papam etiam certum, non modo  
hæreticum, sed & absque hæresi, schis-  
maticum fieri posse Duvallius docet ex  
Turrecremata & Cajetano Cardinalibus,  
eumque Ecclesiæ auctoritate statim deji-  
ciendum . 77
- Cap. VIII.* De Concilii auctoritate, qua  
Papa teneatur in fidei causis : Duvallii  
locus . ibid.
- Cap. IX.* Propter quæ scelera in Pontificem  
animadverti possit; Canonistas ferè omnes,  
non iisdem licet verbis, in eandem rerum  
summam convenire . 78
- Cap. X.* De infallibilitate, positæ quæ ne-  
cessariò conceduntur, nullam superesse ve-  
ram difficultatem : unum Albertum Pi-  
ghium consentanea dixisse, sed nova, &  
inaudita, & ferè ab omnibus spreta, in  
quæ tamen adversarii necessariò deducun-  
tur, si sua cohærenter tueri velint . 80
- Cap. XI.* Ex his consequi Romanos Ponti-  
fices in hac quæstione non se commoto-  
ros, cuius rei multa sunt argumenta :  
primum, ex Declarationibus Sacræ Fa-  
cultatis anno 1663. toto Regno pro-  
mulgatis, ipsis Pontificibus nihil conque-  
rentibus . 86
- Cap. XII.* Expositio Doctrinæ Catholice  
Illustrissimi ac Reverendissimi Domini  
Meldenensis Episcopi in medium adducitur:  
duo Innocentii XI. Brevia ad eam ap-  
probendam : his consentiens Perronii Car-  
dinalis locus . 88
- Cap. XIII.* Explosa hæreseos, erroris, ac  
schismatis nota, aliæ notæ excutuntur :  
articulos Gallicanos neque esse temerarios,  
neque scandalosos, neque piarum aurium  
offensivos : vera pietas cum veritate &  
Traditione conjuncta : Censuræ vagæ &  
inconditæ : sancti Ambrosii locus : Prima  
Pars concluditur . 91
- Eusebii Romani Presbyteri ac Martyris æta  
referuntur . 95



**FINIS INDICIS.**





















BOSQUE  
DEFENS

TOM.  
II

